





SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE



VINDICIAE PLINIANAE.

SCRIPSIT

CAROLUS LUDOVICUS URLICHS.

ERLANGAE.

SUMPTIBUS ANDREAE DEICHERTI.

MDCCCLXVI.

Vindiciae Plinianae.

1

Codices iisdem notis designavi, quas Silligius adhibuit.

PRAEFATIO,

cui diligentem utilissimamque operam Silligius praestitit, *paucis* tamen etiamnum vitiis laborat, quorum nonnulla Heraeus in Schneidewini Philologo VII. p. 572. sqq. libro Pragensi sagaciter usus sustulit. Et primum quidem §. 3. apud Silligium ita scriptam:

> Triumphalis et censorius tu sexiesque consul ac tribuniciae potestatis particeps et, quod his nobilius fecisti dum illud patri pariter et equestri ordini praestas, praefectus praetori eius, omniaque haec rei publicae, et nobis quidem qualis in castrensi contubernio; nec quicquam in te mutavit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses ut velles.

ego ita emendabam, ut copulam *et* post *publicae* in *es* mutarem, quo quidem posito talem sensum inesse putabam: et praefectus praetorii, quod his sc. ceteris dignitatibus nobilius fecisti, dum id munus praefecti patri et equitibus, sicut omnia rei publicae praestas, nobis idem mansisti et fortunae mutationem aequo animo expertus es.

Remanebat tamen molesta verborum *omniaque haec rei publicae* collocatio. Itaque postquam in cod. Prag. legi comperi *haec reicis nobis*, omnino Heraeo assentior, qui initio enuntiati verbum *es* supplendum esse existimat. Nam e vera scriptura HAEC REICIS NOBIS facile evenire potuit, ut primo fieret *rei p. et*, deinde quod in cod. a et Murbacensi scribitur *rei praeest* et quod vulgo legitur *rei publicae et*, compendio quod sese ante oculos habere putabant librarii male expleto. Eiusdem Heraei coniecturam: *nomen erasi hoc albo* §. 6. valde probabilem duco; fortasse etiam §. 7. lacunam recte indagavit.

1 9.

Cum apud Catonem illum ambitus hostem et repulsis tamquam honoribus indeptis gaudentem flagrantibus comitiis pecunias deponerent candidati, hoc se facere quod tum pro innocentia rebus humanis summum esset profitebantur.

Vocabulis *quod tum* a Silligio e libris Mss. receptis verba Plinii, ut nunc quidem leguntur, — nam vulgo ita interpolata erant: *pro innocentia, quod* rel. — sensu carent. Quem ubi levi transpositione facta scripseris *innocentia pro* elegantissimum nanciscemur. Catone enim praetore a. DCC. innocentia, qualem quidem res humanae ferebant, re vera in re publica summum locum obtinebat, atque perditis ambitione et largitionibus civium moribus, temporum ratione habita illa praesertim omnium virtutum et summa et rarissima merito videbatur. Atque hanc ipsam causam esse profitebantur candidati quum grandes pecunias singuli apud Catonem deponerent eique liberum multae arbitrium permitterent, si quis populum corrupisse videretur; cf. Cic. ad Qu. fr. II. 15, Plut. v. Cat. min. 45.

30. 2

De obtrectatoribus sive vitilitigatoribus locutus Cato „Eorum, ait, ego orationes sibi praetereo.“

Recte enim Silligius spreta interpolatione vulgata *sino praeterfluere* ad codicum lectionem rediit, quam sic interpretatur: „eorum ego orationes sicco pede praetereo easque non curo ipsorum in lucrum, quia, si curarem, pessime a me habendae essent“. At vero et durissima talis esset structura et sententiam efficeret a Catonis mente, si quid video, alienam. Neque enim eorum commoda curasse putandus est, quos modo verae laudis expertes nominaverat, sed sibi potius a quovis cum levissimis hominibus commercio abstinendum esse declaravit. Quod igitur Cicero ita ferè expressisset: „eorum orationes sciens vel prudens praetereo“ id prisco verbo Cato videtur dixisse:

eorum ego orationes sibe praetereo.

Sibus enim, ut ait Paulus s. v., est callidus vel acutus.

32. 3

Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis et litigatoribus composuit [quid enim illi aliud quam litigant aut litem quaerunt?] exsequemur reliqua propositi.

Verba in parenthesi posita valde displicent. Neque enim quicunque litigant reprehensione digni sunt, sed ii tantum qui vitiosae petulantiae serviunt, neque vocabulum *vitilitigatores* sed usitatissimum *litigatores* explicatur. Quod sane minime oportebat. Accedit quod in plerisque et antiquissimis codicibus non *illi* sed *illud* scribitur. Iam vero nihil frequentius factum est, quam ut glossulis, quae, quum in archetypo sive ad marginem sive supra lineam

additae essent, in ipsam Plinii orationem paulatim irrepserunt, opus difficillimum corrumperetur. Ita §. 8. post verba *Lucilius qui primus condidit stili nasum* in omnibus libris Mss., quorum lectiones Silligius exscripsit, ineptum additur interpretamentum: „quasi abusionem et vituperationem; primus enim satiricum carmen conscripsit, in quo utique vituperatio uniuscuiusque continetur. Nasum autem dixit, quod vituperationis signum vel maxime naso declarandum". Item §. 10. ad verba Plinii: *adeo summum quisque causae suae iudicem facit quemcunque, cum eligit* adscribitur: „unde provocatio appellatur." Similiter hic quoque vocem *litigatoribus* verbis in interrogatione positis homini semidocto explicare libuit, quibus eiectis suam Plinio elegantiam restituimus. Nam ne quis interrogandi vivacitatem a grammatico alienam esse iudicet, Pseudo-Asconium contulisse sufficiat, qui ad Verr. I. 2. 5. „Quid est, inquit, reum fieri nisi apud praetorem legibus interrogari?" Idem fortasse valet de §. 11. ubi in vulgata
4 scriptura:

> Verum dis lacte rustici [multaeque gentes] supplicant et mola tantum salsa litant qui non habent tura.

verbum *supplicant* a libris Mss. praeter Pragensem abest, Ianus in diurn. antiq. 1849. p. 454. *qui* acute in *quia* mutavit, mihi potius *multaeque gentes* ex interpolatione ortum videtur; sicut alterutrum verbum e varia lectione. Plerique enim codices utrumque omittunt, prius e melioribus d, posterius Pragensis. Scilicet in margine archetypi adscriptum fuisse videtur SUPPLICANT SEV LITANT.

5 Eodem modo §. 18. verba [id est nocturnis], quae in codd. Murbac. et Ambros. I. II. desunt, delenda esse censeo. Quod enim e proximo enuntiato elucet, subseciva

tempora nocturna esse, id clarius etiam additamento suo indicavit librarius. In fine sensus Heraeum sequi malim, qui veterem scripturam ne *quid vestris putetis* restituit.

LIBER I.

35. 6

(Ex auctoribus) Cassio Severo Longulano, Fabio Vestali qui de pictura scripsit. Externis: Pasitele, Apelle etc.

Longulanum a Cassio Severo diversum esse vidit Bergkius *apud* Ritschelium Parerg. Plaut. p. 40. A Fabio *autem* Vestali ea quae proxime sequuntur vocabula aliena esse manifestum est. Nam quum etiam in indice librorum VII. XXXIV. XXXVI. commemoretur, apparet eum maius quoddam opus composuisse, quo de vita fere populi Romani et urbis monumentis in universum disputaverit. Accedit scripturae in codicibus discrepantia, quorum B et a haec verba pone *Externis* collocant. Fuerant igitur antiquitus in margine adscripta, unde postea loco inopportuno inserta sunt. Quid multa? Scribendum est:

Fabio Vestali. Externis: Pasitele, Apelle qui de pictura scripsit (cf. XXXV. 79).

LIBER II.

19 = 7, 5. 7

Agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum, anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusne? Vix prope est iudicare, utrum magis conducat generi

humano, quando aliis nullus est deorum respectus, aliis pudendus.

Sic locum difficilem scripsit Silligius, ita tamen ut corruptum iudicaret et verbum *dubitemusne* pone v. *summum* collocaret. Verumtamen in proximo enuntiato non qui dubitant iis qui credunt opponuntur, sed credentes incredulis. Namque hoc dicit Plinius: Utrum credendum nobis est, curari res humanas a diis an non curari? an fortasse certi quidquam de ea re inveniri posse desperabimus atque (quae est ipsius scriptoris sententia) in dubitatione consistemus? Difficile est iudicatu, utrum utilius sit credere an non credere, nam increduli nullum deorum respectum habent, qui tamen ad vitae usum est necessarius (cf. §. 26), qui vero credunt ad foedam superstitionem et mendacia delabuntur. Talem sensum ut verbis reddamus, ante omnia plurimorum optimorumque codicum lectio *dubitemusve* restituatur oportet, deinde cum Iano l. l. p. 464. post *credamus* interpungatur. Proxima verba *vix* et *prope* Silligius moleste coniunxit, Ianus *iudicare* pro *ut iudicemus* dictum esse statuit. Facilius *prope* in *propere* mutabitur quum hae voces saepius confundantur, cf. Drakenb. ad. Liv. XXIX. 31. 4.

8 22 = 7, 5.

Fortuna sola invocatur ac nominatur, una accusatur, [una agitur rea], una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur et cum conviciis colitur rel.

Talem e codicibus quorum accuratiorem notitiam Silligio debemus, unus d locum exhibuit, sed manifesto interpolatum, quum quae rea agitur, eadem intolerabili tautologia accusari dicatur. E reliquis libris r (is est M. Dalecampii, deterioribus, ut videtur, annumerandus),

omnia quae post v. *accusatur* usque ad *cum conviciis* leguntur omittit, ceteri sic habent: a *una arguitur rea una cogitur, sola sola laudatur, sola arguitur* Pbg *rea una arguitur, una cogitur* (*cogitatur* Pg), *sola sola laudatur*, p *rea una arguitur* T verba *una cogitatur* omittit. Inde patet v. *agitur* nil esse nisi dittographiam vocis *cogitur*, deinde v. *arguitur* male bis scribi. Itaque quaedam vocabula eiicienda sunt, et licet, quaenam potissimum pro spuriis habenda sint, decernere non audeam, ita tamen optime procedere orationem arbitror:

una accusatur, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur rel.

Possint etiam verba *una accusatur* pro glossemate haberi et *rea una agitur* servari.

32 = 8, 6. 9

(Certum est) omnium autem errantium siderum meatus, inter quae solis et lunae, contrarium mundo agere cursum [id est laevum], illo semper in dextra praecipiti.

Quum mundi motus dextrorsum feratur, sidera autem errantia in contrariam partem moveantur, sponte apparet horum cursum laevum esse. Verba igitur *id est laevum* ut putidum interpretis additamentum sine dubio eiicienda sunt. Ne autem iusto audacius interpolatoris manum indagare videar, Pintianum nomino, qui recte §. 120. verba *ab ortu solstitiali*, §. 133. *aut nive iacente* delevit, et ipsum Silligium qui §. 208. verba *scrobes mortificum spiritum exhalantes* vano conamine a Iano Nunt. Monac. 1852. no. 70. defensa expungenda esse perspexit, Ianum denique qui §. 90. v. *dei* damnavit. Ceterum paulo supra immerito scripturam vulgatam deseruit Silligius, assensum nactus

Iani l. l. p. 462. Nam quum vulgo sic legerentur verba Plinii in optimis codicibus Rd et, quod e Pintiani silentio colligo, etiam in T:

„*Obliquitatem eius* (mundi) *intellexisse*... *Anaximander Milesius traditur*..., *signa deinde in eo Cleostratus*..., *sphaeram ipsam ante multo Atlas*,“ Silligius ex ab et aliis libris dedit: *ipso mandante mundo*; Atlas enim cum mundum humeris suis ferret, ipsum mundum sphaeram Atlanti mandavisse i. e. credidisse. Sed oblitus est V. D., ita tamen vix futurum fuisse, ut sphaeram intelligeret Atlas, quum mundum portaret. Atlas enim non hic tantum sed etiam VII. 203, ut apud Diodorum III. 60, primus astrologiae inventor fuisse perhibetur. Usitatissima autem dittographia, qua paulo infra §. 33. in nonnullis codicibus pro *inferiorem* invenitur *in terris inferiorem*, factum est, ut pro *sphaeramante* una syllaba reduplicata in iis libris, quos Silligius secutus est, scriberetur *sphaeramandante*, voce *mundo* e proximo enuntiato repetita. Etiam §. 41. scripturam vulgatam *multiformi ambage* codd. Td et partim etiam R comprobatam Silligius temere cum duro asyndeto *multiformis ambigua* commutavit, et §. 43. cum optimis libris scribendum est: *Endymion: ob id — amore eius captus* (e Pd²) *traditur*. Etiam §. 58. male Silligius deteriorum librorum lectionem vulgatae praetulit, cum *diu* inseruit quod e praecedenti voce *interdiu* facile suppletur. Contra §. 55. meliorum sane librorum lectionem *mortalis genitos* secutus est, quum vulgata *mortalis genitus* ad sententiam necessaria simili locutione III. 1. commendetur. §. 115, 117, 155, 168, 209, 231 et 234. vulgatam lectionem recte defendit Ianus Nunt. Monac. 1852. no. 70. sqq. Idem §. 52. interpunctionem correxit, ita ut verbis *Exusturus* sqq. interrogationi respondeatur. Male autem et Silligius et Ianus §. 49. lacessunt, in omnibus codicibus praeter R ita scriptam

ut vulgo legitur. Quae enim §. 50. narrantur, iis oculorum argumentis et animi coniectura quid effectum sit exponitur; deinde §. 51. *ex utroque* i. e. lunae solisque defectibus vastitas solis aperitur. Verum vulgatae scripturae patrocinium futurus editor fortasse suscipiet: nos dum quae e libris Mss. a Sillig collatis emendari possint, pertractamus, obiter tantum de iis locis disputabimus, qui iam ab Harduino correcti videntur.

37 = 8, 6. 10

Quam naturam eius (solis) Pythagoras Samius primus deprehendit olympiade circiter XLII., [*qui fuit urbis Romae annus* CXLII.]

Priorem numerum XLII et multo magis qui in aliis codd. Mss. legitur XXXII corruptum esse Broterius intellexit idemque rectissime emendavit *LXII*. Nam ut Pythagoram taceam a Diogene Laertio VIII. 45. ol. LX, a Clemente Alexandrino Strom. I. 65. ol. LXII. quo tempore in Italiam venisse traditur a Cic. de rep. II. 15, ab Eusebio in chronico ol. LXV. assignari ipse Plinius infra §. 81. Pherecydis auditorem fuisse refert qui VII. 250. Cyri aetate i. e. ante ol. LV. vixisse traditur. Itaque nihili sunt quae ab Harduino aliisque tentantur. Quod vero alterum numerum Broterius in CCXXII mutavit, fecit id temporum rationi quam criticae arti convenientius. Quum enim libri Mss. aut CXLII aut CXIII aut CXVI exhibeant, id tantum ambigi posse consentaneum est, utrum ex ultimae scripturae vestigiis CXLI an CXLII scribendum videatur. Uterque autem numerus prout de aestiva hibernave anni Olympici parte cogitaveris olympiadi XLII. egregie respondet. Ianus enim dum in diurn. antiq. 1834. p. 491. *annus CXLVI.* legendum proponit in proclivem errorem in-

cidit ut olympiadem XLII. exactam computaret, quum incipiente ea anni CLXIV efficiantur. Iam vero quia anno ab urbe condita CXLII. olympias XLII. indicatur, Plinius autem non potest non scripsisse *LXII*, apparet vitium archetypo codice antiquius illum grammaticum fefellisse cuius perversam industriam etiam alibi deprehendimus. Plinius enim quum eius fere auctoris aera uti soleat, a quo quae narrat, accepit, ita ut XI. 186. dum aliquid in haruspicum arte ol. CXXVI. novatum tradit Graecum scriptorem secutus esse putandus sit, raro Graecorum tempora cum Romanis comparat. Quae quum interdum supplerent librarii atque in aliis quoque narrationibus sive consulum nomina sive annum Urbis adderent, facta est magna numerorum nominumque perturbatio. Ita

11 §. 90 = 25, 22.

vulgo e Cagnatii coniectura (varr. obss. IV. 8.) legitur:

> Semel adhuc iubae effigies mutata in hastam est olympiade CVIII. [urbis anno CCCVIII.]

quum in omnibus libris reperiatur *CCCXCVIII*. Atque ita sane nanciscimur a. Ol. CVIII. 3. At vero priorem numerum in R^1 Pd tantum inveniri annotavit Silligius, quum R^2 CV legat, a autem liber aeque spectabilis et Colbertinus apud Harduinum, quem b esse coniicio, duoque alii praeterea *Clu.* et *Cla.* e margine editionis Basileensis a. 1548. ab eodem laudati *CVIIII*. Atqui iam ab aliis animadversum est, hac ipsa olympiade Nicomacho archonte (Ol. CIX. 4.) Athenis cometen conspectum fuisse, cf. Aristot. Meteor. I. 7, atque nihil veri similius esse quam de eodem Plinium loqui, quum praesertim septem dierum spatium brevissimum fuisse statim addiderit, quo cernerentur cometae, Aristoteles autem stellam Athenis per pau-

cos dies visam esse narraverit. Itaque Meursius et qui eum secutus est Idelerus ad Aristot. l. l. alterum numerum apud Plinium in CCCCXIII mutandum arbitrantur. Nam licet CCCXIII eos inepte scripsisse tradat Silligius, voluerunt haud dubie CCCCXIII scribere, ita ut hic quoque ad coniecturam confugiendum esse videatur. Ne hoc quidem placet. Quum enim R[2] scripturam CVIII in CV mutaverit, aliquid saltem in archetypo libro repperisse putandus est librarius quod a priore cod. R[1] lectione abhorreret. Scilicet ubi diviseris numeros CVIIII in CV. IIII, intelliges interpolatorem non olympiadem centesimam nonam (seu octavam), sed olympiadis centesimae quintae annum quartum (seu tertium) nominari putasse eique computo recte facto annum urbis CCCXCVIII. appinxisse. Correspondet enim annus Ol. CV. 4. anno a. u. CCCCXCVIII. e dimidia certe parte. Nos autem spuriis verbis deletis *olympiade CVIII* scribemus.

67 = 16, 13. 12

Sol deinde medio fertur inter duas partes flexuoso draconum meatu inaequalis, Martis stella quatuor *medias*, Iovis *mediam* et super eam *duas*, Saturni duabus ut sol.

Vix ferenda esset casuum permutatio, etiamsi omnes codices in ea consentirent. Nunc vero, quum R[1] *mediis*, R[2] *duabus* legant, sine dubio reponendum est: *quatuor mediis, Iovis media e. s. e. duabus.*

85 = 23, 21. 13

Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus [*hoc est pedes sexcentos viginti quinque*].

Recte quidem stadii et passuum mensura ad pedes

redigitur, cf. Vitruv. I. 6, Colum. V. 1, Censorin. c. 13, sed ut Plinius rem Romanis notissimam adiiceret nulla causa fuit. Scilicet ille ubique in intervallis metiendis stadia ad passus, nusquam vero ad pedes refert, cf. §. 247, XII. 53. Quapropter ultima verba eiicienda esse persuasum habeo. Fuerant illa in archetypo versui superscripta.

14 101 = 37, 37.

(Stellae) et antemnis navigantium aliisque navium partibus ceu vocali quodam sono insistunt ut volucres sedem ex sede quaerentes —

Displicet comparatio qua stellae quasi cantu antemnis insidere dicuntur. Collatis igitur Senecae locis Nat. Qu. I. 1. et V. 12 legere malim:

cum caeli quodam sono

cf. Plin. infr. §. 112.

15 102 = 38, 38.

Hinc nubila et tonitrua et alia fulmina, hinc... plurima mortalium mala rel.

Quid sibi velit illud *alia*, quum de fulminibus nunc primum sermo sit, non intelligo. Neque Dalecampii sive Pintiani, quem Silligius nominat, coniectura *illa* satisfacit. Scribendum est *letalia* (nam de malis loquitur Plinius) et copula post *nubila*, quae vulgo deest, cum omnibus fere codicibus deleta legendum:

nubila, tonitrua, letalia fulmina, hinc grandines, pruinae rel.

16 117 = 46, 45.

Quo magis miror, orbe discordi et in regna [hoc est in membra] diviso, tot viris curae fuisse tam ardua inventu rel.

Olim orbem in multa regna divisum plurimos viros doctrina et ingenio claros tulisse miratur Plinius, quum nunc uno terrarum domino studia relicta iaceant. Expellendum est igitur molestum glossema *hoc est in membra*, quo aliquis divisionem orbis illustrare studuit.

118 (ibidem). 17

— et immensa multitudo aperto quodcunque est mari hospitalique littorum omnium appulsu navigat —

quocunque a^2 d r b *quaecunque* a^1 *cunque* R — *est*, in d rasura. — Itaque scribendum videtur:

aperto quocunque mari

§. *121.* vulgo recte editur *item*. Nam circius ab occidente spirat, caecias ab oriente.

122 = 47, 47. 18

Favonium quidam a. d. VIII. Kalendas Martii chelidonian vocant ab hirundinis visu, nonnulli vero ornithian uno et LXX. (?) die post brumam ab adventu avium flantem per dies novem.

Levi transpositione sanatur locus. Sicut enim favonium ab hirundinis visu chelidonian, ita ab avium adventu ornithian vocari narratur. Itaque legendum est:

nonnulli vero ornithian ab adventu avium uno rel.

129 = 47, 48. 19

Septem triones impari fere desinunt numero, quae observatio et in aliis multis rerum naturae partibus valet; mares itaque existimantur impares numeris. Sol rel.

imparis numero vulgo legitur cum cod. a. Ceteri ita

scribunt: *impares* R^2 T P d (nam K i. e. veterem Dalecampii pro codice Ms. non habeo), *impari* R^1 — *numeri* Td^1 *numeres* R^1 *numeris* R^2, unde Ianus dum miro iudicio coniicit *muneri* nimium mulieribus videtur tribuisse. Poterat tamen vel a Macrobio suo ad Somn. Scip. I. 6. meliora doceri qui loco iam ab Harduino laudato imparem numerum marem et parem feminam vocari tradidit. Scilicet quum non in ventorum tantum flatibus sed saepe praeterea imparem numerum valere observasset Plinius, numerorum in universum distributionem inde factam esse animadvertit. Deleta igitur littera s quae in R. e proxima voce *sol* priori adhaesit, scribendum est:

mares itaque existimantur impares numeri.

20 **131 = 48, 49.**

Sin vero depresso sinu artius rotati effregerunt *(nubem flatus)*, sine igne [hoc est sine fulmine] verticem faciunt, qui typhon vocatur [hoc est vibratus ecnephias].

Manifesto glossemate rarior usus vocis *ignis*, quae saepius a Lucretio VI. 87. sqq., etiam a Seneca N. Qu. V. 12. et aliis pro fulmine adhibetur, explicatur. Item in fine sententiae a docto interpolatore typhon verbis *hoc est vibratus ecnephias* illustratur, quum tamen typhon ab ecnephia mox §. 133. distinguatur. Quibus eiectis germana Plinii verba haec evadunt:

sine igne verticem faciunt, qui typhon vocatur.

21 **134 = 49, 50.**

Fit et calligo belluae similis, nube dira navigantibus. — Vocatur et columna, cum spissatus umor rigensque ipse se sustinet; ex eodem genere et in longum veluti fistula [nubes] aquam trahit.

Initio cum R scribere malim: *Fit et caligo belluae simili nube, dira navigantibus* (cf. Cic. de divin. II. 21). In altero sensu recte Silligius nomen rei quae h. l. describitur flagitari observat, quod interpunctione mutata et glossemate extruso restituitur. Ad verba enim *ex eodem genere* temere adscriptum fuerat *nubes* quod a cod. Θ abest. Quo omisso ita oratio optime procedit:

> *Vocatur et columna — sustinet, ex eodem genere, et in l. v. fistula aquam trahit.*

Cf. Lucret. VI. 426 sqq. Aliter interpungendum esse etiam Ianus l. l. vidit.

137 = 51, 52. 22

Marcia princeps Romanarum icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit.

Corrupta haec esse manifestum est, quum femina princeps Romanarum appellari nullo modo possit. Quod autem acute coniecit Ianus *princeps matronarum* probarem equidem, si aut matronarum principatus certa quaedam dignitas aut Marcia tam insignis virtute fuisset ut inter omnes matronas princeps haberetur. At vero tale nihil memoriae proditur. Iam vero optimi codices R^1 T a d legunt *Romanorum*, qua scriptura recepta *princeps* in *principis* mutandum videtur, ita ut nomen unde genitivus pendeat, exciderit. Quod e litteris *umict* restituendum est *auia*. Marcia enim, Q. Marcii Regis soror, quae C. Iulio Caesari nupserat, dictatoris Caesaris avia fuit, quem eodem modo principem Romanorum appellare licuit Plinio, quo XXII. 20. Periclem Atheniensium principem vocavit. Scribendum est igitur, ut videtur:

principis Romanorum avia.

23 **141 = 53, 54.**

Imperare naturae sacra, audacis est credere, nec minus hebetis, beneficiis abrogare vires, quando in fulgurum quoque interpretatione eo profecit scientia ut ventura alia finito die praecinat rel.

Egregie Silligius e libris Mss. vocem *sacra* restituit, qua ad locum superiorem remandamur §. 140, ubi „sacris quibusdam et precationibus fulmina cogi vel impetrari“ dicuntur. Vellem alterum vocabulum emendasset, quo precationes indicantur. Beneficiis enim naturae vires minime abrogantur, quamvis precationibus efficacibus in humanum genus beneficia conferantur, sed precibus ac devotionibus arcanisque quibusdam ritibus. Sicut igitur §. 54. veneficia in lunae defectu argui, XXV. 10. loco simillimo ratione, non veneficiis et herbis solis lunaeque defectus praenuntiari dicuntur, ita h. l. hebetis est

veneficiis abrogare vires.

24 **143 = 54, 55.**

In sedecim partes caelum in eo respectu divisere Tusci.

Sic ex antiquis editionibus Silligius. Melius Harduinus e codd. ad[2] r *aspectu*: malim tamen cum RSTd[1] *spectu* recipere, ut rariore vocabulo spectio caeli significetur.

25 **149 = 58, 59.**

Celebrant Graeci Anaxagoran — praedixisse — quibus diebus saxum casurum esset e sole, idque factum interdiu in Thraciae parte ad Aegos flumen. Qui lapis etiamnunc ostenditur magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante.

Quum ultima verba manifesto ad id tempus pertineant, quo saxum de caelo delapsum est (cf. Plut. Lys. 15. et interpp. ad Chron. Par. ep. 51), ita ut nunc quidem leguntur salva structura esse non potest. Neque verisimile est verba *Qui lapis - adusto* postea a Plinio margini adscripta esse, quum hanc quidem operis partem ipse procul dubio ediderit, et pauci loci ita tantum intelligi ac defendi possint, ut post eius obitum a margine in orationis contextum recepti videantur. His accedit quod reliquos quoque lapides sua aetate exstare accurate narravit. Itaque praestat ad transpositionem confugere locumque ita constituere:

— *ad Aegos flumen, comete quoque illis noctibus flagrante. Qui lapis* rel.

Similiter §. 133. priores sensus praepostero ordine legi Pintianus monuit.

151 = 59, 60. 26

Fiunt autem *(arcus)* hieme maxime ab aequinoctio autumnali die decrescente; quo rursus crescente ab aequinoctio verno non exsistunt nec circa solstitium longissimis diebus, bruma vero [id est brevissimis] frequentes.

Sic e cod. R Silligius, in ad et vulgata *brevissimis diebus* legitur. Utrumque falso. Nam quum Plinius eleganter et perspicue orationem ita variaverit, ut longissimos dies circa solstitium brumae opponeret, interpolator rem adiecta glossula „*id est brevissimis diebus*“ illustrandam esse arbitratus est. §. 157. aut cum Ruhnkenio *effoditur* aut *eruitur* scribendum est.

160 = 64, 64. 27

Namque in illo *(caelo)* cava in se convexitas vergit et cardini suo [hoc est terrae] incumbit;

haec *(terra)* ut solida atque conferta adsurgit intumescenti similis extraque protenditur.

Verba „*hoc est terrae*" minime necessaria et, quum terrae modo mentio fiat, molesta e §.11.*) et 44. ab interpolatore repetita sunt.

28 **162 = 65, 65.**

Cui sententiae adest Dicaearchus vir in primis eruditus regum cura permensus montes, ex quibus altissimum prodidit Pelion MCCL passuum, ratione perpendiculi nullam esse eam portionem universae rotunditatis colligens.

Ratione perpendiculi sive a perpendiculo, ut §.87. legimus, ipsa mensura computatur, quapropter pone v. ***perpendiculi*** erit interpungendum. Pergit Plinius;

Mihi incerta haec videtur coniectatio, haud ignaro (nam ita sine dubio cum codd. fere omnibus recte vulgo legitur, etsi Silligius cum R^1 *ignoto* mavult) **quosdam Alpium vertices longo tractu nec breviore quinquaginta milium passuum adsurgere.**

milium R^1 d. ***milia*** R^2 ***milibus*** a β γ (etiam ut videtur T). Immanem Alpium altitudinem vitio scribendi in numeris frequentissimo deberi manifestum est. IIM coniecit Broterius, VM, ut Forbiger Geogr. ant. III, p. 113. refert, Rezzonicus, possit etiam e Strabone IV. p. 203. XIIMD scribi, nam ibi centum stadia numerantur. Restat tamen difficultas in proximis verbis sita ***longo tractu*** rel. Quae

*) Male ibi Ianus Nunt. Monac. 1852. no. 70. coniecit *cardinem*. Neque enim *stare pendentem* terram dicere commode potuit Plinius neque addere *librantem quae pendeat*, nisi docuisset, unde penderet. Eo enim loco cardo est axis cum polis qui IV. 89. *cardines mundi* appellantur.

e constanti Plinii usu non ad altitudinem sed ad terrae spatium pertinent, per cuius latitudinem altissimi montes porriguntur. Cf. IV. 91, VIII. 24, IX. 106, XXXI. 58. Quapropter verbis *quinquaginta milium* duas mensuras contineri arbitror, quarum priore eius regionis longitudo indicetur, in qua altissimi montes inesse dicantur, a Vesulo (cf. *III.* 117) septentrionem versus sitae, altera verticum altitudo exprimatur. Videtur igitur scribi oportere:

nec breviore quinquaginta mil. VM passuum rel., nisi cum Broterio rei veritati accommodatius hic quoque, quod saepe accidit, *II* et u permutata esse et legere malis — *quinquaginta mil. II M passuum.* Obiter moneo §. 168. post v. *eremigatus* leviore interpunctione utendum esse.

173 = 68, 68. 29

Idem *(oceanus)* interfusus intrat per tot maria quibus Africam, Europam, Asiam dispescit, quantum terrarum occupat?

Vocem *intrat* e dittographia proximae vocis ortum putat Silligius, quippe qua, ut nunc quidem legitur, enuntiationis concinnitas, prorsus evertatur. Verum aliquo tamen vocabulo mediterraneum mare, quod §. 205, III. 4, 31, V. 18. internum appellatur, ab iis quae iam commemorata sunt, distingui oportet. Quare una littera deleta legere malo:

interfusus intra.

Quam enim Ianus l. l. structuram proposuit, qua verba *quantum terrarum occupat* ad duo cola *idem siquidem* rel. et *idem interfusus* aeque pertineant, nimis contortam esse arbitror. Proxima idem recte videtur distinxisse.

180 et 81 = 70, 72 et 71, 73. 30

Eiusdem Alexandri cursor Philonides rel.

Cuius tandem Alexandri? nempe Magni, qui tamen in sensibus proxime praecedentibus non nominatur, ubi de turribus Hannibalis, de speculis Asiaticis sermo est. Hic primum traiectione paullo quidem audaciore, sed prorsus necessaria utendum erit, ex archetypi forma, ut dicemus, explicanda. Scilicet quum §. 180. de Alexandro locutus sit Plinius, manifesto quae inde a v. *Eiusdem* usque ad *comitantes* leguntur §. 180. pone v. *exoriens* transponenda sunt. Quod ubi factum erit, a noctium et dierum inaequalitate ad horarum differentias §. 182. commode transitur. In quo enuntiato ut aut *trecentis* aut *quingenis* legatur orationis concinnitas postulat.

31 185 = 73, 75.

Septentrionem, ibi *(Patalis)* Alexandro morante, adnotatum prima tantum parte noctis adspici.

Ita male etiam apud Silligium interpungitur, quum v. *ibi* necessario ad *adnotatum adspici* referenda sit.

32 189 = 78, 80.

Namque et Aethiopas vicini sideris vapore torreri adustisque similes gigni, barba et capillo vibrato, non est dubium, et adversa plaga mundi candida atque glaciali cute esse gentes, flavis promissas crinibus; truces vero et caeli rigorem has, illas mobilitates habentes ipso crurum argumento; illis in supera sucum revocari natura vaporis, his in inferas partes depelli humoris deciduo; hic graves feras, illic varias effigies animalium provenire et maxime alitum, in multas figuras gigni volucres.

Impeditissimum locum ita e codicibus scripsit Silligius,

mobilitatem legendum esse ratus. Antea legebatur, quod nuper Iano placuit: *truces ex caeli rigore has, illas mobilitate hebetes* e Rhodigini maxime coniectura Lect. ant. III. 12, qui tamen *has* et *illas* male coniunxit. Duobus vitiis etiamnum laborat oratio. Et primum quidem crurum siccorum vel crassorum argumento caeli rigor aut ignea mobilitas (cll. VI. 187) non habetur, sed proditur, quare e librorum Mss. vestigiis

mobilitates habentes

efficiatur oportet lineola qua accusativus significabatur, restituta:

mobilitatem sapientes;

deinde ultima verba transpositione sananda sunt. Nam et apud Aethiopas et in terris ad septentrionem sitis varias feras et miras volucres gigni narrat Plinius, quarum quae in saltu Hercynio proveniunt, X. 132. describuntur. Nostro vero loco Germanicae alites non commemorantur, quum Aethiopicae molesta repetitione bis nominentur. Falsum utrumque. Itaque copula *et* e vulgata scriptura, quacum consentiunt codd. R[1] a[2], servata scribendum est:

hic graves feras et in multas figuras gigni volucres, illic varias effigies animalium provenire et maxime alitum.

198 = 82, 84. 33

Tutissimum est cum vibrat *(motus)* crispante aedificiorum crepitu et cum intumescit adsurgens alternoque motu residit, innoxium et cum concurrentia tecta contrario ictu arietant, [quoniam alter motus alteri renititur].

Exulet molestum additamentum, quo interpolator causam quae iam ablativis breviter significatur, quomodo supra „alterno pulsu renitente“ dicebatur, plenius describere voluit. Finiatur igitur sententia in v. *arietant*.

34 201 = 85, 87.

Nascuntur enim *(terrae)* nec fluminum tantum invectu, sicut Echinades insulae ab Acheloo amne congestae maiorque pars Aegypti a Nilo, in quam a Pharo insula noctis et diei cursum fuisse Homero credimus, nec recessu maris, sicut idem Circeiis, quod accidisse et in Ambraciae portu decem milium passuum intervallo et Atheniensium quinque milium passuum memoratur rel.

Vulgo legebatur *eidem de Circeiis* e Barbari emendatione. Codicum scripturam ita explicat Silligius: *sicut idem dicit Circeiis fuisse.* Quod quum in Plinii verbis inesse nequeat, melius Ianus lacunam indicavit, ita fere explendam: *sicut idem testis est factum esse idem Circeiis quod* rel. Atqui omnes eo falluntur, quod ab Homero aliquid narrari volunt, quod illi ne in mentem quidem venire potuerit. Poeta enim insulam nominat, itaque de ea locorum mutatione qua cum continenti terra Circeii coniuncti esse perhibentur, manifesto non loquitur. Neque ei excusationi locum esse, qua plerique abuti solent ut Plinium erroris insimulent, e libro III. §. 57. apparet, ubi describitur „Circeii quondam insula immenso quidem mari circumdata (ut creditur Homero) et nunc planitie". Immo Plinius non Ambraciae solum sed etiam Circeiis decem milia passuum terrae accessisse narravit, atque eandem mensuram l. l. profert. Itaque deleto pronomine scribendum est: *sicut idem Circeiis accidisse et i. A. p.* Deinde genitivo *Atheniensium* structura verborum turbatur. Et vitium quidem scripturae varietate proditur. Nam *sium* in cod. d in rasura est, mensura omittitur in Td. Litteras igitur *VM* e proximis VM male repetitas esse apparet et

restituendum esse: *Athenis V milium.* Postremo alterum *passuum* cum omnibus codd. praeter R et vulgatis exemplis omitti oportet.

Ibidem. 35

Herodoto quidem si credimus, mare fuit supra Memphim usque ad Aethiopum montes itemque a planis Arabiae, mare circa Ilium et tota Teuthranie quaque campos intulerit Maeander.

Non congruere Plinii locum cum iis quae Herodotus II. 10. et 11. disputavit, Pintianus perspexit, quamquam et ipse dum *in planis* coniicit, Herodoti mentem non est assecutus. Scilicet Herodotus sinum maris quem in Aegypto *olim* exstitisse sibi persuaserat, cum Arabico, quem talem noverat qualis hodieque conspicitur, comparavit (cf. Niebuhr. Opusc. vol. I. p. 150), neque immanem quem Plinius ei obtrudere videtur errorem unquam commisit. Num igitur huius Plinium insimulabimus? Minime, modo vera apud eum lectio restituatur. Scilicet „plana Arabiae" non sunt in peninsula Arabica sita, sed in ipsis Aegypti confiniis. Quum enim Nilo amne Africam ab Asia dirimi arbitretur Plinius III. 3, V. 47, ultra ostium Pelusiacum Arabiam sitam esse perhibet V. 65, quae Iudaeam ab Aegypto distermi net XII. 46, urbemque Heliopolim Arabiae conterminam nominat V. 61. Quae quum fere e regione Memphis sita fuerit, maris illius interni fines optime Aethiopum montibus et Arabiae planis describuntur. Librarii autem qui archetypum descripsit, oculi errarunt, quod unum versum omisit postea praepostero loco insertum. Scribendum est igitur:

— *mare fuit supra Memphim a planis Arabiae usque ad Aethiopum montes itemque mare* rel.

36 **202 = 87, 89.**

Clarae iam pridem insulae Delos et Rhodos memoriae produntur enatae. Postea minores, ultra Melon Anaphe, inter Lemnum et Hellespontum Neae, inter Lebedum et Teon Halone, inter Cycladas olympiadis CXXXV. anno quarto Thera et Therasia, inter easdem post annos CXXX Hiera eademque Automate et ab ea duobus stadiis post annos CX in nostro aevo M. Iunio Silano L. Balbo coss. a. d. VIII. idus Iulias Thia.

Nullum in toto Pliniano opere locum nostro foedius depravatum interpolatumque dixerim, quo et omnium auctorum in re gravissima consensui et sibi ipse librariorum errore repugnare videatur. Quod iam a Petito animadversum esse a Silligio didici, ceterum quid ille Obss. I. 1. p. 9. mutandum censuerit, hic terrarum investigare mihi non licuit. Primum ecquis fando audivit, nobilissimam et antiquissimam insulam Theram recenti aetate e mari prodiisse, deinde quis unquam credat, rem quam ipse Plinius aevo suo accidisse narrat, ad falsum annum referri? Ut enim hinc initium disputandi fiat, prope Theram eandem insulam, quam Plinius Thiam appellat, „spectantibus nobis in Aegaeo mari enatam" Seneca Nat. Qu. VI. 21. et II. 26. commemorat, verum Valerio Asiatico iterum consule id accidisse narrat. Qui anno a. u. c. DCCXCIX. (utar enim Varroniana aera eadem qua Plinius) sive p. Chr. n. 46. iterum consul fuit collega M. Iunio Silano, quem nostro quoque loco nominari videmus. Manifestum est igitur eundem annum significari. Nam quod vulgo additur L. Balbus, id Barbari coniectura factum est prorsus temeraria. Fuit quidem L. Norbanus Balbus M. Iunii Silani in con-

sulatu collega, sed anno DCCLXXII, de quo Plinius ne cogitare quidem potuit. Codd. autem Mss. non hunc sed Laelium Balbum nominant, dum R[1] TΘd *M. Caelio Balbo*, A *Caelio Balbo*, R[2] *C. Lelio Balbo*, S *M. Laelio Balbo*, a *maro lellio ballo* scribunt. Atqui D. Laelius Balbus anno DCCXLVIII. consulatu functus est; nam quod in praenomine recentiores codices erraruut, quum in vetustissimo A neutrius consulis praenomen repperiatur, colligi licet, in archetypo quoque scriptum fuisse *Iulio Silano Laelio Balbo cos.* Plinius ipse Iunium tantum Silanum nominavit, sicut alibi quoque unum consulem appellare satis habuit. Ita v. c. IX. 137. legimus „Cicerone consule", XVI. 11. „Cornelio Cosso consule", XXII. 13. „Manilio consule" et „M. Cicerone filio consule". Cur autem ab antiqua manu *Laelio Balbo* falso additum sit, statim videbimus. Iam vero centum et decem annis ante Silani consulatum Hiera et Automate e mari prodiisse narrantur, id quoque falso. Nam magno consensu ol. CXLV. anno quarto i. e. ante Chr. n. a. 197. eas insulas in altum sublatas esse tradunt Strabo I. p. 57, Iustinus XXX. 4, Plutarchus de Pythiae oraculis p. 399. atque Eusebius in chronico, omnes Posidonium secuti, quem Seneca Nat. Qu. II. 26. auctorem citat, et quem Plinius ipse ante oculos habuit. Atque hunc ipsum annum levi correctione apud eum alieno sane, ut nunc quidem videtur, loco restituere licet. Codex enim A, omnium optimus et vetustissimus, initio enuntiati non quod vulgo legitur CXXXV. exhibet, sed *olympiadis centum XLII. anno quarto*, numeros autem *II* et u saepissime inter se permutari notum est. Apparet igitur reliquis libris denarium numerum addendum esse. Atque sic iam evanescit monstrum illud erroris, quem a Plinio committi potuisse pernegamus. Fabuloso enim aevo Theram e mari prodiisse infra IV. 70. his verbis cum nostro loco conci-

liandis narrat: „Thera, cum primum emersit Calliste dicta. Ex ea avolsa postea Therasia atque inter duas enata mox Automate, eadem Hiera, et in nostro aevo Thia iuxta easdem enata“. Scilicet bifariam peccavit ille librarius, ad cuius exemplar nostri codices efformati sunt, et prava versuum dispositione et iteratis vocibus *post annos*. Ita enim Plinii verba ut emendentur opus est:

inter Cycladas Thera et Therasia, inter easdem olympiadis CXLV. anno quarto Hiera eademque Automate et ab ea duobus stadiis post annos CCXXXXII nostro aevo Iunio Silano cos. a. d. VIII. idus Iulias Thia.

Quodsi a. ol. CXLV. 4. respondet anno a. u. c. DLVII, additis annis CCXXXXII annum nanciscimur DCCXCIX. id est Valerii Asiatici et Iunii Silani consulatum, quo Thiam insulam enatam esse constat. In codice autem Plinii antiquo qui protarchetypum exaravit librarius, deficiente in priore versu membrana haec ita scripta repperisse putandus est:

ET AB EA DVOBVS STADIIS POST ANNOS CXXX
CXII
NOSTRO AEVO.

Duos igitur diversos numeros legi ratus librarius e superiore versu verba *post annos* iteravit, unde factum est ut miserum in modum omnia pessumdarentur. Ubi enim ita e duobus miraculis tria facta sunt, primo, ut videtur, numero CXLV. in CXLII. corrupto, rationes non constare intellexit homo non indoctus easque prava sedulitate corrigere conatus est. Annum olympiadis CXLII. quartum respondere animadvertit anno a. u. c. DVII. vel DVI. Huic CXXX annis adiunctis annum nactus erat DCXXXVI, cui quum annos adderet CXII, incidit in annum DCCXXXXVIII, quo Laelium Balbum consulem fuisse sciebat. Addidit igitur in margine *Laelio Balbo*, Silani nomen errore ortum esse arbitratus. Hinc tandem evenit ut in nostris codicibus et Balbus Silano collega tribuere-

tur et numerus II eodem modo in IN corrumperetur, quo §. 242. in codd. ARd germanae scripturae $\overline{\text{DCCCXCI}}$ ultimus numerus $\overline{\text{I}}$ proxima voce *Id* haustus est. Simili errore factum est, ut §. 37. uno numero leviter corrupto alter a librario corrigeretur. Ceterum e nostro fortasse loco corrigi poterunt Cononis verba c. 49, in quibus insulae nomen excidisse vidit Kannius: ἐν Ἀνάφῃ τῇ νήσῳ (αὕτη δ' ἐστὶν ὑπὲρ νήσου Θήρας, οὐχ ἑκὰς τῆς Λακεδαιμονίων). Scribendum videtur ὑπὲρ Μήλου νήσου, Θήρας οὐχ ἑκὰς τῆς Λακεδαιμονίων.

206 = 92, 94. 37

Pyrram et Antissam circa Maeotim pontus abstulit, Helicen et Buram sinus Corinthius —

Incredibile est duo oppida in vicinia paludis Maeotis sita tam obscuro interitu occubuisse ut praeter nostrum locum a nemine unquam nominarentur. Atqui in Lesbo insula Pyrram mari haustam esse infra V. 139. traditur, terrae motu prostratam, quod Strabonis verbis XIII. p. 618. ἡ δὲ Πύῤῥα κατέστραπται demonstratur. Apparet igitur alterum quoque oppidum eodem motu cum maritima tempestate coniuncto deletum esse. Ea est autem Arisba „terrarum motu subversa“ (cf. l. l.), cuius agrum tenuerunt Methymnaei (cf. Herod. I. 151, Strab. XIII. p. 590), qui Antissam quoque in se traxerunt (cf. Plin. l. l. Liv. XLV. 31). Hinc efficitur nostro loco pro *Maeotim* legendum esse *Methymnam*, quod in protarchetypo ultima syllaba omissa vitiose scriptum fuerat *Meotim*, sicut §. 202. in cod. A *Neae* in *Neao*, §. 219. *Baetis* in cod. a[1] *Boeotis*, in cod. R[1] *Baeotis* corrumpitur. *Antissam* autem quam modo §. 204. se scribere meminerat librarius, hic facili lapsu iteravit. Itaque scribendum erit:

Pyrram et Arisbam circa Methymnam.

38 **Ibidem.**

rapuit et in Sicilia dimidiam Tyndarida urbem [ac quidquid ab Italia deest].

Ultima verba non auderem in suspicionem vocare, nisi abunde iam constare putarem, quam licenter in hoc opere interpolatoris manus grassatae essent. Quum enim eum ordinem tenuerit Plinius ut §. 204. de insulis terrae motu factis disputaret, quarum primam, ut decebat, Siciliam commemoravit, deinde insulas terrae iunctas et terras in totum sublatas enumeraret §. 205, iam litora quoque maris violentia imminuta esse narrat, a quibus fretum Siculum alienum est. Itaque „*ac quidquid*" rel. postea a librario addita esse arbitror.

39 **217 = 97, 99.**

Omnes autem aestus in oceano maiora integunt spatia inundantque quam in reliquo mari, sive quia totum universitate animosius quam parte est rel.

Primum e codd. Aad recipiendum est *nudantque* quo recedens aestus indicetur; deinde in fine sensus legendum:

quia totum in universitate animosius quam partes est.

Opponuntur enim totum et partes quibus universitas i. e. universum (cll. §. 12, III. 1) constat. Atque talem codex optimus A locum luculente exhibet, nisi quod levi errore sicut reliqui libri *parte* scripsit.

40 **218 = 97, 99.**

— quoniam et in corpore extrema pulsum venarum [id est spiritus] magis sentiunt.

„Spiritus semitae" appellantur arteriae XI. 218, quippe quae „vitalem continent spiritum" (ib. 220), cuius loci memor interpolator ineptam annotationem „id est spiritus" h. l. in-

seruit. Nam ne quis venarum et arteriarum discrimine quod illic exponitur, abusus locum nostrum ab altero diversum esse contendat, idem Herophilus qui XI. 219, „arteriarum pulsum in modulos certos legesque metricas" descripsisse narratur, XXIX. 6. „in musicos pedes venarum pulsu descripto" inclaruisse fertur. Scribendum est igitur verbis suppositiciis deletis:

pulsum venarum magis sentiunt.

225 = 103, 106. 41

Quidam *(amnes)* vero odio maris subeunt vada

maris ipsa A et Rob. *ipsa vada* d R[1] a[1] *vada* omittunt. Nescio cur optimi libri scripturam spreverit Silligius. Namque ipsa vada ut subirent amnes maris odio adactos esse *Plinianae* quidem elegantiae valde est accommodatum. Vox autem *ipse* eodem modo §. 164. usurpatur.

226 = 103, 106. 42

In Ciconum flumine et [in Piceno] lacu Velino lignum deiectum lapideo cortice obducitur.

Benigna interpretatione uti libuit Harduino qua eam Sabinorum regionem, ex qua orti sint Picentes, Piceni nomine appellari vellet. Cll. III. 110, Strab. V. p. 228. Verum tamen, ut omittam, Picentes vix e lacus Velini vicinia sed ab antiquissimis Sabinorum sedibus Amiterno et Testrina profectos visos esse veteribus, certum est lacum Velinum nihilo magis in Piceno collocari potuisse a Plinio quam Syracusas in Peloponneso, quum infra III. 109. et 110. disertis verbis Velinos lacus Sabinis i. e. quartae Italiae regioni tribuat, Picenum autem a latere Sabinorum situm quintam fuisse tradat. Quodsi igitur tam insignem errorem ipse non commisisse putandus est, consentaneum est, ut verba *in Piceno* grammaticus quidam vel librarius

adscripsisse videatur. Recte ille quidem e suorum temporum ratione ac vere. Nam postrema imperii Romani aetate Piceni nomen latius patuisse notum est, ita ut quondam etiam Sabinorum agrum comprehenderet. Quem Paulus quidem Diaconus II. 20. Valeria contineri narravit, quocum consentire videtur Notit. Dign. Occ. c. 18. et Cod. Thedos. IX. 30. 5, sicut liber colon. I. (Gromat. vett. ed. Lachmann. vol. I. p. 228), quum liber II. p. 259. Reate oppidum, quod Valeriae caput fuisse coniecit Boeckingius ad Not. p. 438, inter civitates Piceni enumeret. Iam Niebuhrius autem Chorogr. ant. p. 347, fragm. Vatic. §. 35. haud dubie usus, Valeriam et Picenum interdum ita coniungi animadvertit, ut Albam Fucentium quam ille primariam provinciae Valeriae urbem fuisse arbitratur, in rescripto principum *Alba in Piceno* appelletur. Universam rem egregie Mommsenius exposuit in doctissimo commentario de libris coloniarum (Gromat. vol. II. p. 210). Quum enim inde ab anno 313. usque ad annum 365. quaecunque inter Samnium, Campaniam, Tusciam, Umbriam et Aemiliam sita erant, uno Flaminiae et Piceni annonarii ac suburbicarii nomine comprehenderentur, atque inde ab anno 365. usque ad annum 399. duo provinciae iisdem nominibus discernerentur, inde ab a. 399. Sabini Marsique Valeriam provinciam effecerunt, Piceno in artiores fines redacto. Hinc certissimo argumento colligere licet, verbis *in Piceno* a Plinii aetate alienissimis eo tempore accuratius Velini lacus situm indicari coeptum esse, quo ager Reatinus ad Picenum provinciam pertinebat, et ante quam a Piceno Valeria separaretur. Scripta sunt igitur inter annum 313. et 399, fortasse inter a. 365. et 399. Quod inventum quantum ad historiam librorum Plinianorum accuratius investigandam conferat, nunc indicasse satis erit.

43 In proximo enuntiato verba *ultra Surrentum* non

ipsius Plinii esse arbitror. Quum enim Ciconum flumen multo minus notum quam Silarum nominare satis habuerit, Silaro fluvio inter Italos celeberrimo vix videtur ineptam situs descriptionem addidisse, quum a Surrento urbe magno intervallo Silarus distet. Ferrem si *ultra Salernos* legeretur, *ultra Surrentum* ferendum esse nego, quod toto Picentinorum agro a Silaro discernebatur, cf. III. 70.

§. 231. non intelligo cur et Silligius et Ianus facillimam emendationem Welckeri ad Philostr. p. 356. *dies* Θεοδαίσια spreverint, cum et codd. AR *dies* exhibeant et *theodesia* apud Robertum legatur.

237 et 238 = 106, 110. 44

Campus Babyloniae flagrat quadam veluti piscina iugeri magnitudine, Aethiopum iuxta Hesperium montem stellarum modo campi noctu; similiter in Megalopolitanorum agro, tametsi internus sit ille, iucundus frondemque densi supra se nemoris non adurens. Et iuxta gelidum fontem semper ardens Nymphaei crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradidit; augetur imbribus egeritque bitumen temperandum fonte illo ingustabili, alias omni bitumine dilutius.

Cum Iano, cuius dissertationem nunc inspicere non licet, mihi videor consentire, dum scribo: *in Megalopolitanorum agro. Nam si intermisit ille iucundus frondemque densi supra se nemoris non adurens et iuxta egelidum fontem semper ardens Nymphaei crater, dira Apolloniatis suis portendit.* Postquam enim locum τὸ Βύθος dictum (cf. Paus. VIII. 29. 1) indicavit Plinius, de Nymphaeo uberius loquitur transitione pro more suo a v. *nam* facta, atque

Nymphaeum tam constanter ardere refert, ut, si quando intermittat ignis, calamitas oppido vicino imminere videatur. Loci autem situm tam similibus verbis descripsit Dio Cass. XLI. 45, ut nemoris iucunditatem eidem monti tribui manifesto appareat. Ceterum pro *gelidum* cum Pintiano e Strabone VII. p. 310. *egelidum* scripsi.

LIBER III.

45 1, 2 = Sect. 1.

Quapropter auctorem neminem unum sequar, sed ut quemque verissimum in quaque parte arbitrabor. Quoniam commune ferme omnibus fuit ut eos quisque diligentissime situs diceret in quibus ipse prodebat, ideo nec culpabo aut coarguam quemquam.

Elumbis, si hanc Silligii interpunctionem sequaris, et inconcinna sententia. Diversos in diversis partibus auctores se idcirco secuturum esse ait Plinius, quoniam ea tantum singuli accurate prodiderint, quae ut vicina accurate novissent, atque propterea non ea vituperanda, quae nescirent, sed quae recte protulissent laudanda esse. Scribendum est igitur:

arbitrabor, quoniam — prodebat; ideo nec culpabo aut coarguam quemquam.

Ultima verba non esse apodosin, sed novi aliquid adiicere iam Harduinus interpunctione significavit.

46 6 = 1, 2.

In eo prima Hispania terrarum est ulterior appellata, eadem Baetica; mox a fine Urgitano citerior eademque Tarraconensis ad Pyrenaei iuga.

Opponitur ulterior Hispania citeriori additis cognominibus, neque Hispania citeriori, e vulgata vero interpungendi ratione Hispania in universum parti cuidam eiusdem regionis. Interpungendum est igitur:

Hispania terrarum est ulterior, appellata eadem Baetica; mox a fine Urcitano rel.

Urcitano scribendum esse nomine oppidi *Urci* §. 19. demonstratur, quod a Ptolemaeo II. 6. 14. vocatur Οὔρκη. Ceterum e codice A, quem prae reliquis sequi par est, non *se in stagna fundens* sed *in stagna se fundens* scribendum est. Habet enim priore *se* omisso *stagnas effundens*.

10 et 11 = 1, 3. 47

Corduba colonia Patricia e cognomine.

E cod. A scribendum est *Patricia* casu nominativo quem etiam §. 11. in verbis leviter corruptis *Ilipa cognomine Illa, Italica* reperimus. Pro *Illa* enim AR[2] legunt *Ilpa* e varia scilicet scriptura, unde verum cognomen excidisse apparet, fortasse e Ptolem. II. 4. 13. *magna* restituendum.

17 = 2, 3. 48

Agrippam quidem in tanta viri diligentia praeterque in hoc opere [cura], orbem cum terrarum orbi spectandum propositurus esset, errasse quis credat rel.

Primum cum veteribus editoribus restituendum est *urbi*, quod vocabulum saepissime cum *orbi* permutari monuit Hauptius Quaest. Catull. p. 21. Quis enim porticum Polae alibi quam Romae spectari potuisse dixerit? Deinde *cura* utpote e dittographia ortum expungatur. Scilicet in A *cura orbem cum*, in R *cura cum orbem cum*, in d

3*

et ut videtur T legitur *cura cum orbem.* Unde efficitur scriptura multo sermonis elegantiae aptior:

praeterque in hoc opere, cum orbem terrarum urbi sp. p. e.

49 19 = 3, 4.

Mentesani hic et §. 25. in *Mentisani* mutandi sunt, quippe a Mentisa oppido (§. 11) cognominati. Graviore vitio laborat proximus sensus.

Oppida orae proxima Urci adscriptumque Baeticae Barea, regio Mavitania, mox Deitania, dein Contestania, Carthago nova colonia rel.

Neque enim unquam exstitit Mavitania aut Deitania, sed quae a Ptolemaeo II. 6. 14. describuntur Βαστιτανῶν παράλιος· Οὔρκη. Κοντεστανῶν παράλιος· Λουκέντοι ἢ Λούκεντον, Καρχηδὼν νέα apud Plinium facili emendatione restituuntur. Pro *Mavitania* enim cod. A exhibet *Bastitania*, cod. R² *Barea Bastitana regio Mavitania*: deinde in A legitur *Deitanania dein Contestania*, in Rd *Deitannia dein Contestania*, unde apparet e voce *dein* male repetita inauditam regionem effectam esse. Scribendum est igitur:

Barea, regio mox Bastitania, dein Contestania.

50 20 = 3, 4.

Interpunctione correcta distinguatur oportet:

flumen Uduba. Regio Ilercaonum (sic R², sicuti Ptolemaeus II. 6. 16), Iberus amnis rel.

Nam Edetanos excipiunt Ilercaones neque ad eorum regionem pertinent. §. 21. e scriptura cod. A *Laetani* codd. R¹d *Letani* reponendum est *Laeetani* (cf. Ptol. l. l. Strab. III. p. 159). §. 23. scr. *Dertosani* e R². Deinde aut §. 22. *Baeculo* aut hic *Baetulonenses* legendum erit.

25 = ibidem. 51

Castulonenses qui Caesari Venales appellantur.

Immo non sunt qui a Caesare emi possunt, quae dativi casus vis esset, sed quorum ager a Caesare emptus est. Scribendum est igitur: *Caesaris venales*, quemadmodum infra §. 134. Triumpilini venalis cum agro populus appellantur. Locum iam attulit Harduinus.

30 = 3, 4. 52

Universae Hispaniae Vespasianus imperator Augustus iactatus procellis rei publicae Latium tribuit.

Vix modeste ac decenter imperatorem procellis rei publicae iactatum dicturus fuisset Plinius: ius ipsum Latii variis imperii casibus vel in Hispaniam delatum esse vere et eleganter tradidit. Atque hoc ipsum exhibent ATd. Itaque haud dubie legendum est *iactatum*. Eundem codicem A certissimum omnium ducem etiam §. 31. in scriptura *antea* et *Iura* sequi par erat. Quod enim e codd. RTd recepit Silligius *Iuribus*, ortum est errore librariorum, qui sicut agrorum cultu, amplitudine opum, ita etiam iuribus Narbonensem provinciam eminere arbitrabantur. At supra vel contra plerosque libros Mss. scribendum erat *Alpiumque saluberrimis iugis* expulsa frigidissima voce *vel*, quae ex ultimis proximi vocabuli litteris VE repetita est. Eadem dittographia cod. A §. 40. pro *tam* exhibet *tam iam*, quod a Silligio receptum esse valde miror. Scilicet ordine verborum perturbato cervicem solam Vespasiani imperio festam redditam esse efficitur, facie, opinor, tristi relicta. Ibidem §. 41. e codd. A d *tota ea* servare malim, deleta cum plerisque libris proxima voce *talis*, ut ab Urbe et a Campania ad universam regionem procedat oratio; §. autem 42. *quotam partem ex ea* scribi debere arbitror, quo-

niam vox *eo* non habet quo referatur. §. 50. cum A R legendum est *Cecina* sive *Caecina* forma nominis e Ciceronis oratione notissima atque Etruscorum mori qui simplicibus litteris delectabantur, accommodata. Similiter §. 53. veram scripturam *Tinia* cod. A exhibet, reliquorum scriptorum auctoritate confirmatam, item *tredecim* pro XVI, quo intervallo Veientem agrum ab Urbe separari constat. §. 43. Silligius e cod. R² recepit *in laevo se flectens cacumine*, quum tamen nemo de dextro Italiae cacumine unquam cogitaverit. Lineola addita scribendum est *in laevom*, sicut §. 52. *Forom Clodii.* §. 54. interpunctione deleta, quod iam Harduinus viderat, Tiberis et fluviis et aquis fontibusque auctus dicitur.

53 58 = 5, 9.

Quidquid ergo terrarum est praeter decem milia passuum prope ambitus adnexum insulae rel.

prope omittunt A R, recte haud dubie. Quum enim Circeiorum insulae mensuram stadia octoginta posuerit Theophrastus, quidquid terrarum insulae annexum est, ut cum continenti coniungeretur, amplius decem milia passuum ambitu, Italiae accessit. Quocirca scribendum est: *praeter d. m. p. ambitu* rel. Quod sequitur *aliud miraculum* recte Harduinus ab interpolatore additum esse censet. §. 59. recte quidem Pintianus e Strabone V. p. 233. *Clani* correxit, mihi tamen in codd. scriptura *Glanico* vocis deperditae vestigium inesse videtur, ita ut Plinius *Clani quondam* scripsisse putandus sit.

54 68 = 5, 9.

Saturnia ubi nunc Roma est, Antipolis quod nunc Ianiculum [in parte Romae].

Ex ultimis verbis Antipolis quoque Saturniae pars esset, quod quum fieri nequeat, praestat ea pro librarii

additamento habere. Ad initium sensus cf. quae de Cecropia monentur VII. 194. — §. 71. vulgatam scripturam *Lucani* servandam esse proximo nomine *Lucio* evincitur, quod, si e Graeco scriptore sua hausisset Plinius, aeque *Leucio* dicendum erat.

92 = 8, 14. 55

Insulas circa Siciliam sitas ita enumerat Plinius, ut cum Ptolemaeo et Stephano Byzantio in universum conspiret. Nam quae a Ptolemaeo III. 4. 17. Phorbantia vocatur, eadem fortasse est quam hic et apud Stephanum Bucinnam nominari legimus, Caene autem Aegadum una fuisse putanda est. Quo magis mirum videtur, quod Aethusa iuxta Lopadusam sita, quam etiam Ptolemaeus IV. 3. 34. commemorat, cum Aegusa Lilybaeo vicina permutantur. Ita enim scribunt Plinii codices: *Lopadusa, Aethusa quam alii Aegusam scripserunt.* Sed Plinium ipsum tradidisse arbitror: *Lopadusa, Aethusa, Aegusa* rel. Quam quum librarius pro lectionis varietate accepisset, maluit verbis *quam alii Aeg. scripserunt* indicare. Mox interpungendum fortasse est: *VII Aeoliae, appellatae eaedem Liparaeorum.* Quae autem mox leguntur *Aeoliae, quod Aeolus Iliacis temporibus ibi regnavit,* quum §. 94. iterum narrentur, hic ab interpolatore adscripta esse puto.

94 = 9, 14. 56

Tertia Strongyle, a Lipara Mp. ad exortum solis vergens, in qua regnavit Aeolus, quae a Lipara liquidiore tantum flamma differt; e cuius fumo quinam flaturi sint venti in triduo praedicere incolae traduntur etc.

Manifestum primum est numerum ante *M p.* excidisse. Nam aliquanto maiore intervallo hae insulae dirimuntur, X milibus passuum secundum Cluverium Sicil. antiq. p. 411.

De ipso numero non disputo: apud Plinium vero eundem restituendum esse censeo quem in Antonini itinerario p. 516. reperimus. Enumerantur ibi stadia CCC id est paulo minus VIII milia passuum. Scribendum est igitur: *VIII M p.*, nisi forte etiam in Itinerario pro CCC legendum censeas CCCL. Mirum praeterea videatur, cum Lipara potius quam cum Hiera Strongylen insulam comparari, quum ibi quoque flammas erumpere non dixerit Plinius; atque possit aliquis sive Cluverio assentiri, qui cum Solino 12. et Eustath. ad Dionys. 461. *a ceteris* scribit, sive quod equidem mallem *ab illa*, id est ad Hiera. Nihil enim facilius fieri potuit conlicere quam ut e versu superiore vocabula *a Lipara* in sequentem male transscriberentur, quum praesertim proximi vocabuli primae litterae *liq* scribae oculos allicerent. Sed quum et a Strabone VI. p. 276. Strongyles ignes cum Lipara aeque ac Thermissa sive Hiera comparentur, et a Silio Italico XIV. 56. Lipara flammiferis insulis adnumeretur, codicum Mss. auctoritatem sequi praestat. §. 99. scr. *Peucetiam*.

57 **102 = 11, 16.**

Brundisio conterminus Pediculorum ager; novem adolescentes totidemque virgines ab Illyriis XVI populos genuere. Pediculorum oppida Rudiae, Egnatia, Barium, amnes Iapyx a Daedali filio rege a quo et Iapygia, Pactius, Aufidus etc.

Sic post Harduinum Silligius, nisi quod numerum *tredecim* e cod. A in XVI mutavit. Inest tamen nescio quid inconcinni atque a fabularum rationibus diversi: ferrem si XVIII populi numerarentur. Atqui XII scribunt R T d. Iam vero Varro Rer. hum. l. III. in XII populos dividi Sallentinos narraverat, p. 205. ed. Bip., cf. Fest. v. Salentini. Vix igitur dubito quin ita Plinius hunc auctorem secutus

scripserit; miscet enim pro more suo diversas de horum populorum origine narrationes et nomina propria. Deinde in fine scribunt cod. A: *Iapigia Aritan*, Rd *Iapigia Amitan*, unde facili mutatione efficio: *Iapygia Acra iam*, quo vocabulo Graeco §. 100. usus erat. Amnem, qui olim Iapyx a Daedali filio vocabatur, nunc (qua vi *iam* interdum usurpatur, velut l. XXXV. init.) Pactium appellari narrat. Iapygem autem amnem nusquam commemorari iam a Silligio animadversum est.

131 = 19, 23. 58

Lacus Eupilis, terminatione vix apta. Videtur aut *Eupilus* aut *Eupilius* scribendum esse, sicut Larium Sebinnum dixerat. Confidentius etiam §. 149. *Flumina clara, e Dardanis Margis, Pingus* etc. lego *Margus*, quum et Rd *Marcus* exhibeat et scriptura codicis A e simili terminatione vocabuli antecedentis profecta putanda sit. Margus enim ubique appellatur flumen notissimum. §. 138. fortasse Plinius scripserat *L. Aemilio C. Attilio consulibus*, quibus quum ab interpolatore cognomina adderentur, factum est ut Paulus cum Papo confunderetur.

144 = 22, 26. 59

... praeterea multorum Graeciae oppidorum deficiens memoria nec non et civitatium validarum. Eo namque tractu fuere Labeatae, Enderini, Sasaei, Grabaei proprieque dicti Illyrii et Taulantii et Pyraei. R e t i n e t nomen in ora Nymphaeum promontorium, Lissum oppidum etc.

Duo sunt quae in hoc loco tam male me habent ut sanum esse negem. Nam inepte promontorii nomen servatum dici quis est quin videat? Nonne navigantium quam maxime intererat, ut servaretur? Cur igitur dicetur di-

sertim quod sponte intelligitur? Atque haec causa videtur fuisse, cur Pintianus et Dalecampius iusto audacius vocabula *Retinet nomen* delenda esse censerent. Deinde falsum est quod a Plinio tradi videtur. Postquam enim M. Varro (legationum libris, ut equidem arbitror, cf. Ritschl. N. Mus. Rhen. VI. p. 498) Liburniae et Dalmatiae situm populosque descripsit, bellis ab Octaviano gestis eae mutationes factae sunt, quae a Plinio commemorantur. Quae igitur nationes ab imperatore excisae sunt, a nemine recentiorum scriptorum ita nominari potuerunt, quasi etiamnum exstarent. Atqui a multis Taulantii appellantur, veluti a Pomponio Mela II. 3. 11, Ptolemaeo III. 13.3, Appiano Illyr. 16, proprie dicti Illyrii a Mela, Pyraei ab Appiano qui Pyrissaeos vocat nomine apud Plinium fortasse restituendo. Nam ne quis ex Appiani loco Pyrissaeos et Taulantios internecione exstirpatos esse colligat, Naresios et Melcomanos (Appianus Μερομέννους nominat) indicasse sufficiat, qui pari conditione usi apud Plinium inter florentes civitates enumerantur. Quid multa? interpunctione medendum est verbis scriptoris et scribendum:

Eo namque tractu fuere Labeatae, Enderini, Sasaei, Grabaei: proprieque dicti Illyrii et Taulantii et Pyraei (vel Pyrissaei) *retinent nomen. In ora* etc.

Retinent enim codd. Td exhibent. Eodem modo §. 145. a verbis *In ora* novus sensus incipit.

60 §. 152 = 26, 30.

Contra Iader est Lissa et quae appellatae. Contra Liburnos Crateae aliquot nec pauciores Liburnicae, Celadussae.

Silligius Harduinum secutus ad §. 140. lectorem refert, ubi praeter alias Absyrtium et Cissa (ita enim legendum est) insula nominantur. At vero easdem iuxta Histrorum agrum

modo Plinius commemoraverat et debebat commemorare, quum omnes sinus Adriatici maris in fine libri enumerare in animo haberet. Itaque reliquum est ut aliunde nomen proprium ad verbum *appellatae* applicemus. Id vero non est longius quaerendum. Scilicet transpositione emendandus est locus, quam quidem aggressus dubitaveris, utrum e proximo enuntiato Liburnicas an Celadussas Crateasve repetendas esse statuas. Crateae vero prope Issam sitae nimio intervallo distant a Lissa, item Celadussae, inter quas maxima nunc appellatur Melada. Male enim apud Spruneraum prope Cissam collocantur. Scribendum est igitur:

— *et quae appellatae Liburnicae. Contra Liburnos* (a parte Scardonae) *Crateae aliquot nec pauciores Celadussae.*

Sic etiam Harduini coniectura non opus erit, qui quum Strabonis locum VII. p. 315. vix cum nostro quemadmodum vulgo legebatur conciliari recte animadverteret, scribi voluerat *nec pauciores XL Liburnicae.* Celadussarum enim numerus et Cratearum fere idem facile fuit.

LIBER IV.

8 = 3, 4. 61

Fons Castalius, amnis Cephisus praefluens Delphos, ortus in Lilaea urbe quondam. Praeterea oppidum Crisa et cum Bulensibus Anticyra rel.

Ita Silligius e codd. ARd. Antea legebatur *quondam urbe.* Verum Lilaea urbs aetate Plinii minime fuit excisa. Commemoratur non modo a Strabone IX. p. 407. et p. 424. et Pausania X. 23. 2, sed ab ipso auctore infra §. 27. Contra Crisam ex Amphictyonum decreto deletam fuisse constat, cf. Strabo IX. p. 418. Apparet igitur h. l. ita interpungendum esse:

ortus in Lilaea urbe. Quondam praeterea oppidum Crisa sqq.

Parum praeterea sibi constitit Silligius dum optimos codices A et R quos in re dubia prae ceteris sequendos esse recte iudicat, hic deserit. Scribendum est enim e codd. AR[2], quibuscum consentit Mart. Capella p. 651, *montem Heliconem*, ut infra §. 9. e cod. A *antea.*

62 12 = 5, 6.

Oppida Helice, Bura, in quae refugere haustis prioribus Sicyon, Aegira, Aegium, Erineos.

Ita verba Plinii Silligius interpunxit, ut Harduini sententiam amplecti videatur. Ille enim maiore interpunctione post *Bura* posita proximis verbis ea oppida indicari statuit, in quae incolae priorum, quae hauserat mare, transmigrarunt, Sicyonem reliqua, atque eadem viri docti (Dalecampii, ut videtur) fuit opinio qui in margine exempli Lugdunensis *et* ante *in* putavit inserendum esse. Mirum in modum erraruat omnes. Scilicet prioribus Buris terrae motu destructis novam urbem cognominem incolae in monte vicino condiderunt, quam sicut locum Helicen vidit et descripsit Pausanias VII. 24. 3. cll. 25. 5. Scribendum est igitur: *Heliee, Bura in quae refugere haustis prioribus, Sicyon* rel.

63 13 = 5, 6.

Erineos. Intus Cleonae, Hysiae, Panhormus portus demonstratumque iam Rhium... Cyllene sinus, promontorium Chelonates, unde Cyllenen V M p., castellum Phlius, quae regio ab Homero Araethyrea dicta est, postea Asopis. Inde Eliorum ager etc.

Alia Peloponnesi regionum distributione utitur Plinius

quam Strabo VIII. p. 231. Quum enim hic ad Araxum promontorium usque Elidem pertinere tradat, Plinius Peneo et Chelonate ab Achaia distinguit. Quae quidem finium mutatio quando facta sit, nescio, duravit certe non ultra Antoninorum aetatem, nam Pausanias et Ptolemaeus antiquos Elidis fines sua quoque aetate valuisse demonstrant. Idem de Argolide dicendum est, a qua Plinius unus Phliuntem separavit. Neque tamen tam imprudentem se gessit, ut agrum Phliasium prope Peneum situm esse perhiberet. Videtur quidem ita loqui, sed revera non ipse loquitur auctor perturbatus interdum rerum quae tradebat, mole et copia, numquam vero indoctus. Qui quum in Graecia describenda ea fere ratione uteretur ut primum oram maritimam legeret, deinde oppida intus sita enumeraret, eum ordinem qui in omnibus codicibus reperitur, sequi nullo modo potuit. Num enim Panhormus portus intus situs fuit? Immo prope Erineum cui in ipsa ora erat vicinus, etiam apud nostrum scriptorem est collocandus. Missis igitur verbis *intus Cleonae, Hysiae* pulchre ita describuntur Achaiae litora, ut ab oriente occasum versus procedatur. Atqui non eiicienda sunt quae modo indicavimus vocabula, verum alio transferenda. Nam inter Eliorum agrum et Chelonatem promontorium male Phliuntem interiici iam supra significavimus. Neque castellum Phlius fuit, sed urbs etiam tum celeberrima. Quodsi vero tria illa vocabula huc inserueris, sanabitur locus alioqui molestissimus. Verbis *unde Cyllenen V M p.* finitur orae maritimae descriptio: reliquum erat ut oppida intus sita enumerarentur, Cleonas dico, Hysias, Phliuntem. Nisi vero leni remedio utendum esse videretur, Cleonas potius castellum Strab. VIII. p. 377. secutus appellandum esse contenderem, Hysias vero, locum desertum et ruinis squalidum (cf. Pausan. II. 24. 9) loci vocabulo designandas, quo fere oppidorum ru-

dera significat Plinius, et scribendum esse coniicerem: *Intus castellum Cleonae, locus Hysiae, Phlius.* Sed potuerunt saltem Hysiae castellum appellari, Phlius non potuit. Intellexit quam male a recentioribus viris doctis Asopis cum Peneo coniungeretur, Curtius meus in libro eximio de Peloponneso vol. II. p. 103, verum Plinio imputavit quae scribarum oscitantiae erant attribuenda. Qui vir doctissimus sicuti Strabonem ab erroris specie feliciter se vindicasse iure laetatur, ita fore spero, ut Plinium quoque aliquanto diligentius in terrarum situ describendo versatum esse quam vulgo videbatur, mecum laetetur. Obiter tantum indicabo, in libris Mss. *Cyllen* scribi, unde suppleta quae facile excidere poterat, adiectivi casusque terminatione effeci *Cyllenius:* deinde, ut verum intervallum inter Chelonaten et Cyllenen indicetur, cum Curtio l. l. *X* inserendum esse, ac iam locum ita legendum esse aio:

Aegira, Aegium, Erineos, Panhormus portus demonstratumque iam Rhium... C y l l e n i u s sinus, promontorium Chelonates, unde Cyllenen XVMp. I n t u s C l e o n a e, H y s i a e castellum, Phlius, quae regio ab Homero Araethyrea dicta est, postea Asopis.

63 14 = 5, 6.

Inde Eliorum ager qui antea E p e i vocabantur, ipsa Elis in mediterraneo et a Pylo XII M p. intus delubrum Olympii Iovis... Amnis Alpheus navigatur VI mil. p. p r o p e oppida A u l o n a et Leprion. Promontorium Platanodes.

Primum male neglexit Silligius scripturam codd. A R *Epioe* quam leviter mutatam d *Epie*, Barbarus *Epiae*, Robertus *Epice* exhibent. Est enim Graecum nomen Ἐπειοί e vulgari pronuntiandi ratione Latinis litteris accurate ex-

pressum, sicut §. 52. *Paxoe duae* reperitur. Nam quod Silligius e lectione codd. R et Rob. *vocabatur* coniecit *qui antea Epie vocabatur,* re ipsa refellitur. Numquam enim Elidem 'Επειήν veteres appellarunt, quum incolas antiquos Epeos saepissime commemorarent. Deinde a nemine animadversum est, neque Aulona nec Leprion ad amnem Alpheum sita fuisse, neque omnino fieri potuisse ut idem fluvius VI mil. p. prope duo oppida quae ne ipsa quidem inter se vicina essent, navigaretur. Quid multa? Olympiae Pisaeque ubi mentionem fecit Plinius, Alpheum in universum VI milibus passuum spatio navigari annotavit, cf. Curtius Pelop. vol. II, p. 73; deinde ad oppida trans Alpheum sita se convertit. Quae *Leprion* et *Aulon* cum omnibus codicibus Mss. appellanda erunt. Aulon enim oppidum sive regio, quae alibi Messeniae Arcadiaeve tribuitur, a Strabone VIII. p. 350, Pausan. IV. 36. 5, et Stephano Byzantio s. v. vocatur, Dalecampius autem, qui accusativum desideraret, *Aulos*, Harduinus *Aulona* coniecerunt, scilicet a v. *prope* pendere rati. Atqui ipsum illud vocabulum *prope* cum libris Mss. deleatur oportet. Abest enim a cod. A, in ΘTdr reperitur sane verum omissis verbis *mill. p.* In cod. R e *p. oppida* prava repetitione ortum est. Neque copula *et* codd. Mss. auctoritate firmatur. Scribendus est igitur locus interpunctione mutata:

Inde Eliorum ager qui antea Epioe vocabantur... Amnis Alpheus navigatur VI mil. p. Oppida Aulon, Leprion, promontorium Platanodes.

16 = 5, 8. 64

Oppida Taenarum, Amyclae, Pherae, Leuctra et intus Sparta, Theramne atque ubi fuere Cardamyle, Pitane, Anthea, locus Thyreae, Gerania.

Leve mendum e codd. Rd corrigi poterit. Qui quum

Therabne legant, procul dubio legitimum oppidi nomen *Therapne*, quod etiam Solinus c. 22. exhibet, restituendum est. Deinde *Thyreae* Salmasius Exercit. p. 139. in *Thuria* mutandum esse vidit, nam Thyreae Argolidem versus sitae erant, Thuria vero non longe a Pamiso amne distabat, cf. Strab. VIII. p. 360, Pausan. IV. 31. 2. Ceterum antiquum fuisse vitium cod. A et Solini lectione demonstratur, licet in codd. Gelenii *Thyrea*, in R *Tyrea* reperiatur. Gravior vero totius loci est perturbatio, in quo non modo interiores loci cum maritimis confunduntur sed Cardamyle quam et Strabonis l. l. et Pausaniae III. 26. 5. aetate floruisse constat, inter exstincta oppida enumeratur. Quae aliquatenus saltem e Solini epitome poterunt emendari. Ille enim l. l. post Taenaron nominat Leuctras, tum Amyclas, Spartam, Therapnas, Pitanen, postremo non sine ridiculo errore ita pergit: „Anthia et Cardamyle, ubi quondam fuere Thyrae, nunc locus dicitur, in quo anno XVII regni Romuli inter Laconas et Argivos memorabile bellum fuit.“ Scribendum est: „A. e. Cardamyle ubi quondam fuere, Thyrae (Thyreae) nunc locus dicitur.“ Inde transponenda esse Plinii verba in hunc modum apparet: *Oppida Taenarum, Leuctra et intus Sparta, Amyclae, Pherae, Therapne, Pitane* rel. Scilicet eum ordinem tenuit Plinius ut primum antiquum Laconum agrum usque ad minorem Pamisum describeret, deinde regionem Messeniorum usque ad maiorem Pamisum adderet, quae anno DCCLXXVIII. Messeniis reddita est (cf. Tac. Ann. IV. 43), Agrippae fortasse commentariis usus, quibus ea Laconibus tribui consentaneum erat quae ab Octaviano iis erant concessa. Pheras enim non eam urbem intelligendam esse apparet quae ad Nedonem sita fuit sed alteram Amyclis vicinam, cf. Paus. IV. 16. 8. Iam igitur unum restat vitium quod iam Solinus in suo exemplo reperiebat, e Strabone VIII. p. 360. corri-

gendum. Scilicet e septem urbibus quas apud Homerum Il. IX. 150. Agamemno se Achilli daturum esse pollicetur, Antheam eum locum occupasse arbitrabantur veteres quo postea Thuria aedificata est. Scribendum est igitur: *ubi fuerat Anthea*, uti §. 45. legitur „ubi Messa fuerat.“ Itaque totum enuntiatum ita a Plinio conscriptum esse arbitror:

Oppida Taenarum, Leuctra et intus Sparta, Amyclae, Pherae, Therapne, Pitane, Cardamyle, atque ubi fuerat Anthea locus Thuria, Gerania.

17, 18 = 5, 9. 66

.... **inter quos Argos Hippium cognominatum.** ... **Troezen, Coryphasium appellatumque alias Inachium, alias Dipsium Argos.**

Corruptum locum esse animadvertit Curtius II. p. 575: emendare aggressus est Pintianus, qui primus transpositione germana Plinii verba restituere coepit. Et primum quidem illud rectissime fecit quod vocabula *alias Inachium, alias Dipsium* ad superiora retulit. Fuerunt enim antiqua et notissima nobilissimae urbis cognomina. Idem alterum Argos prope Troezenem situm ultimo loco a Plinio indicari intellexit, de quo cf. Curtius l. l. Quod vero vocem *appellatumque* in *alterumque* mutavit, id quidem fecit praeter necessitatem. Potest enim una cum reliquis verbis in alterum locum transferri. Neque sic Troezenium Argos suo cognomine carebit. Κορυφάσιον dictum esse arbitror a montis cuiusdam vicinitate: nam et opus fuit aliquo certe indicio quo a celebriore oppido distingueretur et Coryphasium in Messenia notum hic loci prorsus est inauditum, ita ut Curtius de Methana cogitaverit. Praeferrem equidem huic rationi eam ut scriberem: *Coryphasiumque appellatum Argos*, nisi in trans-

positione ibi tantum mutanda esse ipsa verba existimarem, ubi recte et necessario mutari luculenter demonstrari posset. Cumulantur vero verba similia, ita ut §. 27. *Locri Epicnemidii cognominantur olim Leleges appellati.* Sic igitur scripsisse videtur Plinius:

inter quos Argos Hippium cognominatum appellatumque alias Inachium, alias Dipsium... Troezen, Coryphasium Argos.

67 Ibidem.

Montes Artemius, Apesantus.

Priorem infra §. 21. sicuti reliqui omnes scriptores Artemisium nominat. Syllabam igitur hoc loco, quod saepius factum esse videbimus, excidisse arbitror et scribendum:

Montes Artemisius, Apesantus.

Adiectivum enim Ἀρτέμιος (nam de nominibus propriis alia res est) ne Graecum quidem esse persuasum habeo.

68 20 = 6, 10.

Megalopolis rel.

Primum pro *Megalopolis* e codd. Ad Graeca et exquisitior forma *Megalepolis* recipienda est, tum in fine lacuna explenda. Legitur ibi: *Clitorium, Cleonae: inter quae duo oppida regio Nemea est, Bembinadia vocitata.* At vero non inter Clitorium Cleonasque sita erat, sed inter Cleonas et Phliuntem, cf. Strabo VIII. p. 377. Itaque paucis litterulis additis scribendum est: *Clitor, Phlium* (ut Orchomenum al.), *Cleonae.* Repetit autem Plinius utrumque nomen iam supra §. 12. et 13. allatum, quoniam illic Achaiae tribuuntur oppida, hic ex alio auctore Arcadiae. Quod iam a Nigidio factum erat, cf. Schol. Caesar. Germ. 148. apud Curtium vol. II. p. 587.

22 = 6, 10. 69

ab Olympia Argos per Arcadiam LXVIII M; ab eodem loco ad Phliunta dicta mensura est.

Ubi tandem? Nempe sectione VI. inquit Harduinus, id est §. 13. vel 14. Ibi tamen frustra quaeres: a Pylo autem Olympiam XII M p. abesse videbis. Pyli enim nomen ibi felici coniectura Hermolaus Barbarus restituit, pro quo codices exhibent A *Plio* Rd *Philo*. Iidem nostro loco scribunt A *Fliunta* R[1] *Filiunta*, R[2] *fluunt*, d. *siliunta*, unde hic quoque scribendum erit:

ad Pylum.

§. 26. miror a Silligio verissimam Harduini emendationem sperni, qui pro: *In ora autem infra Thebas Ocalee* rel. *Infra Thebas* id est 'Υποθῆβαι legit. Porro e codd. vestigiis scribendum erit *Olyarum*.

27 = 7, 12. 70

Locri deinde Epicnemidii cognominantur. Oppida Opus etc.

Etsi quae de Locrorum oppidis traduntur, ordine valde perturbato proferuntur, ita ut Larymna iuxta Cephisi ostia situm ad ulteriorem Locridem transferatur, tamen vix potuit Plinius tam negligenter auctores suos adhibere, ut caput Opuntiorum Locrorum Epicnemidiis attribueret, nulla nobilissimae gentis ratione habita. Itaque post *Epicnemidii* excidisse suspicor vocabula:

et Opuntii.

Ibidem. 71

In sequentibus verbis gravius etiam vitium videtur commisisse et vix ferendum.

Phocidis in litore unum Daphnus. Introrsus

autem in Locris Elatea et in ripa Cephisi, ut diximus, Lilaea Delphosque versae Cnemis et Hyampolis. Rursus Locrorum ora etc.

Itane vero? Elateam et reliqua oppida celeberrima Locris tribuisse Plinium tibi persuadebis? At fortasse aliquando Phocensibus adempta et Locris data sunt? Audirem, licet Pausaniae aetate X. 34. et 35. Phocensibus reddita putanda essent, nisi ipse Plinius eo loco quem ipse laudat §. 8. Lilaeam certe ad Phocidem retulisset, et nisi dum prosequitur: *rursus Locrorum ora* a Phocide se ad Locros regredi disertis verbis traderet. Iam vero in codd. RAd nullam Locrorum mentionem fieri constat, nam de Toletano silent Silligii auctores Hispani. Scilicet ita scribunt libri optimi:

Introrsus autem (au̅ d.) *Laris Elatea*

quae quidem ultima vocabula tam sunt inter se similia, ut *laris elatea* manifestum dittographiae indicium prae se ferant. Deleto igitur molesto illo *Laris* locus sic scribendus videtur:

Introrsus autem (sc. in Phocide) *Elatea* rel.

Cnemidem falso in Phocide commemoravit Plinius, quum levi errore montem in Phocidis confiniis positum cum oppido confunderet.

72 Eodem dittographiae vitio ibidem

oppida Halcyone, Econia, Phalara

tria facta videntur quae non nisi duo fuere. *Econia* enim urbs praeter hunc locum nusquam commemoratur. Pro qua fuerunt qui *Itonia* scribi vellent, ingeniosa quidem coniectura, sed idcirco reiicienda quoniam Itonia non ad sinum Maliacum verum introrsus sita erat. Ita autem scribunt codices: A *Alcione Econia* R *Halcyone Aeconia*, quae quidem nomina tam sunt inter se similia, ut unum

ex altero natum esse videatur. Quid enim facilius fieri potuit quam ut verba Plinii *Alcione et Phalara* in *Alcione ecione Phalarà* et inde in *Alcione Econià* commutarentur?

Oppidum Oetheorum, quod ad Doridem Plinius, ad 73
Phthiotidem Ptolemaeus refert, utrum *Sperchios* quod e codicum lectione *Sparthos* et *Sphartos* Herm. Barbarus effecit, an cum Livio XXXII. 13. Sperchiae, cum Ptolemaeo II. 13. 17. Sperchia appellandum sit, nescio: satius tamen erit vulgatam scripturam intactam relinquere.

At in Phthiotarum agro *Echinus* oppidum miro errore ad Sperchii fluminis fauces pertinere narratur, quod in septentrionali potius sinus Maliaci parte ab urbibus Lamia et Phalara orientem versus situm esse constat (cf. Forbiger Geogr. ant. vol. III. p. 891); et Heraclea quidem IV mil. p. a Thermopylis distare accurate dicitur, ubi vero ipsae Thermopylae quaerendae sint, non docemur. Scilicet prava interpunctione Plinii verba laborant, atque pro:

Eorum oppida Echinus in faucibus Sperchii fluminis, Thermopylarum angustiae, quo argumento IV M p. inde Heraclea Trachia dicta est.

scribendum est:

Eorum oppida Echinus, in faucibus Sperchii fluminis Thermopylarum angustiae rel.

29 = 9, 15. 74

Montes Phthiotidis... Donacesa, Bermius, Daphusa sqq.

Nomina montium licet alias ignota aliquatenus tamen e cod. A emendari poterunt. E *Donacaesa* efficitur *Donacoessa*, e *Daphusa Daphnusa*, pro *Bermius* ex eodem restituendum est *Bromiaeus* qui ad Bacchi seu Bromii cultum

pertinuisse putandus est. Praeterea supra e codd. legendum est *Pharsali*. Similiter §.36. fortasse *Hypsichorus*; §.37. *Palaechorium*. §.44. Vossii coniecturam *Cerastis* probo, §.46. Harduini *Sosthenes*, §.45. e cod. A. *Iuras* recipiendum est. §. 42. Osannus in Schneidewini Philologo VII. p.393. probabiliter coniecit *Ismara cum lacu*.

75 31 = ibidem.

In eo cursu Tempe vocant... ultra visum hominis attollentibus se... iugis, intus sua luce viridante. Hac labitur Penius, viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus avium cantu.

In amoenissima clarissimae vallis descriptione quae cum Aeliani laudibus Var. Hist. III. 1. optime comparatur, quid sit *sua luce viridante* fateor me non intelligere. Paullo melius Harduinus puncto post *iugis* posito scripsit *Intus — allabitur Penius* quae lectio codd. RS confirmatur. Appellantur enim Tempe „viridi lucentia fumo“ a Val. Flacco VIII. 452. propter fumos tenues qui veloci amnis cursu excitantur, cf. Ovid. Metam. I. 571. Neque tamen *sua* luce viridare neque luce allabi potuit Peneus, neque et luce et calculo viridis eleganter appellari, nec denique allabi quum perlabatur. Recte igitur a Silligio e codd. ATd receptum est: *Hac labitur*. Tum vero quae modo attuli verba necessario pro corruptis sunt habenda. Atque ingeniosissime intellexit Salmasius Exercitt. p. 153. a. non de luce, sed de luco viridante sermonem esse, quod sacrum nemus a Mela II. 3. appellatum ab omnibus fere scriptoribus qui in laudanda valle luxuriantur, inter praecipua decora commemoratur et a Plinii descriptione abesse vix potuit. Nam quam sensu proximo anteriore nemorosam convallem vocat, non est sacrum illud nemus a poetis celebratum, sed longius per

totum Penei fluminis cursum D stadiis porrigitur. Atque hanc scripturam bonus cod. Toletanus etiamnum exhibet: itaque sine dubio recipienda est. Quod vero praeterea coniecit Salmasius *sub luco* comprobatum illud quidem est ab Heinsio ad Val. Flacc. l. l., sed et refellitur iis quae supra de verbo *al*labitur minus apto monuimus nec etiam simplici verbo bene flumen sub luco fluere diceretur quod perfluit lucum. Iam vero codex Toletanus legit rectissime: *vero luco*, unde quum *luce* scriberent et in exemplari suo *intussuo* (littera s. frequenti errore reduplicata) scriptum reperirent codd. RA. scribae effecerunt: *intus sua*. Atque sic legisse Pintianum, cuius acre et subtile ingenium summi faciendum esse usu didici, ex Harduini annotatione intelligo (in exemplo enim Lugdunensi 1569. quod mihi ad manus est, scripturae tantum varietas cod. Tolet. annotatur). Iam vero illud dubium non est, ex eodem libro lectionem *vitreus calculo* recipiendam esse, cuius loco Salm. praeter necessitatem *vitreis calculis* etc. scribendum esse pronuntiavit. Nam virides calculi ne repertu quidem faciles ad aquae colorem nihil conferunt, quem vitreum nec viridem fuisse vocabulo *argenteis suis* paulo infra Plinius ipse indicat. Corruptum est autem in *viridis*, quoniam in superiore versu *viridante* legebant scribae oculosque falli patiebantur. Proximis deinde verbis §. 32. non Magnesia sola describitur, verum oram legens Plinius ubi ad Penei ostium pervenit, reliqua totius Thessaliae oppida intus occidentem et meridiem versus sita enumerat, ita ut Crannonem bis commemoret.

49 = 11, 18. 76.

Et Hellespontus, VII, ut d i x i m u s, stadiis Europam ab Asia dividens, IV inter se contrarias urbes habet rel.

Lib. II. 205. male huc referri ab Harduino recte animadvertit Sill. (nam ibi de latitudine Hellesponti nihil traditur). Ipse vero quum locum frustra quaereret, ubi tale aliquid dictum esset, aut memoriae lapsum scriptoris aut lacunam aliquam suspicatus est. At vero invenitur locus quem in mente habuit scriptor §. 75. Describitur ibi Hellespontus his verbis, *VII stadiorum, ut dictum est, intervallo Europam auferens Asiae.* Iam quum illo loco hunc nostrum laudet, ubi istam mensuram tradiderit, hic vero alio loco eandem a se traditum iri narret: manifesto horum locorum alter ad alterum pertinet. At non se dicturum esse, sed dixisse ait? Minime. Nostro enim loco facillima mutatione e *diximus* efficitur *dicemus*: neque enim ad ea tantum quae iam explicuit lectorem redire iubet Plinius, sed interdum ea quoque demonstrat quae aliquando est explicaturus, cf. VI. 28 cll. 36. Simillimus est locus V. 10, ubi de monte loquitur quem postea VI. 197. accuratius descriptum iri indicat. Dicit enim: *ab eo montes perpetuos usque ad eum quem Theon ochema dicemus.* Ibi codex Θ, Chiffletianus, *dicimus* scriptum exhibet, atque sic quoque in archetypo codice per errorem exaratum erat: DICIMVS, frequentissima litterarum I et E confusione, unde factum est in eo, unde nostra exempla ducta sunt, *diximus*. Simili ratione II. 66. pro *diximus* in codd. RTd *dicimus* scriptum reperitur. Legendum est igitur:

Et Hellespontus, VII, ut *dicemus*, *stadiis* rel.

§. 51. verba *quae ita Graecis appellatur* ab interpolatore adiecta putaverim.

77 **52 = 12, 19.**

Circa eam *(Corcyram)* aliquot *(insulae)*, sed ad Italiam vergens Thoronos, ad Leucadiam Paxoe duae rel.

Thoronos insula ignota est, Othronos a Stephano Byzantio nominatur. Quae quum leviter corrupta scriptura in codd. RTd *Othoronos*, in cod. A *Otronos* appelletur, nullam video causam cur non apud Plinium restituatur.

53 = ibidem. 78

Ante Leucimnam Sybota, inter Leucadiam autem et Achaiam permultae, quarum Teleboides eaedemque Taphiae; ab incolis ante Leucadiam appellantur Taphias, Oxiae, Prinoessa, ante Aetoliam Echinades, rel.

Ita Silligius priores editores secutus verba distinxit, ut ne dicam nullum, at certe ineptum sensum praebeant. Ab *incolis* enim Oxiae et Prinoessa si essent appellatae, Oxii et Prinusii eas inhabitasse putandi essent, quos nemo veterum scriptorum novit. Novimus autem praeter Cephallenas Teleboas et Taphios, quorum quidem Taphum insulam antiquitus sedem fuisse et res ipsa fert et disertis verbis Strabo X. p. 459. tradit. Comprehendit autem Plinius Teleboidum sive Taphiarum nomine insulas ante Leucadiam et fortasse Aetoliam sitas. Scribendum est igitur:

quarum Teleboides eaedemque Taphiae ab incolis ante Leucadiam appellantur rel.

Taphias et *Oxiae* autem primus Barbarus scripsit, codices habent Tr *Taphiosis*, RASd *Zaphiosis*, Θ *Zaphiotis*, deinde *Arnoxiae* S. *Arnoxia* reliqui praeter codd. Gelenii et fortasse Barbari. Et *Taphias* quidem recte scribitur, nam ita sua aetate insulam appellari Strabo refert X. p. 456; e proximis ductibus *Sisarnam* aliquam effecit Pintianus, quae nusquam commemoratur. Mirum neminem adhuc vidisse quod sponte elucet. E TAPHIOSISARNOXIA, ubi recte distinxeris tria quae insunt nomina, apparet Plinium scripsisse:

Taphias, *Carnos*, *Oxiae*,

terminatione alterius ultimi vocabuli initio absorpta. Carnum autem inter has insulas nominat Scylax. Nam quae infra sequitur Cyrnus una Echinadum fuit a Carno diversa.

79 65 = 12, 22.

Ipsam (*Andrum*) Myrsilus Cauron, deinde Antandron cognominatam tradit, Callimachus Lasiam, alii Nonagriam, Hydrussam, Epagrim.

Primum cum cod. R legendum est *Gauron*, nam Γαύριον φρούριον Andri nominat Diodorus XIII. 69; deinde *Nonacriam* sive potius *Nonacrim* et *Epacrim* (*Epacim* d *Epacam* R). Illud enim nomen cum celeberrimo Arcadum monte cohaerere videtur, quum etiam Andrum incoluerint Pelasgi, cf. Conon. c. 41: utrumque a v. ἄκρα ducendum est. Ceterum infra quoque §. 66. *Lasiam* videtur corrigendum.

80 71 = 12, 23.

Calymna in qua oppidum Coos, Calymna a qua Carpathum quae nomen Carpathio mari dedit, XXV mil. passuum.

Falsa haec esse apparet, quid restituendum sit, difficile est iudicatu. Nam quod Harduinus priorem insulam *Calydnam* scribi voluit, abusus est discrimine prorsus arbitrario quod ut diversas eiusdem nominis formas simulque locum Homericum Il. II. 677. explicarent, grammatici excogitarunt, cf. Strab. X. 489. Priore certe loco cum cod. A et reliquis qui vel *Calymnia* vel *Calumnia* legunt, procul dubio *Calumna* vel *Calymna* retinendum est. Deinde Coos ab eadem insula distinguenda erit, quum post Calymnam Carpathum versus Cos insula prima sequatur, quae etiam in

Itin. marit. p. 529. Coos vocatur. Proximo autem vocabulo aliquid de Co praedicari videtur. Egregio autem portu instructa fuit, cf. Diod. XV. 76. Quem optimi cod. A scriptura *Eulimna*, in Rd in *Olimna* corrupta, indicari arbitror, ut legendum videatur: *Coos Eulimenos*. Ceterum numeros emendare non audeo quos aut hic aut §. 60. corruptos esse facili computo efficitur. Illic enim Carpathus a Creta LX mil. p., hic XXXVII distare narratur. Complures autem insulae infra V. 133. iterum nominantur. Atque Graeco vocabulo etiam Peparethum statim *Euoenon* (*Euonon* AR, *Evoenum* d) appellatur.

83 = 12, 26. 81

Inde silvestris regio Hylaeum mare quo adluitur cognominavit, Enoechadloe vocantur incolae.

Mirum illud et inauditum nomen manifesto corruptum est in ea praesertim Scythiae regione quam et Herodotus accurate descripsit et post eum plures, e quibus Posidonium praesertim Plinius, sicuti Strabo VII. et l. XI., videtur secutus esse. Herodotum enim de quo ante omnes cogites, in auctorum indice non reperimus: nobis vero quippe qui reliquis Graecis scriptoribus fere simus destituti, Herodoto praecipue licebit uti, quocum Plinii quoque auctores in plerisque consentiunt. Quaerendum est igitur vicini nomen populi quod ad codicum lectionem proxime accedit. Ita vero scribunt:

cod. R *enoseadioae*, p *enoechadloe*, d *enoctachoe*,
T *enoctachee*.

Codex enim A huc usque non pertinet. In primis litteris omnes consentiunt, in ultimis fere d et T. Iam initio unam syllabam excidisse statuendum est, quemadmodum paulo infra, ut alia exempla quae postea reperiemus,

taceam*), loco ignoti fluminis *Pacyris* restituendum esse notissimum *Hypacyris* interpretes intellexerunt praeter Silligium fere omnes. Hanc autem syllabam quis non animadvertit, esse *Hell* qua addita priorem vocabuli compositi partem *Helleno* nanciscimur. Alterius terminationem *hae* vel *hae* fuisse apparet, quatuor qui praecedunt litterae *etac* facillime emendantur in *scut*. Atque sic nomen habemus *Hellenoscuthae* quod frequenti litterarum permutatione pro *Hellenoscythae*

---

*) Unum in quo solitam Silligii diligentiam desidero, idcirco hic lubet proponere, quoniam nihil novi prolaturus sed antiquam lectionem temere spretam vindicaturus sum. Lib. V. 69. Plinius loquitur de oppido Ioppe, ubi vinculorum Andromedae vestigia in praeiacente insula (§. 128) ostendantur et addit: *colitur illic fabulosa Ceto*. Ita enim Harduini auctoritatem secutus e codicibus qui nominatim afferuntur omnibus scripsit Sill. At vero aliam scripturam *Derceto* e Dalecampii editione attulit Sill., quasi ab eo primum exhibita esset. Sed res aliter se habet: nam quum apud Alexandrum Benedictum etiamnum legeretur *Caeto*, inde ab editione Frobeniana scribi coeptum est *Derceto*. Quum vero in editione a. 1535. nihil de scripturae varietate monuerit Gelenius, iam in prima alterave editione (quae mihi ad manus non sunt) eam mutationem instituisse putandus est. Invenerat igitur in vetustis illis libris, qui quales fuerint, ignoratur: exstitisse autem et a Gelenio religiose adhibitos esse ipse Silligius in praef. p. XXV. luculenter docuit. Habemus igitur scripturam bonis certe codicibus munitam et immerito ab Harduino, ut opinor, spretam. Nam quae sola Ceto in fabulis commemoratur, Medusae mater, a bellua illa Persei manu occisa fuit diversissima: neque haec umquam divino cultu gavisa est. Τὸ κῆτος saepius appellatur, nusquam ἡ Κητώ. Contra Derceto quae Syris Atargatis vocabatur (Strab. XVI. p. 785), praeter Hierapolim in hac praecipue regione Philistaeorum dearum maxima fuit, ita ut Palaestinorum propria apud Ovidium Metam. IV. 46. celebraretur. Ascalon eius superstitionis sedes fuisse traditur a Diodoro II. 4, praeterea, ut videtur, Azotus (cf. Forbiger Geogr. ant. vol. II. p. 709). Recte autem Salmasius p. 534, etsi et ipse *Ceto* h. l. legit, oppidum Phoeniciae, ubi Dercetus simulacrum a se conspectum describit Lucianus de dea Syria c. 14, Ioppen fuisse existimavit. Atque universa de bellua quam occiderit Perseus narratio Ioppe, urbe ab Ascalonitis non nimium remota, e Dercetus forma, quippe quae in piscem desineret, orta videtur. Iam vero eandem Derceto infra §. 81. prodigiosam appellavit Plinius, quidni igitur hic fabulosam nominasse putandus sit?

in archetypo libro scriptum fuisse putandum est. Hellenoscythas autem primos a Borysthenitarum emporio seu Olbia fuisse apud Herodotum IV. 17. legimus his verbis: Ἀπὸ τοῦ Βορυσθενεϊτέων ἐμπορίου .. πρῶτοι Καλλιππίδαι νέμονται ἐόντες Ἕλληνες Σκύθαι. Cum Mestizarum conditione eleganter comparavit eos Niebuhrius Opusc. vol. I. p. 359. Quare sic confidenter a Plinio scriptum esse existimo:

Hellenoscythae vocantur incolae.

Nam quod ingeniose Harduinus coniecerat *Hylaei* nimis a librorum manu scriptorum vestigiis et ab auctoris ratione alienum est. Quodsi enim incolae eodem nomine appellati essent ac regio, rem quae sponte a lectore intelligeretur, scriptor brevitatis amantissimus non commemorasset.

85 = ibidem. 82

Sed a Carcinite Taurica incipit, quondam mari circumfusa et ipsa quaque nunc campi iacent; dein vastis attollitur iugis.

Codd. ΘTd *quaque*, Rp et vulgata scr. *quaqua*. Concedendum quidem est Silligio posse apud Plinium *et*-*que* idem significare ac vulgo *et*- *et*, quem usum ad XXXIII. 33. pluribus exemplis docte comprobavit. Verum hunc locum sic explicandum esse nego. Nam quomodo Taurica et ipsa et ea parte qua nunc campi iacent mari circumfunditur? Quaenam ea est oppositio? Neque enim *et ipsa* idem est quod „et tota", et si idem esset, nonne inepte toti insulae una pars adderetur quae tamen tota et ipsa comprehenderetur? Aliud vitium est vulgatae scripturae. Illam enim si sequaris hoc dicit Plinius: „quacumque nunc campi conspiciuntur, olim mari circumfundebatur Taurica". Atqui occidentem versus etiamnum mari adluitur, etsi ibi quoque magnam in planitiem extendatur. Ex vocabulo autem

quondam efficeretur eam quoque partem postea cum continente terra coniunctam fuisse. Contendit quidem Sill., nullam peninsulam in superioribus commemorari, quae olim mari esset circumfusa: sed fallitur quum de peninsula cogitat; insulam quaerere debebat, cui Taurica eatenus similis diceretur quod olim certe insula fuisset. Eae vero inveniuntur §. 82. et 83. Insulam ibi narraverat Plinius Tyragetarum spatiosam in Tyra amne conspici, praeterea alteram ab Achille cognominari, cum quibus nunc Tauricam comparavit, quae et ipsa olim insula fuisset ea quoque parte mari circumdata, ubi nunc campi iacerent. Itaque deleta dittographia legendum est:

et ipsa qua nunc campi iacent.

In sequentibus verbis omisit Sill. elegantem Harduini coniecturam *Argodeni* vel potius *Argodini* pro scriptu codd. et vulgata *Orgocyni* vel *Orysciri*, ut est in R. S licet Arguda oppidum a Ptolemaeo nominatur III. 6. Ibidem 4. commemoratur Tyrictace vel Toritace quam cı Tractaris, sicuti vulgo apud Plinium legitur, ingeniose co posuit Forbiger Geogr. ant. III. p. 1127. Quod vero deir e cod. R receptum est a Sill. *custoditis a Graeciae m bus* ne Latine quidem dicitur, quum *a* et a vulgatis ex plis et a cod. d rectissime omittatur.

83 96 = 13, 27.

Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ing vonum quae est inde prima Germaniae. M Sevo ibi rel.

Ita Sill. e cod. A. Reliqui habent: *prima inde manìa.* Non dico absurdam esse eam scripturam q Sill. recepit, attamen molestum illud alterum *inde* a fero. Quum enim priore vocabulo iam regionem indi set Plinius, unde Germaniae situm explicaturus esset, ‹

tandem causa fuit, ut repetito eodem vocabulo denuo legentibus inculcaret? Quapropter e versu superiore male hic insertum esse eo confidentius arbitror, quoniam non eodem loco in omnibus libris positum reperitur. Quodsi tamen cui retinendum ex aliqua certe parte videtur, cum Dicuilo malim scribere *prima in Germania.* Sed satius erit omnino eiicere praesertim in tanta silva errorum e dittographia ortorum. Veluti in verbis

97. Quidam haec habitari — a Sarmatis, Venedis, 84
Scirris Hirris tradunt —

rectissime Harduinus coniecit Hirros, nationem prorsus ignotam, a Sciris temere repetitis originem duxisse. Absunt enim a libro Dicuili, quem e Pliniano opere sua hausisse *constat,* in codicibus autem ita scribuntur:

R *Ciris Hyrys,* A *Sciris Hirris,* cod. Luciliburg. *Scyris Hiris* *), d *Cyris Hyris,*

quarum lectionum ultima tam manifesto repetitionem prodit, ut nullus fere dubitationi locus relictus esse videatur. Idem valet de vocabulis *quorum Cimbri* vel *quorum pars Cimbri* §. 100. e versu superiore transsumptis, quod iam ab aliis animadversum est, idem etiam de Carinis *dicendum* erit inter Vandilos nominatis. En Plinii verba:

99. Vandili quorum pars Burgundiones, Varini, 85
Carini, Gutones.

Varinos Tacitus Germ. 40. commemorat, eosdem et reliquos praeter Carinos omnes Ptolemaeus III. 5. 20. Carini nusquam inveniuntur. Libri Mss. ita variant:

A *Varinne Charini,* d *Varinne Carini,* R *Varine Charini,* Lucilib. *Varine Carini.*

---

*) Cf. Waitz. in Philol. VII. p. 571, qui §. 96. e suo codice et A. scribendum esse monuit *[illegible]*

Ceterum cum A *ac* §. 99. omittendum est, quum gentes ἀσυνδετῶς enumerentur, §. 101. lectionem *Frisiavonum* recte tuetur Osannus Philol. VII. p. 393.

86 106 = 17, 31.

A Scaldi incolunt extera Toxandri pluribus nominibus rel.

Vocem *extera* corruptam esse Silligius animadvertit, quippe quam in libris Mss. aliter scriptam inveniret, et nomen alicuius populi sub ea latere arbitratur. Videamus quid tandem habeant codices.

R *exervi Texuandri*, Td *exervi Exuandri* (d *exervi* ///), A *texero Texuandri*.

Nonne ex optimi libri A scriptura manifestum est, hic quoque primas certe Toxiandrorum litteras scribae illius, qui archetypum exaravit, negligentia bis exhiberi? Exulet igitur populus inauditus, exulet molestum illud *extera*. *Toxiandri* autem scribo e vestigiis librorum, quibuscum consentiens Ammianus Marcell. XVII. 9. Toxiandriam urbem nominat.

87 112 = 20, 34.

Insulae Cicae. Insigne oppidum Abobrica, Minius amnis rel.

Magnam hic corruptelam esse putat Sill. sine melioribus testibus non tollendam. Ego novum dittographiae exemplum qua in nominibus praesertim propriis Plinianum opus scatet, animadvertere mihi videor. Illud *insigne* enim ab omnibus, ut videtur, codicibus abest. Codice A iam destituimur; reliqui sic legunt:

R *signe signe*, Td *Cicae signae.*

Insulae Cicae prope Abobrigam sitae a solo quidem Plinio nominantur nomine tamen vere Hispanico. Nam in

Asturia oppidum. Γίγια commemorat Ptolemaeus II. 6. 29. De his igitur non est dubitandum: cur autem oppidum satis obscurum, cuius praeter Itineraria nemo mentionem fecit, solum inter omnes Hispaniae urbes insigne appellaretur, nulla profecto causa fuit. Neque alia sive urbs sive insula in ea vicinia sita fuit. Itaque deletis litteris quae nihil omnino significant scribo:

Insulae Cicae, oppidum Abobrica rel.

117 = 22, 35. 88

Coloniae Augusta Emerita Anae fluvio adposita, Metallinensis rel.

Ita sane in omnibus codicibus scriptum exstat nomen oppidi ad Anam in planitie siti, quod quum aliquantum a *metallis* montanis distet, ab iis appellatum esse nequit. Neque vocabulum recte formatum est: nam etiamsi non, sicut Sardiniae oppidum, Metalla dicebatur, terminatione tamen aliqua designandum erat, quae non ad humanam seu ferinam prosapiem necessario pertineret. Ita Metallicum ferrem, Metallinum vix ferendum esse existimo. Idem vero oppidum in Itinerario Antonini p. 416. Metellinum vocatur (item apud Geogr. Ravenn. IV. 44. leviter corrupto *nomine* Metilion) idque rectissime. Caecilium enim Metellum Pium contra Sertorium et Perpennam in Hispania bellum diuturnum gessisse constat, quo finito colonia fortasse ab ipsis militibus condita et ab eius nomine appellata est, quo modo pleraque Hispaniae oppida et exstructa et nominata sunt. Scribendum est igitur *Metellinensis.*

120 = 22, 36. 89

Erythia dicta est, quoniam Tyrii aborigines eorum orti ab Erythro mari ferebantur. In hac Geryones habitasse a quibusdam existimatur... Sunt qui

aliam esse eam et contra Lusitaniam arbitrentur eodemque nomine quondam ibi appellant.

Duas esse insulas circa Baetis ostia narrat Plinius, quarum alteram a Poenis Gadir, alteram Erythiam appellari. Iam initio satis mirari nequeo, cur Sill., quum egregiam Pintiani emendationem *aborigines* pro codicum scriptura *ab origine* cum Harduino recepisset, cum eodem necessarium prorsus coniecturae illius supplementum *earum* a Salmasio p. 284. suppeditatum spernendum esse duxerit. Minime enim de Poenorum, quod voluit Harduinus, conditoribus sermo est. Nam ab ipsis Tyriis, neque vero a Poenis insulas primum habitatas esse uno ore loquuntur auctores veteres iam a Salmasio laudati. Atque ipsum Harduinum *earum* praelaturum fuisse persuasum habeo, si legisset codd. A R *eurum* d *earum* habere.

Enuntiati finem ita ut supra legitur exhibuit Silligius, sane e librorum Mss. fide, nam quod R habet *condam* eodem redit, sed quovis sensu carentem. Quum enim particula *quondam* ad tempus aliquod praeterlapsum referamur, proximo verbo ad ipsius scriptoris aetatem iubemur redire, qui librum a Pomponio Mela nuper conscriptum ante oculos habuisse putandus est. Libro enim III. c. 6. Mela ubi e plurimis insulis Gadibus exorsus nobilissimas describit, alteram a Gadibus in Lusitania Erythiam vocat. Quamnam potissimum inter plures ibi sitas significet, quaerere distulit Plinius, aliquam etiamnum esse tradidit, idque Solini verbis confirmatur, qui dum eandem quaestionem agitat, praesenti tempore utitur *Lusitaniam contuetur.* Recte igitur Sill. vulgatam lectionem *quondam appellatam* codicum praeterea auctoritati contrariam reliquit, verumtamen tum scribendum ei fuit:

Sunt qui aliam esse eam et contra Lusitaniam arbitrentur, eodemque nomine q u a n d a m *ibi appellant.*

LIBER V.

12 = 1, 1. 90

Nec solum consulatu perfunctis atque e senatu ducibus, qui tum res gessere, sed equitibus quoque Romanis, qui ex eo praefuere ibi, Atlantem penetrasse in gloria fuit. Quinque sunt, ut diximus, Romanae coloniae in ea provincia, perviumque famae videri potest; sed id plerumque fallacissimum experimento deprehenditur rel.

Longam de Atlante digressionem verba *quinque* rel. prorsus ab ea aliena moleste interrumpunt. Loqui coeperat Plinius de ducibus, qui montem inaccessum antea primi adiissent, rediit deinde ad exponenda ea, quae iidem vera falsa de itineribus suis narraverant: num medio inter utramque disputationem loco de coloniis non in Atlante sed in universa provincia Tingitana conditis verba fecisse putandus est? Accedit quod neque *ea provincia* quidquam habet quo referatur, neque adiectivum *perviumque* et verba quae sequuntur. Itaque rectissime Pintianus aliunde male huc inserta fuisse suspicatus est locumque quo ab ipso scriptore erant prolata idem sagaciter indagavit. Quod enim infra §. 29. peracta Zeugitanae regionis descriptione additur numerus coloniarum Romanarum ibi sitarum, idem in Tingitana quoque procul dubio factum est. Transferenda sunt igitur verba de quibus agimus in §. 17. ibique sic ordinanda:

Tingitanae provinciae longitudo CLXX M. p. est. Quinque sunt, ut diximus (§. 2 sqq.), *Romanae coloniae in ea provincia. Gentes in ea* rel.

Atque quod cod. A nostro loco totum versum a v. *famae* usque ad *plerumque* omittit, multum valet ad codicis

archetypi speciem animo informandam. Scriptum ibi haud dubie fuit:

COLONIAE IN EA PROVINCIA PERVIVMQVE

FAMAE VIDERI POTEST SED ID PLERVMQVE,

ita ut scriba finem superioris versus cum sequente permutaret. Ceterum, quia in cod. A v. *cum* deest, una littera T inserta sequentia ita fortasse scribenda erunt:

quia dignitates indagare vera piget, at ignorantiae rel.

§. 13. A legit *Ivor*; Ptolemaeus IV. 1. 3. Διούρ appellat. Itaque pro *Vior Divor* scribere praestat. Supra quoque §. 9. optimi codicis auctoritas suadet, ut pro *Risardir* legatur *Rhysaddir*, quo nomine §. 18. aliud oppidum appellatur, cf. Ptolem. IV. 1. 7, Itin. Ant. p. 4. et 11. Fine enim vocabuli *dir* i. e. mons (cf. §. 13) continetur, et a syllaba *ru* plurima nomina in ea provincia incipiunt.

91 15 = 1, 1.

— loca inhabitabilia fervore, quamquam hiberno tempore expertos.

Ita e nonnullis libris Mss. legit Sill. Verum de comitibus Suetonii Paulini non loquitur Plinius sed de ipso duce itaque plurali numero uti non potuit. Melius Hard. *expertum*, sed ut videtur, e coniectura: *expertus* a Dalecampio in M. vet. exstare traditur, quod recipiendum ducerem nisi e scriptura ante Harduinum vulgata *experto* optimorum librorum RAD consensu firmata facili mutatione eliceretur *experta*, quo ad *loca* relato structurae mutatio non inelegans et Plinio frequens efficitur.

92 18 et 19 = 2, 1.

Malvane (l. Malvanae e cod. A) fluvius navigabilis Siga oppidum — Syphacis regia, alterius iam Mauretaniae; namque diu regum nomina obtinuere

ut Bogudiana appellaretur extima itemque Bocchi, quae nunc Caesariensis. Ab ea portus Magnus — amnis Mulucha, Bocchi Massaesylorumque finis.

Hic quoque verum perspexit Pintianus qui ultima verba ante „Malvanae" rel. collocanda esse pronuntiavit. Nam Mulucham vicinum Malvae ad occidentem fuisse diserte Ptolemaeus IV. 1. 7. testatur, et Bocchi regnum terminasse praeter Plinium Sallustius Iug. 19. et 22, Strabo XVI. p. 829, Pomp. Mela I. 5. retulerunt, ut Claudii fortasse aetate Malva utraque Mauritania dirimi coeperit, cf. Ptol. l. l., Itin. Ant. p. 12. Immerito enim recentiores geographi idem fuisse flumen ac Mulucham arbitrantur.*) Cetera immutata relinquenda sunt, licet Pintianus ea quoque quae inde a v. *namque* sequuntur post v. *finis* transposuerit. Nam et iusto audacior est duplex verborum traiectio et v. *extima* necessario post v. *Mauretaniae* collocari debet, quum alioquin substantivo suo careret adiectivum. Scilicet Plinius ubi Mulucham nominavit antea regionis finem fuisse tradit, nunc Malvam esse vv. *alterius iam M.* significat et Syphacis mentione facta a regibus olim cognominatas esse Mauritanias addit. — §. 21. scribendum esse *Saldae* etiam Ptolemaei loco IV. 2. 9. demonstratur, ubi commemorantur Σάλδαι, §. 22. verbis *hoc est domus* mapalia Numidarum ab interpolatore declarata esse apparet.

27 = 4, 4. 93

Augylae ipsi medio fere spatio locantur ab Aethiopia quae ad occidentem vergit et a regione

---

*) Temeraria autem coniectura Is. Vossius ad Melae l. l. Mulucham non eum esse affirmavit, quem Strabo et Ptolemaeus nominarunt, sed Chylemath a Ptolemaeo IV. 2. 3. inter Portum magnum et Quizam collocatum in Mylachath mutandum esse. Atque talem coniecturam a Silligio potuisse comprobari.

quae duas Syrtes interiacet pari utrimque intervallo sed litore inter duas Syrtes CCL M p. Ibi civitas Oeensis rel.

Primum *Augilae* cum cod. R (nam A §. 25. desinit) et Herodoto IV. 183. legendum erit. Gravius vitium in sequentibus verbis inesse arbitror. Duas enim Aethiopias Plinius cum Homero fuisse statuit vastis desertis ita discretas, ut Garamantum et Augilarum regiones ad orientem illorum desertorum sitas ab Hesperiis Aethiopibus accurate distingueret, cf. V. 43. Iam vero fieri non potuit ut Augilas pari intervallo ab urbe Lepti magna, quae duas Syrtes interiacet, et ab occidentali Aethiopia trans Nigrin fluvium sita (cll. §. 30) dirimi contenderet. Ubi enim sitae essent Augilae, fidos auctores, veluti Herodotum, secutus iam tradiderat. Itaque non de remotissima illa Aethiopia sed de orientali locutus esse putandus est, cuius finem septentrionem versus Syenen oppidum esse tradit §. 59. Confidenter igitur errorem vel ipsius scriptoris vel scribarum corrigerem in *orientem*, nisi facilior ratio daretur. Ad occidentem enim horum Aethiopum extremi fuerunt Garamantes et certe Trogodytae Aethiopes, quibus cum Garamantibus continuas inimicitias exerceri narravit Herodotus. Dubitari enim potest, num ipsi Garamantes Aethiopibus recte attribuantur. Iam vero Garama Augilas X dierum itinere distare Herodotus IV. 182, XII, numero fortasse corrupto, Plinius tradidit, atque idem fere spatium inter Augilas et regionem inter duas Syrtes mediam situm fuisse videtur. Una igitur litterula mutata extremam orientalis Aethiopiae partem occidentem versus i. e. Garamae viciniam indicabit Plinius, si scribemus:

— *ab Aethiopia qua ad occidentem vergit.*

Ultimam partem enuntiati rectissime ab Harduino di-

stinctam Silligius prava interpunctione corrupit. Nam orae maritimae mensuras Plinius secundum Polybium millenis passibus descripsit. Quum igitur usque ad Syrtim minorem pervenisset, iter terrestre quo ex interiore Africa adibatur, adiunxit. Redit igitur nostro loco ad oram maritimam, et spatium inter duas Syrtes positum quantum sit, docet, inde ad maiorem Syrtim se conversurus. Quam rationem puncto post vocem *intervallo* collocato religiose servatam esse elucebit. Scribendum est igitur:

intervallo. Sed rel.

36 = 5, 5. 94

Garama — a Cornelio Balbo triumphata primus omnium curru externo et Quiritium iure donato; [quippe Gadibus genito civitas Romana cum Balbo maiore patruo data est].

Recte quidem et accurate Balbi genus et vita exponitur; verum, ut mihi quidem videtur, a docto grammatico Solino c. 29. antiquiore qui legentium commodis prospiciebat. Plinium ipsum quae modo de curru Balbi triumphali praedicaverat, de homine inter Augusti aequales clarissimo repetivisse aegre crediderim.

49 = 9, 9. 95

Quae iuxta Pelusium est regio nomos habet Pharbaethiten...; reliqua autem Arabicum... Menelaiten, Alexandriae regione, item Libyae Mareotis.

Mirum in magna nomorum Aegyptiorum copia, qui enumerantur tantum, unius situm accuratius describi, magis etiam mirum, descriptionem illam a vero magnopere aberrare. Nomus enim Menelaites ultra fossam Canobicam

porrigebatur, oppidum vero Canobus totius regionis caput (Ptolem. IV. 5. 9) CXX stadiis Alexandria distabat, cf. Strab. XVII. p. 801. Deinde Libyam cum Mareoti temere apud Plinium confundi manifestum est. Scilicet tres fuerunt nomi qui loco nostro sicuti vulgo legitur distingui nequeunt: Alexandriae regio quae Ἀλεξανδρέων χώρας νομός a Ptolemaeo appellatur additisque verbis καὶ μητρόπολις ab urbe discernitur IV. 5. 46, Libyae nomus ib. 31. et Mareotis ib. 34. Scribendum est igitur, mutatione aut nulla aut perlevi facta:

Menelaiten, Alexandriae regionem, item Libyae, Mareotis.

Et *regionem* quidem apud Martianum Capellam VI. 676. legimus.

96 53 = 9, 10.

(Nilus) circa clarissimam earum *(insularum)* Meroen Astobores laevo alveo dictus, [hoc est ramus aquae venientis e tenebris], dextra vero Astosapes [quod lateris significationem adiicit] rel.

Modo nomen *Astapus* „illarum gentium lingua aquam e tenebris profluentem“ significare tradiderat Plinius. Quodsi igitur *Astabores* (ita enim vel *Astaboras* scribendum est) talis aquae ramum indicasset, *res* vel *ras* ramum significaret. Ferrem hoc equidem. Tum vero *Astasapes* sive *Astasobas*, quemadmodum a Strabone XVI. p. 771. vocatur, esset dexter ramus aquae venientis e tenebris, quum tamen et *Astap* — i. e. prior ingentis nominis pars mutilata sit et altera quae ramum sonaret prorsus exciderit. Atqui Solinus c. 32. primum tantum vocabulum *Astapus* interpretatus est. Lusum igitur hominis semidocti deprehendimus qui et ipse Aethiopica verba intelligere sibi visus est.

In sequentibus §. 61. miror sperni a Sill. egregiam Harduini emendationem, qui ex Herod. II. 147. oppidum ignotum *Crialon* in *Crocodilon* mutavit. Praeterea et §. 63. et ubique e codd. restituenda est germana nominis Canobi forma, quae etiam apud Strabonem legitur.

§. 64. et a Pintiano et aliquanto infelicius a Sillígio tentatur. Ianus autem recte quidem in Diurn. antiq. 1849. p. 465. Silligio *Bolbitinum* ante *Heracleoticum* inserenti obiecit Naucratim in sinistra magni fluminis ripa longe ab ostio Bolbitino sitam fuisse, verum in eo erravit quod fossam quae lacum Mareotim cum Nilo coniungebat (cf. Strab. XVII. p. 803) pro amnis brachio habuit et Strabonis loco XVII. p. 801. male explicato abusus est. Sanum Plinii locum esse sicut vulgo legitur intelliges, dummodo *proximum* non ostium sed Heracleum esse reputaveris.

72 = 16, 15. 97

Prospicit eum *(lacum Asphaltiten)* ab oriente Arabia Nomadum, a meridie Machaerus, secunda quondam arx Iudaeae ab Hierosolymis.

Falso haec tradi praeter alios Forbiger Geogr. ant. vol. II. p. 727. animadvertit, quum Machaerus oppidum munitissimum ad orientem lacus septentrionem versus situm esset. Atque Callirroen fontem, quem in eodem latere lacus ipse Plinius statim nominat, Iordanem amnem ab oriente prospexisse Ptolemaeus V. 16. 9. tradit, prope ipsum oppidum collocat Iosephus De bell. Iud. VII, 6. 3, quem minime dubium est de Callirroe loqui. Inclaruerat paucis annis ante quam Plinius opus naturalis historiae conderet bello Iudaico difficillima obsidione et a Lucilio Basso summa virium contentione aegre captum. Hanccine igitur urbem viro eruditissimo tantopere incognitam fuisse, de cuius situ falsissima traderet, eius praesertim urbis, quam a Ro-

manis obsessam expugnatamque esse in libris quos de suorum temporum historia scripserat, haud dubie ipse narraverat? Scilicet non Plinius ipse erravit. Transferenda sunt vocabula *ab oriente* in versum inferiorem, unde facili rerum similium permutatione in superiorem ascenderunt, totusque locus ita scribendus:

Prospicit eum a meridie Arabia Nomadum, ab oriente Machaerus rel.

At vero, inquies, nonne Arabes Nomades ab oriente lacus usque ad Euphratem vagabantur? Ita est; sed etiam meridiem versus regio eorum extendebatur. Non modo quae deserta vocatur Arabia late in peninsulam patebat, sed inter lacum Asphaltiten et Nabataeorum regionem Arabiae Petraeae partem inhabitabant Idumaei, fortissimi latrones, quorum in bello Iudaico pars fuit haud contemnenda, cf. Ioseph. Bell. Iud. IV. 4. et alibi. Hos praesertim hic intelligendos esse consentaneum est.

98 75 = 19, 17.

Iuxta Getta, Ieba, rivus Pacida sive Belus rel.

In ora Phoenices quae inter promontorium Carmelum Belumque amnem commemorantur oppida, satis illa quidem obscura sunt: alterum tamen probabili coniectura Harduinus idem esse statuit ac *Γίττα* quod in Excerptis Polybii XVI. 41. laudatur. Alterum plane inauditum et ut dicam quod sentio nullum fuit, a mera dittographia natum. Neque enim *Ieba* habent libri apud Sillligium sed *Geba*; *Ieba* e codd. Barbari profectum est. Atqui *Getta Geba* sive *Galta Geba*, quemadmodum legit cod. R, tam sunt similia ut unum ex altero reduplicatum esse videatur, quum praesertim vox et ipsa haud absimilis *Iuxta* praecesserit. Scribendum est igitur:

Iuxta Getta (vel *Gitta*), *rivus Pacida* rel.

77 = 20, 17. 99

A tergo eius (*Sidonis*) mons Libanus orsus MD stadiis Simyram usque porrigitur, quae Coele Syria cognominatur. Huic par interveniente valle mons adversus Antilibanus obtenditur quondam muro coniunctus. Post eum introrsus rel.

Quae e codd. Dad restituit Silligius; consentit etiam R qui habet *que*; de Toletano nihil compertum habemus. Atque sic etiam in vetustis ante Gelenium editionibus, veluti Benedicti Veneta a. 1507. scriptum reperitur. A Gelenio, ut videtur, certe ante Daleeampiam receptum est *qua*, nescio utrum e libris Mss. an e coniectura, quod in edit. Francofurtana a. 1582. sine ulla annotatione invenio. Ferenda tum quidem esset structura verborum, etsi valde inconcinne vox *huic* non ad Coelen Syriam sed ad Libanum referretur: aptus vero sensus ex oratione Plinii vix elici posset. Hoc enim diceret Plinius, regionem inter Sidonem et Simyram Coelen Syriam vocari, quod secus est. Nam quum Simyra quoque, ad flumen Eleutherum sita, mari adiaceret, appareret Coelen Syriam maiorem Phoeniciae partem esse totamque maritimam. Scio equidem universam inferiorem Syriam ad quam Phoenicia et Palaestina pertineant, interdum Coeles Syriae nomine comprehendi, idque a Polybio fere semper factum esse (V. 42, 86, Liv. XXXIII. 19, XLII. 29, 45). Veruntamen proprium vocabuli usum intra Libanum et Antilibanum consistere et ipsa cavitatis notio et diligentissimus auctor Strabo testatur. Nam quum XVI. p. 756. totam regionem inter Seleucidem Aegyptumque sitam Coelen Syriam appellari tradidisset, proprie tamen Libano et Antilibano contineri addidit, ita ut reliquus tractus Phoenices et Iudaeae nomine discerneretur, cf. p. 749, 753, 754. Plinius autem ea-

tenus quidem latiorem usum admisit ut Apamenen et Chalcidenen Coele Syriae attribueret §. 81, sed Damascenen, Casiotidem et quod gravissimum est, Phoenicen ac Palaestinam diligenter ab ea separavit, cf. §. 66, 70, 74, 79. Iam vero Arado Phoeniciam terminari ipse narrat §. 79: unde Coelen Syriam a mari remotam interiores tantum Syriae partes complecti necessario consequitur. Quodsi igitur vulgata scriptura propter argumentum est improbanda, multo etiam minus Silligii lectio tolerari poterit, quippe quae pronomen relativum enuntiato obtrudat ad quod nihil omnino apte referatur. Verum enim vero viam medendi monstrat haec codicum Mss. scriptura qua et cum linguae legibus et cum rei veritate locus Plinii possit conciliari. Iterum enim transpositione utendum est atque reponendum:

A tergo eius mons Libanus orsus MD stadiis Simyram usque porrigitur. Huic par interveniente valle quae Coele Syria cognominatur Antilibanus obtenditur rel.

100 78 = Ibidem.

At in ora etiamnum subiecta Libano rel.

Sic iam in editione Francof. a. 1583. legitur, nescio an in exemplis Basileensibus. Apud Benedictum a. 1507. invenitur *At in ora nunc subiecta,* in cod. N *hinc,* ad cuius marginem *nunc* adscriptum est. Vox autem *etiamnum* ex illo *nunc,* ut videtur, correcta quum ab omnibus libris Mss. de quibus certi aliquid constat, absit, sine dubio est eiicienda. Magno consensu libri Mss. habent *autem* et quidem rectissime. Nam illud *at* initio enuntiati abest a cod. Θ, in reliquis autem e verbo praecedente *laxitas* eo facilius nasci potuit, quum sequatur *in,* etsi in universum non magna est litterarum S et T similitudo. Quodsi quis Silligii invento uti velit, scribere poterit *Et* quod reapse in

cod. N exstat. Verum in coniunctionibus tam insolitis, qualis est vocabulorum *et* et *aut* copulatio, summa certe cautione opus erit. Malo igitur scribere:

In ora autem subiecta rel.

79 = Ibidem. 101

Antiochia libera Epidaphnes cognominata.

Praestat divisim scribere *epi Daphnes* (apud Strabonem enim XVI. 749. ἡ ἐπὶ Δάφνῃ appellatur), §. 78. *Gabala* pro *Gabale*, sicut et a Strabone XVI. p. 753. et a Ptolemaeo V. 15. 3, 21. appellatur. *Calaba* enim in RDa^{1}d legitur. Ibidem recte Pintianus correxit *Leonton*.

81 et 82 = 23. 19. 102

Nonnulla nomine propria vulgo male scribuntur. Primum rectius cum vetustis editionibus et cod. R (ubi legitur *Hermisenos*) post v. *Granucomatae* scribitur *Hemisenos* — litterarum enim ordine in enumerandis Syriae oppidis utitur Plinius —; atque eandem ob causam post *Seleucias* cum codd. a et d leviter corruptis legendum est *Tardytenses*, quod iam ab Hard. animadversum est. *Cardytus* enim quam ex Hecataeo magnam Syriae urbem fuisse tradit Stephanus, eadem est atque Cadytis Herodoti II. 159, et III. 5, itaque ad Palaestinam pertinet, quam Hierosolyma fuisse persuasum habeo. Gravius in proximo sensu vitium tollendum erit. Enumerat ibi Plinius

Beroeenses, Epiphanoenses; ad orientem Lao- 103
dicenos qui ad Libanum cognominantur, Leucadios rel.

Laodiceam autem Scabiosam quae etiam a Strabone XVI. p. 755. ἡ πρὸς Λιβάνῳ dicitur, cur ad orientem spectare tradiderit Plinius, causa nulla excogitari potest. Tan-

tum enim abest ut orientem versus situm perhibeatur oppidum, ut omnium quae hic commemorantur unum maxime ad occidentem vergat. Itaque etiamsi in omnibus libris Mss. legerentur verba *ad orientem*, pro integris haberi non possent. Atqui ex iis quidem libris quos accuratius collatos adhibuit Silligius (nam in aliis quoque exstare vetustarum editionum consensu indicatur) in uno D legitur *orientem*; Ra[1] habent *Orontem*, *Oronthem* d quocum Toletanum conspirare licebit certe in VV. DD. silentio e consueta horum librorum concordia colligere. Iam vero utraque urbs, et Epiphania et Laodicea, re vera ad Orontem sita fuit: itaque certissima emendatione ad alterutram scriptura *ad Orontem* referatur necesse est. Neque dubitabimus quin Epiphanensibus attribuamus. Laodiceni enim ad Libanum cognominati ab urbe maritima iam satis distincti sunt, Epiphania autem ab oppido cognomine Ciliciae flumine nominato commode discernitur. *Epiphanenses* dico, nam eam vocabuli formam e Graeco Ἐπιφανεῖς apte ducta omnes libri Mss. mira concordia exhibent, *Epiphanoenses* appellat Silligius, quasi vero Ἐπιφάνοια vocaretur urbs haud ignobilis. Sic igitur Plinii verba constitui oportet:

Beroeenses, Epiphanenses ad Orontem, Laodicenos qui ad Libanum cognominantur rel.

104 83 = 24, 20.

Oritur *(Euphrates)* in praefectura Armeniae maioris Caranitide, ut prodidere ex iis qui proxime viderant, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mucianus sub radicibus montis quem Capoten appellat, supra Zimaram XII M p., initio Pyxurates nominatus. Fluit Derxenen primum rel.

De duobus fluminibus verba facere Plinium constat, quorum confluentibus magnus Euphrates efficitur (cf. Forbiger Geogr. ant. vol. II. p. 69). Quorum alterum e monte Aba (quem Araratem nunc appellant), alterum e monte Capote id est ex eo Tauri iugo profluit, quod magis ad septentrionem spectat. „Scythis proximum" vocat Solinus c. 40: „Scythinis" melius dixisset. Loquitur enim de populo quem Chalybibus vicinum esse tradidit Xenophon Anab. IV. 7. 18 (cf. Forbig. l. l. p. 601). Iam vero Carenitidem ipsam et Xerxenen (ita enim haud dubie legendum est cum Strab. XI. p. 528, qui etiam Cambysenen in ultima Armenia nominat) in ea Armeniae parte sitas fuisse tradit Strabo l. l., quae a septentrione occidentem versus Chalybum et Mosynoecorum vicina fuerit. Hanc vero Zimara aliquanto amplius XII mil. pass. abfuisse itinerariis ostenditur. In Antonini enim Itinerario p. 207, quocum consentit fere Tabula Peutingeriana, Satala Melitenes oppidum a Zimara CXLI mil. pass. distat: quibus si addideris spatium haud multo minus quo Satala ab Euphratis fontibus dirimuntur, efficitur tantus error in itinerum mensura, qualem Plinius qui Muciani commentarios ante oculos haberet et VI. 23. post Corbulonis expeditionem accuratiora se de Asia superiore proferre quam veteres gloriaretur, committere non potuit. Scilicet accidit hic quod saepius factum est, ut numeros quorum vim ac rationem minus perspectam haberent, describendo scribae vitiarent, legendumque erit:

— *supra Zimaram CCXII M p.*

§. 87. pro *Uram* scribendum est *Suram*, quo nomine et infra §. 89. et a Ptolemaeo V. 15. 25. oppidum ad Euphratem situm appellatur, §. 90. cum Hemsterhusio, quem laudat Silligius, *Opim*, cf. Strab. XVI. p. 749, deinde cum Harduino *in virginem e leone.*

105 **91 = 27, 22.**

— sinus Issicus, oppidum Issos, i n d e Alexandria, flumen Chlorus, oppidum Aegae rel.

In Cilicia describenda Plinius a Syriae finibus occidentem versus procedit: quodsi igitur *inde* recte legeretur, Alexandria Isso urbi ad occidentem sita putanda esset. Quum vero Plinius propter nominum similitudinem oppidum Issum cum sinu coniunxisset adderetque Alexandriam quae XVI mil. p. ab Isso meridiem versus distabat, alia profecto particula utendum fuit quam quae falsam de oppidi situ opinionem procrearet. Talem vero particulam libri Mss. praeter incertum illum Dalecampii M, quantum video, fere omnes dederunt, ipsam codd. Barbari, in *idem* corruptam reliqui. Ea est *item* qua significat scriptor quum post flumina, montem, sinum oppidum quoque commemorasset, Alexandriam pariter atque Issum oppidum esse. Similis vocabuli usus reperitur §. 148. — §. 96. nisi codd. scripturam *Platanistum* servare malis, e Ptolemaeo V. 5. 8. legendum erit *Pednelissum*. *Paryadus* s. *Paryardes* aut §. 98. aut 99. e glossemate *ortus* videtur.

106 **107 = 29, 29.**

Doridis in sinu Leucopolis, Hamaxitos, Eleus, Euthene. Dein Cariae oppida Pitaium, Eu t a n e, Halicarnasus.

Halicarnassum Cariae Mela quoque I. 16. attribuit, sicut Euthanen quae etiam a Stephano πόλις Καρίας appellatur. Εὐθήνην vocat: apparet igitur eandem esse quam modo nominaverat Plinius. Iam vero duo oppida cognomina in eodem sinu Ceramico sita esse quis sibi persuaderi patietur? Prior eiicienda erit, cuius Dorica forma quum in margine archetypi adscripta esset, in ipsam scri-

ptoris orationem, ut fit, a proximo scriba recepta est. Legendum est igitur:

Eleus. Dein Cariae oppida Pitaium, Euthene, Halicarnasus.

114 = 29, 31. 107

Magnesia Maeandri cognomine insignis, a Thessalica Magnesia orta — Antea Thessaloche et Androlitia nominata.

Antiqua urbium et insularum nomina e Callimacho plerumque affert Plinius, vel a fabulis domesticis vel a poetarum locis repetita. Ita h. l. ab origine Magnesia non *Thessaloche*, quae forma nulla est, sed *Thessaliotis* appellatur. Alterum nomen Callini fragmentis addendum videtur 'Ανδρολέτειρα, *Androlitira* a Plinio dicta, quo bellum aut cum Treribus aut cum Ephesiis gestum significatur, cf. Conon c. 29, Strab. XIV. p. 647 sq., Athen. XII. p. 525, Diog. Laert. I. 117 sq. Eundem Callinum vel Mimnermum potius (cf. fr. 13) Thyatiram Euhippiam vocasse putaverim. Ibidem cum plerisque codicibus qui *Amorges* vel *Amoges* exhibent, *Amorge* vel *Amorgus* scribere malim. Fieri enim facilius potuit ut, sicut Ortygia et insula et Ephesi pars vocabatur, ita etiam Amorgi appellatio in continentem cum accolis migraret, quam ut a Morgetibus in Asia ignotis nomen duceretur. §. 117. cum R^1a praestat fortasse legere *Hermesta.*

118 = ibidem. 108

Amazone condita — Zmyrna.

Ita Silligius sane e codicibus verum ablativo usus plane singulari quem Plinio non inusitatum esse exemplis ad XXXIII. 3. allatis comprobare conatur. Atque illo quidem loco recte e cod. Bamb. scripsit: *quousque penetra-*

tur avaritia, est enim ablativus instrumenti similis illi „coelum petimus stultitia". In reliquis vero locis praeter nostrum VIII. 162. et IX. 89. subiecti casum qui necessario requiritur facili emendatione restituere licet. Pro „Amazone condita", „Vergilio vate absoluta", „L. Lucullo proconsule comperta" littera E in I mutata dativum nanciscimur poetis et argenteae aetatis scriptoribus familiarem. §. 119. e Strabone XIV. p. 646. pro *Leuce* scribendum videtur *Leucae* quod in D invenitur. §. 122. recte Silligius e codd. edidit *Gergitha.* Osannus enim quum in Diurn. archaeol. 1845. no. 32. p. 116. vulgatam scripturam *Gergithos* in *Gergithes* mutavit, oppidum in Cumanorum agro situm cum colonia confudit quae Strabone teste XIII. p. 589. inde in regionem Lampsacenam profecta est. Gergitham autem ab Attalo rege deletam esse idem p. 616. tradidit. §. 125. pro *Cale* cod. A habet *Idale*, RTd *Itale*, quare cum Ida monte coniunctum videtur oppidum alias ignotum. Legendum est fortasse *Idalium* sive *Idalia.* §. 140. e lectione cod. R *Lepetinnum* restituendum est *Lepetymnum* (cf. Parthen. Narr. amat. 21) et e codd. Rd recipiendum *Sandalium*, sicut a Strab. XII. p. 569. castellum Pisidiae appellatur.

109 130 = 31, 35.

Inter Cypri oppida enumeratur *Epidarum*, quod quum optimi codices AR^2 *Epidaurum* appellent, nescio cur lectionem aptissimam VV. DD. spreverint. Fuisse enim inter Cyprios etiam Argivorum colonos Herodot. V. 113. et Strabo XIV. p. 681. retulerunt, qui oppido eodem modo nomen ab urbe patria nobilissima sumptum indidisse putandi sunt, quo Salaminem ab insula vocatam esse constat. Neutro vero genere eodem modo Epidaurum dicitur, quo §. 142. Cyzicum sc. subintellecto v. oppidum.

141 = 32,40. 110

Impetum deinde sumit Hellespontus et m a r e incumbit, verticibus limitem fodiens, donec Asiam abrumpat Europae; promontorium id appellavimus Trapezam.

Subiectum Hellespontum esse manifestum est. Neque enim mare Hellesponto incumbit, sed Hellespontus summa vi e mari Euxino ac Propontide profluens ita ingruit mari Aegaeo ut velut pondere suo undas premere videatur. Ita §. 127. se concitare dicitur quo vehementiorem impetum faciat. Optimam vero sententiam verba sicuti nunc leguntur non exprimunt. Namque accusativum casum numquam cum verbo incumbere coniungi constat. Necessario igitur aut secundum codd. Td scribendum erit *in mare*, aut quod ad libri R lectionem propius accedit, *m a r i incumbit.*

142 = ibidem. 111

Mox oppida Placia, A r i a c e, Scylace rel.

Ariace nomen in hac certe regione prorsus inauditum ex *Artace* factum videtur, frequentissima litterarum I et T permutatione. At vero ne Artace quidem eo loco quem indicat Plinius sita fuit. Duo enim oppida ita appellata sunt, alterum prope Cyzicum quod modo §. 141. nominabatur, alterum ad Pontum Euxinum ultra nigrum promontorium, alias Artena vel Artana vocatum, cf. Ptolem. V. 1. 5. Neutrum huc quadrat: alterum enim ad orientem, ad occidentem alterum nimium ab intervallo inter Placiam et Scylacen medio abfuit. Quapropter prava repetitione vocabuli paulo supra positi irrepsisse arbitror, originem autem vitii etsi manifesto deprehendere non liceat, talem fere fuisse suspicor, ut in codicis primarii margine scripturae varietatem ARIACE ad ARTACE adscriptam in ipsum

archetypi inde descripti contextum receptam esse existimem. Ceterum in praecedente enuntiato quo urbis Cyzici situs describitur, immerito Sill. lacunae vestigia quaesivit. Verbis enim „cuius a vertice mons Dindymus" vertex oppidi (nam oppidum pronomine relativo significari apparet) est pars altior civitatis quae monti Ursorum sese applicat, pone quem Dindymus extollitur. Cyzicus enim partim per campum extendebatur partim montem quem Ἄρκτων ὄρος Strabo XII. p. 596. appellat, aliqua ex parte occupabat. Redit Artacaeorum nomen §. 151, ubi inter
112 insulas Cyzici vicinas enumerantur **Halone cum oppido, Delphacie, Polydora, Artacaeon cum oppido.**

Fuisset igitur tertium etiam oppidum Artace in insula cognomine. Atque hanc quidem novit Strabo l. l., oppidum non commemorat, ita ut vix mihi persuadeam, uno eodemque loco duplex eo nomine fuisse oppidum, alterum in peninsula Cyzicenorum, alterum in insula situm. Quapropter scribere malim *Polydora Artacaeon cum oppido*, scilicet Polydora nominato. Polydoram enim insulam prope Cyzicum sitam fuisse tradidit Stephanus s. v., quae quidem facile fieri potuit ut Artacaeorum esse diceretur. Graecum autem genitivum a Plinio Graecum auctorem secuto adhiberi quis miretur? Verum dubiam eam coniecturam ita profero, ut ipse dubitem. Aliquanto §. 143. confidentius pro *Malianda* scribendum esse censeo *Mariandа*, unde Mariandynorum nomen ductum esse apparet. *Mariandyne* iam Harduinus coniecerat.

113 **150 = 32, 43.**

... dein Naulochum promontorium; Estiae templum Neptuni.

In describendo Bosporo Plinius eum ordinem tenet ut a Propontide incipiat et septentrionem versus locos

Asiae commemoret, qui usque ad Ponti Euxini fauces memoratu digni esse videantur. Probe autem tenendum est litus Asiaticum ab eo legi, Europae oram antea IV. 46. et 75. enarratam esse. Recte omnia procedunt: nominantur Chalcedon, Chrysopolis, Nicopolis, portus Amyci, Naulochum et ultimum templum Neptuni, quem plerique Iovem Urium dixere, Timostheni autem (nam ei prae ceteris obsecutus est Plinius) Neptunum appellare licuit, quoniam utraque dei species, et ea quam mente ac ratione conceperant veteres et quam artis monumentis exprimebant, Neptuni simillima fuisse putanda est. Qui vero medius inter Naulochum et templum Neptuni commemoratur locus an huc omnino pertineat, incertum est. Deam non indicari ex ipsa structura verborum apparet; locum si quaerimus, interpunctione utique a templo distinguendum, inveniemus quidem apud Polybium IV. 33. τὰ περὶ τὰς Ἑστίας ἄκρα καλούμενα τῆς Εὐρώπης, sed et in aliena regione, Thraciam dico, et, quod maius est, etiamsi concedas festinantiae scriptoris errorem gravissimum ut Europam cum Asia permutasse videatur, ne in ipsa quidem Europa loco Naulochi viciniae apto. Polybius enim qui inverso ordine a Ponto Bospori cursum describere coepit, Hestias infra Hermaeum et ex adverso fere urbis Chrysopolis collocavit. Non dico fieri non potuisse ut Plinius talem errorem committeret: sed quum facili coniectura molestas illas Hestias abigere liceat, magnopere me ad eam inclinare fateor. Quidni enim scribetur:

dein Naulochum promontorium est ac templum Neptuni.

LIBER VI.

2 = 1, 1. 114

ad Bosporos duos vel bubus meabili transitu, [unde nomen ambobus] rel.

Ponti Euxini freta vivida et concitata oratione describit Plinius, et Bosporos quidem valde angustos esse ipsa nominis originatione declarat, quam peritis vel indicasse satis fuit. Transit deinde ad alia argumenta magis etiam insignia. Quomodo igitur tam inepte doctum sese exhibuisse putandus est, ut rem pueris notissimam significaret iterumque deinde legentium animis inculcaret? At vero interpolatorem eruditae annotationis non piguit.

115 10 = 3, 4.

Fuit oppidum eodem nomine et alia V, Amazonium, Themiscyra, Sotira, Amasia, Comana n u n c M a t i u m.

Ita codd. Rdr. *Mantium* dedit Silligius, *Manteum* vel *Manteium* reliqui. Verum oraculum cum Comanorum templo antiquitus coniunctum et diu ante Plinii aetatem fuisse constat, cf. Hirt. Bell. Alex. 66. Matium autem etiam infra §. 12. nominatur a Ma dea, ut videtur, appellatum. Mirum sane videtur, quod cognomen illud oppidi celeberrimi alibi non reperitur, verum in re incerta coniecturis abstinendum erit.

116 14 = 4, 4.

— gens Sal a e antiquis Phthirophagi dicti et a l i a s Suani —

Phthirophagos a Suanis distinguit Strabo XI. p. 499, itaque pro *alias* sive *ala*, ut in R legitur, scribendum est *a l i a.* Salas Ptolemaeus III. 5. 22. in Sarmatia Europaea habitasse tradit et Σάλοι appellat, unde fortasse *Salae* in *S a l o e* mutare praestat. Item qui §. 16. *Epageritae* vocantur, apud Ptolemaeum sunt Παγυρῖται: utrum autem nomen praeferendum videatur, decerni nequit.

19 = 7, 7. 117

Primi Sarmatae Gynaecocratumenoe, Amazonum connubia.

Ita Silligius, quum vulgo *unde* ante *Amazonum* insereretur. Atque illud quidem rectissime fecit quod Graecam pluralis numeri formam e cod. d recepit: hoc quoque laudandus quod vocem *unde*, quam in nullo libro Ms. inveniri iam Hard. annotaverat, eiecit. Videtur quidem in recentiore aliquo libro a primis editoribus lecta fuisse, quum iam in editione principe reperiatur: sed interpolatione e corruptis ultimis vocabuli Graeci litteris ortum esse manifestum est. Quod vero Silligius imprimi iussit, id equidem me non intelligere fateor. Sarmatas enim ipsos connubia Amazonum vocari tum demum crederemus, si ullum talis vocabuli abstracti (quod dicunt) usus exemplum allatum esset. Videtur ita locum interpretatus esse Pintianus, dum Pomp. Melam. I. 19. fin. Plinii verbis illustrat. Sed apud Melam quoque „Amazonum regna“ non esse appositionem ad „Maeotici γυναικοκρατούμενοι“ verum interpunctione correcta a verbo „tenent“ apta esse, a recentioribus intellectum est. Quod autem apud Dalecampium in margine adscribitur *Amazonum regna V.*, id non e libro Ms. profectum esse arbitror, sed hunc ipsum Pomponii locum a viro aliquo docto laudari, qui Plinium quoque ita scripsisse coniiceret. Prudenter enim Sill. p. XXIX. inter siglas M. et V. quibus usus est Dalecampius, ita distinxit, ut altera certe coniecturas virorum doctorum permultas comprehendi admitteret. Quod ita se habere prae reliquis annotatione Dalecampii ad VI. 92. confirmatur, ubi haec margini adscripsit: „*Cufin.* Omnia Man. Quidam etiam veteres habent, *Phoclo.*“ Male tamen ille quisquis fuit. Nam id potius dixit Plinius, Sarmatas propterea Gynaecocratumenous appellari, quoniam

Amazonum connubiis coacti uterentur. Lepidam Herodoti narrationem IV. 110 sqq., Strabonis dissertationem XI. p. 504. ut omittam, unum e Periplo Ponti Euxini p. 1. locum cum Harduino attulisse sufficiet, ubi diserte commercium illud quo Sarmatae cum Amazonibus coniungi perhibebantur causa cognominis ignominiosi fuisse traditur. Τούτοις δὲ ἐπιμεμῖχθαι τὰς Ἀμαζόνας τοῖς Σαυρομάταις λέγουσιν, ἐλθούσας ποτὲ ἀπὸ τῆς περὶ τὸν Θερμώδοντα γενομένης μάχης· ἐφ' οἷς ἐπεκλήθησαν οἱ Σαυρομάται Γυναικοκρατούμενοι. Cf. Dionys. Perieg. 656. Requiritur igitur apud Plinium particula qua propter Amazonum connubia Sarmatas ita appellatos esse indicetur. Quodsi vero reputaveris, quam facile longo et insolito vocabulo similis quaedam ultimarum litterarum vocula absorberi potuerit, et quanta inter syllabas *oe* et *ob* intercedat similitudo, vix dubitabis quin apud Plinium scribendum esse censeas: — *Gynaecocratumenoe ob Amazonum connubia.*

118 25 = 9, 9.

Armenia autem maior ... Euphrate amne, ut dictum est, aufertur Cappadociae et, qua discedit Euphrates, Mesopotamiae, haud minus claro amne Tigri.

Quum sensus verborum manifesto sit „Armenia aufertur Euphrate Cappadociae, Tigri Mesopotamiae“, nescio cur vulgo post *Mesopotamiae* interpungatur. Artissime enim coniungantur oportet *Mesopotamiae haud.*

119 28 = 9, 10.

Adiabenen Tigris et montes invii cingunt. Ab laeva eius regio Medorum est et prospectus Caspii maris rel.

Vulgatam hanc scripturam, quam Silligius retinuit, e codd. Mss. de quibus certius constat unus P (Monacen-

sis saec. XV) exhibet: RT legunt *ad prospectum*, d *et prospectum*. Quam non corruptelam ego, sicut Silligius, sed veram germanamque lectionem esse arbitror, etsi vulgatam facilius explicari concedam. Quid enim in eo sensu reprehendas quem suppleta voce *usque* explicari licet „A laeva Adiabenes, si quidem Tigridis cursum spectaveris, orientem versus extenditur Media usque ad montes Cadusiorum et Caspiorum (cf. §. 36, 39. et 45), unde Caspium mare prospicitur"? Standum erit igitur ab optimis libris et scribendum:

— *regio Medorum est ad prospectum Caspii maris.*

§. 47. corruptam esse apparet, sed quid ibi legendum sit, ingeniosiori viro inveniendum relinquo. §. 52. *Icarum* flumen nusquam praeter h. l. obvium in *Bactrum* corrigendum esse Ritterus As. II. p. 560. perspexit. Et re vera non *Icarum* habent codd. Mss., sed *Iacrum* R et melius etiam *Iachrum* TPd.

58 = 17, 21. 120

(*India*) patefacta est... et aliis auctoribus Graecis qui cum regibus Indicis morati, sicut Megasthenes et Dionysius a Philadelpho missus ex ea causa, vires quoque gentium prodidere.

Quae tandem causa fuerit, cur ad reges Indorum legati mitterentur, e Plinii verbis non elucere recte monet Schwanbeckius De Megasthene p. 20. Neque eam indicare in animo habuit, sed propterea vires populi ac multitudinem accuratius a legatis describi potuisse tradidit, quoniam diutius apad reges morati essent, addita scilicet causa quam his verbis in incerto reliquit Strabo II. p. 70: ὑπομνήματα τῆς ἀποδημίας κατέλιπον τοιαῦτα, ὑφ' ἧς δή ποτε αἰτίας προαχθέντες. Unde consequitur interpunctione correcta legendum esse: *missus, ex ea causa vires* rel.

121 61-63 = ibidem.

Diognetus et Baeton itinerum eius *(Alexandri)* mensores scripsere a portis Caspiis Hecatompylon Parthorum quot diximus milia esse... inde ad Alexandri oppidum L M. [In quibusdam exemplaribus diversi numeri reperiuntur;] hanc urbem sub ipso Caucaso esse positam. Ab ea rel. ... Reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt; ad Sydrum CLXVIII mil., Iomanen amnem tantundem, [— aliqua exemplaria adiiciunt V milia passuum —] inde ad Gangen CXII mil., ad Rhodaphan DLXIX mil., [— alii CCCXXV mil. in hoc spatio produnt, —] ad Calinipaxa oppidum CLXVII D, [— alii CCLXV M, —] inde ad confluentem Iomanis amnis et Gangis DCXXV M, [— plerique adiiciunt XIII mil., —] ad oppidumque Palibothra rel.

Terrena quae inde a §. 61. incipit Indiae demonstratio duabus partibus constat, quarum altera usque ad Hypasim fluvium pertinet, altera viam regiam usque ad Palibothra oppidum et Gangis ostium persequitur. Priorem e Diogneti et Baetonis commentariis sumpsit Plinius, quibuscum regis epistolas consentire ait, alteram e Megasthenis Indicis exscriptam esse luculenter Schwanbeckius p. 16 sqq. demonstravit, neque praeter hunc alium quemquam auctorem adhiberi eo efficitur, quod Seleuco Nicatori i. e. in usum Seleuci iter emensum esse narratur. Qui enim post Megasthenem Prasiorum regiam adierunt Dionysius et Deimachus a Ptolemaeo Philadelpho

et Antiocho Seleuci filio missi fuerunt, ad Amitrochadem scilicet Sandrocotti filium, quem etiam litterarum commercio cum Antiocho coniunctum fuisse constat, cf. Strab. II. p. 70, Athen. XIV. p. 652. Iam vero permirum videtur, Plinium varia variorum librorum exemplaria inter se contulisse atque scripturae discrepantias accurate annotasse, mirum et in immenso quem susceperat labore vix credibile. Accedit quod tum stadiorum, non miliariorum numeros in aliis Graecorum auctorum codicibus aliter scriptos commemorare oportuit. Denique verbis valde ambiguis et impeditis numerorum differentiae proferuntur. Nam et §. 62. verbis „In quibusdam" rel. structura totius enuntiati pervertitur et qui §. 63. laudantur „alii" et „plerique", etsi libri Mss. fuerunt, rerum scriptores videntur fuisse. Quam ob rem quae uncis inclusimus non a Plinio profecta esse arbitror et quae h. l. laudantur exemplaria, iis non Graecos libros sed ipsius auctoris codices contineri, quos quum in numeris non consentire intellexisset grammaticus qui ad vetustorum librorum accurate collatorum fidem exemplum unde nostri codices fluxerunt composuit, sedulo in margine scripturae quam invenerat varietatem annotavit, unde in archetypi textum migravit. Iunium illum Laurenaum sive potius Laurentinum dico, in subscriptione codicis A ad calcem libri quarti nominatum, qui, ut iam n. 39. significavimus, saeculo quarto post Chr. n. Plinii opus recensuit. Permagna enim numerorum perturbatione hanc descriptionem etiamnum laborare eo praesertim ostendit Schwanbeckius, quod praeter DCXXV mil. pass. nullus ad plenam stadiorum mensuram revocari potest, et ultimum, quo spatium inter Palibothra Gangisque ostium definitur, in DCCXXXVIII mutandum esse Strabonis loco XV. p. 689. comprobatur qui e Megasthene sex milia stadiorum nominat.

122 **74 = 20, 23.**

Hi montium, qui perpetuo tractu oceani orae pertinent, incolae liberi et regum expertes multis urbibus montanos obtinent colles.

Ita Silligius e cod. R aperto vitio. Nam utrumque recte dicitur: „ad oram pertinere“ et „orae praetendi“, „pertinere“ vero numquam cum dativo casu construitur. Alterutrum igitur eligendum erit, aut „praetinere“ cum dativo aut „pertinere ad oram“. Illud Salmasius p. 995. recipiendum statuit. Qui quum in libris Mss. legisset *oceani ora pertinent*, scribere voluit *oceani orae praetenti*, eumque secutus est Harduinus. Nam falso Silligius Salmasium *ora* legisse refert. Confirmat eam coniecturam scriptura Rob. *oceani ora praetinent.* Verumtamen pronomine relativo „qui“ verbum finitum requiri arbitror. Iam vero quum codd. Td exhibeant *ad oceani ora pertinent*, nescio cur durissimum construendi modum Plinio obtrudamus. Fieri enim facile potuit ut in reliquis libris vocula *ad* inter syllabas *tu* et *oc* excideret. Itaque scribendum arbitror: *qui ad oceani oram pertinent.*

Ceterum licet magnopere mihi displiceant „montani colles“, incertis suspicionibus abstinendum reor.

123 **77 = ibidem.**

Hinc deinde accolunt Indum adversum evidenti demonstratione Athoae, Bolingae rel.

Corruptum esse locum quis non videt? Quae enim est *evidens* demonstratio? Atque hoc ipsum adiectivum libri Mss. omnes ignorant. Habent enim: R *advessos eos cadente*, T *adversus eos cadente*, d *adversum eos cadente.* Rectam autem emendandi viam ingressus est Pintianus qui in ultimis duobus vocabulis latere participium

scandente egregie animadvertit. Sic II. 213. *scandant* pro cadant R[1] exhibet. Quum vero hoc modo scribi vellet: *accolunt Indum adversum scandentes*, ita ut voce „demonstratione" populum quendam ignotum contineri arbitraretur, vera falsis miscuit. Tantum enim abest ut pro corrupta ultimam vocem habendam esse censeamus, ut huic quasi fundamento in emendando insistere oporteat. Verbo enim „demonstrare" in situ locorum exponendo velut proprio utitur Plinius. Ita IV. 13. habemus *demonstratum iam Rhium*, ita nostro libro §. 61. invenitur *terrena demonstratio*. Quanam igitur nunc demonstratione utatur Plinius, ex iis quae modo dicta sunt liquet. Pervenerat usque ad Olostras qui Patalam insulam mari vicinam attingebant. Iam igitur a mari usque ad Caucasi radices (§. 78) qui potuit pervenire demonstrando nisi ut adversum amnem legeret? Haec est quam scandentem demonstrationem vocat, sicut mox §. 78. se cum Indo rursus decurrere tradit. Iam vero recte quidem diceretur „adversum scandente demonstratione". Nam et verbum scandere in re simili aeque intransitivum admittitur §. 24, ubi Cappadocia „magno impetu ad Tauri iuga scandere" traditur, et „adversum" pro „in adversum" ire adhibetur VIII. 92. Verum satius erit litterarum quae in omnibus libris Mss. reperiuntur nullam negligere. Remanent autem hae *eo*, quas cum reliquis tali fere modo in archetypo scriptas fuisse coniicio: ADVERSV̄ EŌ SCĀDENTE. Quodsi autem animo reputaveris, quanta sit terminationum in *um* varietas, et quam saepe cum *om* permutentur, primo obtutu, ut spero, intelliges latere accusativum pronominis, unde iam certo colligitur ita Plinium scripsisse: *accolunt Indum, adversum eum scandente demonstratione* rel.

Adiecit autem pronomen alias non necessarium, ne voces „Indum" et „adversum" male a legentibus coniungerentur.

124 **92 = 23, 25.**

Haec regio est ex adverso Bactrianorum, deinde cuius oppidum Alexandria a conditore dictum.

Docte de quatuor satrapiis quae hoc capite describuntur, egit Salmasius p. 1174 sqq. cll. p. 794, Ariamque cum Ariana a Plinio confundi luculenter demonstravit. Ac nostro quidem loco excidisse nomen Ariae vidit, quum et pronomen relativum non habeat cui respondeat et Alexandria ad Cartanam, quam ultimam Plinius commemoraverat, non pertineat. Leniori autem remedio loco mederi poterat quam quo usus est. Scribi vult: *ex adversum Bactrianos, Aria deinde.* Multo vero facilior erit ea coniectura qua voce „Bactrianorum" similem prorsus „Arianorum" absorptam esse statuimus. Quae si admittitur, haec fere Plinius scripsisse putandus est:

Haec regio est ex adverso Bactrianorum; Arianorum deinde cuius rel.

Paulo infra oppidum Artacabane idem esse atque Artacoanna quod modo nominaverat, manifestum est: in mutando tamen nomine cautione opus erit, quum fortasse ex alio auctore diversam formam, in qua magnopere variant veteres, acceperit. Proxime ad Ἀρτακαύαν, sicuti ab Isidoro Char. p. 8. appellatur, accedit; quare litteram B pro V positam esse putaverim.

125 **96 = 23, 26.**

... indicare convenit, quae prodit Onesicritus classe Alexandri circumvectus in mediterranea Persidis ex India, narrata proxime a Iuba, deinde eam navigationem, quae his annis comperta servatur hodie. Onesicriti et Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum nec spatia, primumque Xylene-

polis ab Alexandro condita, unde ceperunt exordium, iuxta quod flumen aut ubi fuerit non satis explanatur.

Quae de hoc loco a Dodwello et Vincente disputata sunt, diligenter exposuit Geierus, Alex. Magni hist. scriptt. p. 78. Atque illud quidem iam inter omnes convenit, quae Arrianus de Nearchi expeditione narravit, cum Plinii verbis, dum modo recte scribantur*), aliquanto melius conciliari quam Dodwellus existimaverat: quae autem relinquantur discrepantiae, eo praesertim excusari quod praeter Nearchum Onesicritum secutus est Plinius; namque utrumque in Auctorum elencho lib. I. enumerari videmus. Unum discrimen idque gravissimum ingeniosa coniectura Geierus tollere conatus est qui ante v. *nomina* excidisse coniecit *omnia*, assensum nactus Westermanni in Pauli Encyclop. vol. V. p. 490. et Car. Mülleri, Scriptt. rer. Alex. M. p. 56, haud scio an recte. Quod vero non ipsos Alexandri comitum commentarios a Plinio excerptos esse sed Iubae librum qui Onesicriti et Nearchi volumina compilaverit, VV. DD. arbitrati sunt plerique omnes, dicendi generis quo fere utitur Plinius rationem, ut videtur, non

---

*) Ita pro *Ab his* vel *Abies* oppidum *Arbis* e Marciano Heracl. p. 24. et Ptolemaeo VI. 21. 5. restituit Salmasius qui p. 1175 sqq. uberrime de his regionibus disputavit. Idem *flumen Nabrum* in *Arbim* mutandum esse vidit, quod a Strabone XV. p. 720. et Stephano eodem nomine, ab Arriano Ind. 21—23. minus recte *Arabis* appellatur, cf. Wesseling. ad Diod. XVII. 104, Lassen. Antiq. Ind. II. p. 190. Quae coniectura lectione codd. Rd confirmatur qui exhibent *Nabrim*, cui e fine proximi vocabuli *n* adhaeserat. Pro *Athothadrus* scribendum est cum eodem Salmasio et Vincente *Aradus*. §. 103. recte Salmasius *nominatum* legi voluit. Alia praeterea nomina Vincens apud Schmiederum ad Arrian. Ind. p. 259. correxit. Nam libro quo Nearchi periplum doctissime Vincens illustravit, uti mihi non licuit, excerpta autem e periplo maris rubri in Bredovii Quaestt. geogr. vol. II. p. 715 sqq. nihil fere de Nearchi navigatione continent.

habuerunt. Nam quod Dodwellum offendit, miliaria non stadia numerari, saepissime et facili computatione stadia ad Romanorum mensuram redegit, veluti §. 108. sinus Persici circuitum $\overline{XXV}$ M p. esse ex Eratosthenis geographicis tradidit. Onesicriti autem paraplus quem a Iuba confectum esse putavit Geierus p. 82. neque alibi commemoratur neque nostro loco indicatur. Tria enim sunt quae sese descripturum esse promittit Plinius, primum eam navigationem quam Onesicritus et Nearchus susceperant, deinde eam quam Iuba exposuerat, postremo sua aetate compertam. Verba enim *narrata proxime* ita explicentur oportet ac si diceretur „deinde ea indicabuntur quae a Iuba narrantur" ut vocabulum *proxime* a *convenit*, *narrata* ab *indicare* aptum esse videatur, prorsus eodem modo quo XXXIV. 138. pergitur: „Proxime indicari debent metalla ferri", cf. XVI. 1, XXXII, 56, XXXIV. 1. Quodsi enim non ipsos Macedonum classis praefectos sed Iubae nescio quem paraplum vel potius libros de Arabia ad C. Caesarem scriptos, qui XXXII. 10. laudantur*), consuluisset Plinius, qui tandem fieri poterat ut §. 124. Babylonem ab Euphratis ostio CCCCXII M p. navigari e Nearchi et Onesicriti voluminibus traderet, inter eos vero „qui postea scripsere" Iubam nominaret, qui a Babylone Characem CLXXV mil. p. abesse perhiberet, quum Charax eodem auctore L mil. p. esset a litore (§. 140)?**) Ad tempus sane indicandum non ibi tantum voce *proxime* utitur Plinius, ubi de homine loquitur quem ipse noverat, veluti de Iunio Annaeo Gallione XXXI.

*) Iubae fragmentis addenda sunt quae XII. 52. et 64. traduntur, regionem Arabiae turiferam a capite regni Sabota octo mansionibus, Thomna a Gaza sexaginta quinque mansionibus camelorum distare.

**) Numerum ibi CLXXV, pro quo in codd. RTd legitur XII. D, corruptum (fortasse in CCCCLXXV mutandum) esse apparet.

62. qui post annum 66. a Nerone interfectus est, cf. Dio Cass. apud Xiphil. LXII. 25, sed de Augusti supremis idem vocabulum usurpat VII. 33. Verum alteram h. l. inesse quae subiicitur narratio ostendit. Namque post verba „Sic Alexandri classis navigavit" non statim sequitur ea navigatio, quam „his annis compertam" nominaverat Plinius et quam e periplo maris Erythraei haustam esse luculenter Schwanbeckius Nov. Mus. Rhenan. vol. VII. p. 364 sqq. ostendit, circa annum p. Chr. n. 75. fortasse scripto, ut Georgius Bunsenius, suavissimus olim discipulus meus, in docta quam de Azania Bonnae anno proximo edidit commentatione p. 7. non improbabiliter coniecit. Quae igitur inter utrumque cursum media interiiciuntur:

Postea ab Syagro Arabiae promontorio Patalen favonio quem Hippalum ibi vocant peti certissimum videbatur XIIII. XXXV M p. aestimatione. Secuta aetas propiorem cursum tutioremque iudicavit, si ab eodem promontorio Sigerum portum Indiae peteret. Diuque ita navigatum est donec compendia invenit mercator lucroque India admota est.

a Iuba Plinius accepisse putandus est, qui et eum cursum, quo a Syagro promontorio Patalen petebant et quo postea ad portum Sigerum ceteroquin ignotum, hodie fortasse Siddi-Zyghur appellatum (cf. Lassen. Antiq. Ind. vol. II. p. 540), navigabant mercatores, videtur descripsisse. Quae autem ultimo sensu adduntur procul dubio ad Hippalum pertinent, qui in periplo p. 32. κυβερνήτης, hic mercator appellatur. Hinc sententiae Vincentis a VV. DD. vulgo receptae, qua Claudio regnante vixisse perhibetur, disertum

Plinii testimonium accedit. Quod enim iam antea favonium Hippalum vocavit, si modo ipsa scriptoris verba leguntur, factum est per prolepsin ceterum rectissimam, quoniam re vera Hippalus favonio vento respondet. Difficile est diiudicatu, quamdiu Patalen navigatum sit, is certe qui a Strabone II. p. 118. et XV. p. 686. describitur cursus Sigerum tendebat, quippe qui diu valuisse h. l. dicatur. Imperfectum autem „infestabant", quod e codd. recepit Silligius, eodem modo adhibuit Plinius quo infra §. 105. utitur, scilicet supplendum est: „cum proderem haec". Nam piratas prope emporium Muzirim habitasse etiam peripli auctor tradidit. Quae igitur §. 100. et 101. narrantur, Iuba retulerat. Idem etiam iter per Aegyptum usque ad Berenicen portum videtur exposuisse, quod e periplo describi non potuit. Namque camelorum mansiones, quales inde a Copto enumerantur, etiam XII. 64. e Iubae commentariis sumptas esse coniecimus et alius auctor h. l. non laudatur, quum §. 170. Iuba „diligentissime persecutus haec" dicatur. Accedit quod Iuliopolis unde Nilo navigabant Coptum, et quae alibi non commemoratur, in Iulii Caesaris honorem ab Octaviano nomen accepisse videtur.

Urbem unde Nearchus navigare coepit, ab Alexandro conditam esse tradidit Plinius, a Nearcho quum Indorum seditione ut maturius solveret coactus esset, in occidentali flumine festinanter exstructam esse coniecit Lassenius Ant. Ind. II. 1. p. 192. Mihi potius sicut Rittero Geogr. vol. V. p. 478. altera statio praeter Patalen cum navalibus significari videtur, ab Alexandro in orientali Indi alveo condita (cf. Arian. Anab. VI. 20). Unde propter metum a barbarorum incursionibus Nearchum consilio mutata cum navibus ibi collectis Patalen rediisse et inde occidentali fluvii parte navigasse arbitror, ubi stationem illam sitam fuisse consentaneum est, quam pro vero itineris

principio habuit Arrianus Ind. 21. nulla eorum quae antea evenerunt ratione habita. Utut est — et iam Plinio ipsi primae stationis situm ignotum fuisse vidimus — illud rectissime Lassenius animadvertit, urbem ligneam i. e. stationem navalem nomine *Xylenepolis* significari, quae littera e a proximo vocabulo repetita *Exilenepolis* in cod. R, in d *Exylenepolis* vocatur. Itaque sine dubio scribendum erit:

Xyline polis.

98 = ibidem. 126

Inde promontorium Carmaniae est, ex quo in adversa ora ad gentem Arabiae Macas traiectus distat L M. p.

In adversa ora traiectus esset in ipsa Arabia quaerendus. Tum vero quoniam ibi Macae habitabant, traiectus ad Carmanos nec ad Arabes fieret necessario. Cum alio autem vocabulo verba coniungi nequeunt: itaque lineolam in archetypo evanuisse censendum et scribendum erit:

in adversam oram rel.

99 = ibidem. 127

— flumen Sitiogagus, quo Pasargadas septumo die navigatur.

Sitacum nominat Arrianus, et videtur Plinius quoque nominasse. Nam quae in libris Mss. leguntur nomina *Sitioganus*, *Sitiogadus*, *Sitiogagus* omnia, ut puto, e falsa reduplicatione syllabae AC orta sunt, ut in archetypo scriptum fuisse putandum sit SITACACVS. Ceterum fortasse fossa cum Cyro coniungebatur: ad Pasargadas enim non pertinuisse constat.

§. 104. recte interpunxit Schwanb. p. 375. *oppidum, regia eius:* fortasse *regium* scribere praestat, sicut §. 138. „urbem regiam" legimus. §. 107. *Ananim* in *Anamin* mu-

tandum videtur, ut *Armúzia* quae in R *Armisia*, in Td *Armysia* vocatur, in *Armozia* vel *Harmozia*, cf. Arrian. Ind. 23. et infra §. 110, ubi *Armozei* vulgo editur, *Harmazei* in d reperitur.

128 **115 = 26, 29.**

Regio ibi maritima Ciribo; qua vero ipsa subit ad Medos rel.

Oram Persidis quae mare rubrum attingit, oratione procul dubio manca et lacunosa describit Plinius. Quid tamen dicere videatur, ingeniose Harduinus indagavit. Attulit enim locum, quo manifesto hunc de quo nunc agitur, respiciens Plinius §. 136. „oram Syrtium vice inaccessam coeno" se dixisse tradit, atque inde Syrtium nomen sub verbo corrupto *Ciribo* latere acute et vere coniecit. Quam vero vocem effinxit, qua coeno inaccessa ora exprimeretur Συρτίβωλος, ea et prorsus nova est ac vix Graeca appellanda et idcirco maxime reprobanda, quoniam non appellativo quem vocant sensu *σύρτις* pro loco arenoso in mari usurpavit Plinius, sed de nomine proprio Syrtibus se locutum esse ipsa quam §. 136. instituit comparatione demonstrat. Nam id non dixerim quod Silligius obiecit, Harduini coniecturam a codicum scriptura nimium recedere, quum Harduinus diserte testatus sit, in Parisinis plerisque legi *Ceribobus*, quo propius etiam ei quam proposuit scripturae accedunt libri ante Hermolaum Barbarum editi, qui habent *Cyribolus*. Quodsi igitur necessario nostro loco Syrtium non *σύρτεως* mentio fieri debuit, circumspicienda est alia ratio, qua et e vestigiis librorum Mss. sanum nomen proprium evadat et structurae grammaticae satisfiat. Neque tam difficilis est inventu. Tenendum est enim, quam modo attulimus nominis speciem *Ceribobus* vel *Cyribolus*, in deterioribus tantum codicibus

reperiri: optimorum R habet *Ciribo* Td *Cyribo*, uterque mancum quidem sed ita comparatum, ut et quid omissum sit e loco modo laudato facile intelligi et e proximi vocabuli initio suppleri possit. Atque id quidem sponte apparet, primis litteris Syrtium nominis vestigium inesse. Quo posito aeque manifestum est ultimis, omissa quidem ante *I* littera simillima T, dativum vel ablativum casum indicari. Sigla archetypi scriba usitatissima hacce videtur usus fuisse SYRTIB’, unde factum est ut signum ’ pro vocali *o* haberetur. Habemus igitur dativum *Syrtibus*, cui verbum aliquod additum fuisse putandum est, quo similitudo quae inter oram Persidis et Syrtes intercedere videbatur, significaretur. Adiectivum id fuit cum dativo coniunctum, quod ideo excidit quoniam cum proximo vocabulo confundebatur. Sequitur vero *qua*, unde nulla fere mutatione inserendum est: *equa*. Aequari enim poterat Syrtibus propterea quod κεῖθι πηλός ἐστιν ἐπ᾽ ἑκάτερα τοῦ πλεομένου βαθὺς καὶ ἰλιώδης, ut Nearchus apud Arrianum Ind. 41. perhibet, neque tamen tam late patebat, quare *minorum* Syrtium vice inaccessa dicitur §. 136., quasi minorem quandam Syrtium speciem prae se ferret. Adiectivum autem „aequus“ cum dativo coniunctum interdum idem significat quod „par“, veluti apud Ovidium Pont. IV. 7. 24, Senecam ep. 94, quos locos laudat Forcellin. s. v. Ita verbum aequare ab ipso Plinio usurpatur XXXIV. 68. Sic igitur constituendus est locus vexatissimus:

Regio ibi maritima Syrtibus aequa; qua vero ipsa subit rel.

123 = 26, 30. 129

Sunt etiamnum in Mesopotamia oppida Hipparenum, Chaldaeorum doctrina et hoc sicut Baby-

lon, iuxta fluvium Narragam, qui cadit in Narrogam, unde civitati nomen.

Locum difficilem ita e libris Mss. Silligius constituit. Antea legebatur ex interpolatis, ut videtur, codicibus: *Chaldaeorum doctrina clarum et hoc, sicut Babylon, iuxta fluvium Narragam, qui dedit civitati nomen.* Verba *doctrina clarum* a Gelenio omissa Harduinus restituit, qui simul praeter necessitatem *Babylonii* legi voluit. Verum comparato proximo enuntiato, ubi Orcheni „tertia Chaldaeorum doctrina" appellantur, efficitur vocem „doctrina" raro alioquin usu a Plinio pro sectis Chaldaeorum usurpari, quas αἱρέσεις nominat Strabo XVI. p. 739. Inde vero colligitur pluralem „oppida" non ad solos Hipparenos pertinere, quibus vocabulum „doctrina" singulari numero additur, sed Orchenos etiam reliquasque eorum urbes eodem nomine comprehendi. Nam Ὀρχηνοί τινες — καὶ Βορσιππηνοὶ καὶ ἄλλοι πλείους a Strabone l. l. commemorantur. Iam primum illud quidem manifestum est, duo flumina commemorari, Narragam et unam e multis quae ab Euphrate ducebantur fossam, ab archetypi scriba cum eo nomine, quod in proximo versu conspexerat, permutatam. Hipparum vocatam fuisse verisimile est, quoniam ultima verba ad aliam quandam civitatem vix videntur spectasse. Aliter quidem sentiunt Harduinus, qui Hipparam cum Borsippa, Narragam cum Naarsare, quem Ptolemaeus V. 26. 6. et Ammianus Marcellinus XXIII. 6. commemorant, composuit, et Mannertus Geogr. vol. V. 2. p. 386. ac Ritterus Geogr. vol. X. p. 146, qui Hipparam ab Ammiano Macepracta appellari sive urbem Narragam Graece conversam atque alibi Naarda vocatam intelligi voluerunt: Narragam enim eam fossam fuisse quae ad septentrionem Naarmalchae sita apud Ammianum nomine non addito indicatur. Verum etsi concedendum est,

fieri posse ut Narraga pro fluvio illo habeatur, quod iam Anvillius coniecerat, incertissimae tamen coniecturae aliam superstruere periculosum videtur. Naarda enim, cuius cognomine oppidum Noorda trans Tigrim situm apud Zosimum III. 34. invenitur, Euphrate et validis moenibus munitum fuit, cf. Ioseph. Antiq. Iud. XVIII. 9, Hipparenorum autem muros a Persis dirutos esse Iosephi aequalis Plinius refert, a Dario, ut videtur, Hystaspis filio, qui etiam Babylonis muros deiecit, cf. Herod. III. 159 (interiores puto, quum Cyrus exteriores tantum diruisse tradatur a Beroso apud Ioseph. c. Apion. I. 20), fortasse Agranim quoque delevit, cf. §. 120. Deinde Hippara non Graecum sed Semiticum nomen esse arbitror, quum et Borsippa et in Africa Hippo eandem radicem prodat. Harduini coniecturae magis me favere fateor. Namque et magna utriusque nominis est similitudo et Borsippenos Chaldaeorum doctrina inclaruisse constat. Praeterea Borsippa, a Cyro quondam obsidione cincta, iam Alexandri aetate „deserta olim" fuit, cf. Iustin. XII. 13, a Persis scilicet deleta. Postremo ordini quem in describenda Mesopotamia Plinius sequitur, multo melius respondet Borsippae quam Naarmalchae vicinia. Coeperat enim §. 119. a Nicephorio Euphratem legere, unde ad Naarmalchan et Babylonem descendit atque post Hipparenos Orchenos et alia oppida Characem versus enumerat. Neque fossae desunt, quibus Naarsares cum Euphrate coniungebatur, quarum unam Hipparum fuisse consentaneum esset. Attamen quominus pedibus in Harduini sententiam transeam nominum diversitas me retinet. Quem enim Pallacottam Arrianus Exp. Alex. VII. 21, Ptolemaeus Naarsarem vocat, eundem Plinius Narragam vel Narrogam i. e. flumen scissum dixisse putandus esset, nomine sane aptissimo, quoniam re vera Euphrates in fossas scinditur.

Illud tamen in tanta fossarum Babyloniarum obscuritate recte coniecisse mihi videor, h. l. legendum esse: *iuxta fluvium Hipparum, qui cadit in Narrogam* rel.

130 127 = 27, 31.

- Influit (Tigris) in lacum Arethusam.

Ita codd. Hard. At R habet *Aretissam* d *Arctissam*, Rob. *Arecissam* Solin. c. 37. *Arethisam*. Quum igitur optimis libris littera l communis sit, manifesto forma nominis insolita ei quae fontis nobilissimi recordatione videtur orta, praeferenda erit. Accedit quod idem lacus quem vulgo Arsissam vocant, a Ptolem. V. 13. 8. 'Αρέησα appellatur, quod *Areisa* haud dubie pronuntiandum est. Scribendum est igitur et apud Plinium *Aretisam* et apud Ptolemaeum 'Αρέτησα. Apud Ammianum Marcellinum XXIII. 6, qui Ptolemaeum fere ubique exscripsit, pro *Sosingiten* procul dubio reponendum est *Thospiten* (cf. Ptol. l. l. 7).

131 129 = ibidem.

Tigris autem ex Armenia acceptis fluminibus claris Parthenia ac Nicephorione Arabas Oreos Adiabenosque disterminans et quam diximus Mesopotamiam faciens, lustratis montibus Gordyaeorum circa Apameam Mesenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam CXXV M p. divisus in alveos duos, altero meridiem ac Seleuciam petit Mesenen perfundens, altero ad septentrionem flexus eiusdem gentis tergo campos Cauchas secat, ubi remeavere aquae, Pasitigris appellatus. Postea recipit ex Media Choaspen atque, ut diximus, inter Seleuciam et Ctesiphontem vectus in lacus Chaldaicos effundit rel.

Totum locum adscripsi, quo melius appareat, quam perverso ordine cursus nobilissimi fluminis enarretur. Ferrem tantam scriptoris negligentiam in remotis ignotisque regionibus: Seleucae vero ac Mesenes situm a Plinio tam apertis erroribus admixtis describi potuisse numquam concedam. Duo sunt praesertim quae correctione indigent. Primum fieri non potuit ut Tigris postquam Apameam pervenit meridiem petens Seleuciam reverteretur, quae, ut ab ipso Plinio traditum est, amplius centum milibus passuum et quidem septentrionem versus distabat: deinde quo tandem modo inter Choaspis confluentem et lacus Chaldaicos id est in Characenes confiniis inter Seleuciam et Ctesiphontem lapsus dicetur? Et hic quidem manifestus scribarum error etiam eo proditur, quod Plinius superiore illo loco quem ipse laudat, de neutra urbe locutus est. Respicit enim §. 100, ubi quod Choaspen Eulaeum nominat non est quod mireris. Utrumque enim nomen promiscue a veteribus usurpari post alios docuit et cur ita fieret explicuit Forbiger vol. II. p. 581. De Seleucia vero et Ctesiphonte ne γρῦ quidem. Idem igitur h. l. evenit, quod iam saepius admissum esse vidimus, ut verba *inter Seleuciam et Ctesiphontem vectus* alieno loco archetypo codici insererentur. Scilicet pertinent ad proximum sensum, quo nunc cursus Tigris magno saltu a Gordyene Apameam facto interrumpitur, atque ibi post vocem *Gordyaeorum* reponenda sunt. Prior autem locus tum demum emendari poterit quum Apameae situm exploraverimus. Quum autem Plinius et Stephanus eo loco positam esse tradant, ubi dividatur Tigris, eundem occupasse consentaneum est, ubi nunc Kut el Hamara in Kieperti tabula regni Ottomanici reperitur. Inde enim flumen Schatt el Hijeh sive el Hamra dictum, alter qui a Plinio vocatur alveus, recta meridiem versus Babyloniae campos secat

Euphratem petens. Inde colligitur, vocabula *ac Seleuciam* facili quodam errore in hunc alienum locum migrasse. Scilicet quum in antiquissimo codice ad prius vocabulum *Seleuciam* in margine annotatum esset *Seleuciam Babyloniam* (ita enim cognominabatur, cf. §. 122. et 133), accidit ut qui archetypum librum scripsit, his verbis in Plinii orationem receptis alterum quod sequebatur *Babyloniam* cum *Seleucia* confunderet atque *Seleuciam* germanae lectioni substitueret. Quod si concesseris, iam ex obscura falsaque perspicua redditur Plinio oratio loco ita constituto:

— *lustratis montibus Gordyaeorum, inter Seleuciam et Ctesiphontem vectus, circa Apameam Mesenes oppidum citra Seleuciam CXXV M p. divisus in alveos duos, altero meridiem ac Babyloniam petit* rel.

132 130 = ibidem.

Sed longo tempore Euphraten praeclusae Orcheni et accolae agros rigantes, nec nisi per Tigrim defertur in mare.

Orchenos Chaldaeos, quos ad meridiem habitasse §. 123. retulerat, ad Persicum sinum collocat Ptolemaeus V. 19. 2, atque hic fossas illas atque emissaria aggere munita esse quibus aquae fluminis in arva diducebantur, et Strabo XVI. p. 741. et quem potissimum Plinius sequitur, Mela III. 8. 5. tradiderunt. Apparet igitur, quod iam ipsis verbis modo allatis demonstratur, Orchenos illius laboris auctores perhiberi neque aliam gentem, quae in hac quidem regione qualis fuerit, penitus ignoratur. Accedit quod e verbis Plinii, sicuti nunc leguntur, Orcheni ab accolis Euphratis distinguuntur, ut quomodo e flumine alieno fossas ducere potuerint, ne intelligatur quidem. Immo ipsos accolas fuisse consentaneum est: deleatur igitur importuna

copula *et* e reduplicata prima proximae vocis syllaba *ac* orta atque scribatur:

Orcheni accolae.

131 = ibidem. 133

Oppidum eius Dabithac, et iungitur Chalonitis cum Ctesiphonte rel.

Ita e codd. Td, quibuscum consentit lectio libri R *dabit haec*, edidit Silligius, quum antea legeretur *Dibitach iungitur.* Eandem urbem Ptolemaeus V. 18. 9. Δόρβητα appellat: apparet igitur familiarem Semiticis linguis terminationem *a*, quae Hebraeorum ה respondet, huic quoque oppido reddendam esse, et deleta copula quae eodem vitio ei accrevit quod proxime deprehendimus, legendum esse:

— *Dabitha, et.*

134 = ibidem. 134

— supra Cossiaeos ad septentrionem Mesabatene sub monte Cambalido qui est Caucasi ramus, inde mollissimo tractu in Bactros.

Bactrorum in hoc tractu mentionem fieri non potuisse manifestum est, quippe qui magno intervallo separentur. Medos accuratissime dixisset, quum Strabone teste XVI. p. 744. e Media et Zagri montis vicinia facillimus in Elymaidem aditus per Mesabatenen pateat. Sed meminerimus transitum ad superiora Parthorum regna describi (cf. 112. et 116), Mesabatenen autem a Ptolemaeo VI. 4. 3. Paraetacenes quae Mediam adiaceat, a septentrione collocari, Plinio autem auctore l. l. Paraetacenos inter Parthos et Arianos excurrere: atque sic intelligemus h. l. pro *Bactros* reponendum esse simillimum vocabulum: *Parthos.* *Hedypnon* cum Pintiano e Strab. l. l. in *Hedyphum* mutandum est.

135 **140 = ibidem.**

Charax oppidum Persici sinus intimum (§. 138) ... Prius fuit a litore stadia X maritimum — et iam Vipsanda porticus habet, — Iuba vero prodente L M p.; nunc abesse a litore CXX M legati Arabum nostrique negotiatores, qui inde venere, affirmant. Nec ulla parte plus aut celerius profecere terrae fluminibus invectae maris; id mirum est rel.

Silligius „locum," inquit, „sine melioribus codd. numquam restituendum talem, qualem libri nostri exhibent, corruptum exhibui, cum coniecturarum quae hucusque prolatae sunt nulla satisfaciat." Recte ille quidem de coniecturis iudicavit: nam adhuc VV. DD. ingenio ut fit abusi a codd. Mss. vestigiis mirum quantum praeter ullam necessitatem recesserunt: de libris vero Mss. et hic et saepe iniquius sensit vir diligentissimus. Nam etsi tantum absum ut vel optimum A libri Bambergensis praestantiae parem esse dicam, ut nullius fere scriptoris veteris codices tot mendis inquinari quam Plinium profitear: permulta tamen ita esse comparata existimo, ut lenibus remediis ex ipsis nostris codicibus sanari possint. Atque hic locus, de quo sese desperare fatetur V. D., una litterula mutata tam evidenter emendabitur, ut ne ipsi quidem Sillìgio dubii quidquam relictum fore confidam. Miras sane viri docti lectiones exhibent: *inde pseudoporticus habet* Gelenius et Frobenius, *etiam Ipsanda portum habuit* Pintianus, *ipsa tum portum habuit* vel *iam inde ipsa portum habet* Dalecampius, *ipsa inde portum habuit* Harduinus, vel ex ipsorum ingenio vel compendiis librorum Mss. male intellectis prognatas. Nam quod iam e Barbari codicibus scriptura *in psanda porticus habet* facile elici poterat nomen pro-

prium, optimi codd. RTd aliquanto apertius demonstrant. Scribunt enim *Uipsanda*, haud dubie corrigendum in *Vipsania*, quomodo III. 10. pro *Detunda* in codd. scribitur *Detuma, Detumo, Decumo, Decuma*. Vipsaniam enim eandem porticum dici, quae a Pola M. Agrippae sorore inchoata et ab Augusto peracta orbem pictum urbi spectandum proposuerit (cf. Plin. III. 17, Dio Cass. LV. 8), iam Beckerus Ant. Rom. vol. I. p. 397. probabiliter coniecerat. Qua emendatione recepta aliter verba interpungantur oportet. Demonstraturus enim Plinius, quam celeriter terrae in illis regionibus fluminum affluvione crescere soleant, Characem oppidum intra paucos annos longe a mari distare coepisse narravit, quum antea maritimum fuisset. Quum enim antea (nam id est *prius*), Agrippa in Asia usque ad a. DCCXLI. commoratus mari vicinum ésse comperisset, duodecim annis post quum Iuba C. Caesari in Asiam a. DCCLIII. proficiscenti Arabiae sinusque Persici oram describeret, L M p. a litore abfuisse, nunc CXX abesse. Ne autem verba „etiam rel." nimis abrupte interponantur et oppidum quod aliquo certe licet brevissimo intervallo a litore separari traditur, aut superflua aut discordi narratione in ipso litore positum esse videatur, ita interpungenda sunt verba Plinii, ut initium enuntiati id tempus spectet, quo Iuba auctore Pasines oppidum restituit. Iubam enim in iis quae modo commemorabat, se sequi Plinius ipse testatur. Quibus additur aliud argumentum: etiam in porticu Agrippae maritimam urbem exhiberi. Scribendum est igitur:

Prius fuit a litore stadia X (sc. Pasinis aetate) — *maritimum etiam Vipsania porticus habet* — *Iuba vero prodente* rel.

Genitivum deinde *maris* scripturae vulgari *magis* quam e codicibus ut videtur interpolatis vetusti editores receperunt, ex optimis libris recte praetulit Silligius. Idem

vitiosum esse intellexit: facilius tamen quam quod ille excogitavit remedium ut pone v. *parte* transponeretur, reperiri poterat. Dativus enim casus restituendus est, ut terras fluminibus mari invectas esse vere et aptissime narretur. Id dubium remanebit, utrum in hac mutatione acquiescendum esse statuamus an probabilius etiam eo ortum esse vitium arbitremur, quod in libro protarchetypo scriptum fuerit MARI SID, litteris I et E ut fit permutatis, unde quum describere deberent *mari sed,* effecerint scribae *maris id.*

136 146 = 28, 32.

Quidam et alia II oppida longis intervallis Tigri praenavigari tradunt, Barbatiam, mox Thumatam, quod abesse a Petra dierúm X navigatione (negotiatores dicunt Characenorum regi parere) et Apameam sitam ubi restagnatio Euphratis cum Tigri confluat.

Ita Silligius e codd. Rd, nisi quod *abes* in R exstat oppidumque. *Dumatham* omnes appellant, quod iam in vetustis editionibus ex aliis libris falso *Thumatham* vel potius *Thumatam* scribitur a Ptolemaeo VI. 7. 33. commemoratum. Consentiunt ΘT eatenus, quod vocem *nostri* quae vulgo ante *negotiatores* praemittitur, omittunt. *Characenorumque* vulgo scribitur e codd., ut videtur, praeter Rd omnibus. Postremo inversum ordinem *decem dierum* omnes libri excepto R videntur exhibere. Iam vero ne sic quidem quomodo a Silligio constituuntur, sana esse verba facile est intellectu. Primum enim non duo sed tria oppida enumerantur: deinde oppidum Thumata in medio continente inter Petram et Characem situm ab amne Tigri prorsus alienum est: postremo quomodo navigatione a Petra Thu-

matam perveniri potuit, quum nullo flumine regiones illas irrigari constaret? Quapropter ultimum de quo locuti sumus vocabulum haud dubie corruptum est syllaba *ne* e proxima, *nau* e priore voce quae in *um* desinit, temere, ut videtur, repetita, et quod reliquum est *gatio* vel *igatio* in *spatio* mutandum. Quia porro alieno loco haec omnia inserta esse docuimus, aptior nullus reperiri poterit quam spatii quod inter Petram et Characenorum regnum interiacet, descriptio. Pervenerat autem §. 145. Plinius a Petra usque in medias solitudines, post quas in Pasitigris ripa oppidum nominat, quod et ipsum sicuti Thumata Characenorum regi parebat. Hic igitur, antequam Tigrim attingeret, Thumatam quoque nominasse putandus est. Quo posito, et si pro *abes* quod in cod. R exstat, scripseris *abest*, talis oratio rerum veritati congrua evadet:

A Petra incoluere Omani ad Characem usque, oppidis quondam claris a Semiramide conditis, Besannisa et Soractia: nunc sunt solitudines. Mox Dumattham quod abest a Petra X dierum spatio negotiatores dicunt Characenorum regi parere. Deinde est oppidum quod Characenorum regi paret in Pasitigris ripa, Fora nomine, in quod a Petra conveniunt Characemque inde XII M p. secundo aestu navigant.... Quidam et alia II oppida longis intervallis Tigri praenavigari tradunt, Barbatiam et Apameam rel.

In antecedentibus numeros DC et CXXXV transponendos esse iam alii animadverterunt. Quod vero Quatremerus in doctissima dissertatione de Nabataeis (Diurn. Asiat. 1835. tom. XV. p. 16) verba „Huc convenit“ de Persico sinu intelligi voluit, et usu loquendi Plinii refellitur, qui voce „convenire“ terrestria fere mercatorum itinera significat, cf. §. 145. et 157. al., et universa loci nostri indole quo oppida Arabiae Petraeae describuntur. Petram

igitur duo negotiatorum agmina convenire narrat, eorum qui a Gaza et qui Palmyra venerunt. Hos autem, quomodo fere orationem variare solet, ita commemorat ut, quum primum a litore Syriae Palmyram accessissent, deinde Damascum ac Petram petere tradat. Scribendum est igitur pro „*et Syria*“ *e Syria* sc. maritima. Reliqua etiam ita ut nunc leguntur falsa esse idem Quatremerus intellexit, verum de ipsius scriptoris errore cogitavit, quem nos librariis tribuendum esse coniecimus. Ceterum monere paene oblitus eram, pro *Thumatam* e codd. RΘTd legendum esse *Dumatham* quam formam et Stephanus Byzantius et Ptolemaeus V. 19. 7. leviter corruptam Δούμεϑα ἢ Δούμαιϑα (nam hic locus neque VI. 7. 33, ubi Arabiae felicis oppidum nominatur, laudandus erat a Silligio) exhibent.

147.

137 Nunc a Charace dicimus oram Epiphani primum exquisitam. Locus, ubi Euphratis ostium fuit, flumen Salsum, promontorium Chaldone, voragini similius, quam mari per L M p. orae, flumen Achenum rel.

Duobus modis ad ea quae expositurus est, Plinius transitum parat, sive coniunctivo praesentis sive futuro indicativi usus. Ita, ut in proximis subsistam, §. 106. fin. reperitur: revertemur, dicemus §. 116, conveniat §. 127. dicantur 157, persequemur 163. Indicativo vero praesentis abstinet: itaque hic scribendum erit: *dicemus*. Scilicet in protarchetypo fuerat DICIMVS, permutatis litteris E et I. Ceterum hic quoque verborum ordo perturbatus est. Nam promontorium nec mari aut voragini simile appellari nec per L M p. extendi potuit. At contra circa Euphratis ostium paludes ab utraque parte late patuisse notum

est. Susianae enim oram per vada et paludes praeternavigavit Nearchus, cf. Arrian. Ind. 41, Strab. XV. p. 729, et ibi a Ptolemaeo VI. 3. 2. nominatur Τέναγος Ἀμμῶδες et Πηλώδης κόλπος. Atque Arabiam versus Euphrates ipse et flumina cum eo coniuncta vel inde derivata lacus et paludes effecerant — αἱ τοῦ Εὐφράτου παρεκχύσεις αἱ ποιοῦσαι τὰς πρὸς τῇ Ἀραβίᾳ λίμνας καὶ τὰ ἕλη πλησίον εἰσὶ τῆς κατὰ Πέρσας θαλάττης, inquit Strabo XVI. p. 742, ποιοῦσι δὲ οἱ ποταμοὶ οὗτοι καὶ αἱ ἀπ' αὐτῶν ἐκτροπαὶ λίμνας καὶ ἕλη Ptolemaeus V. 20. 2. —, quae Arabiae desertae vicinae ibidem §. 7. fuisse perhibentur. Haec igitur vada illuvie ac voraginibus squalida circa eum locum, ubi Euphratis ostium fuerit, antequam ab Orchenis praecluderetur (cf. §. 130) per longum orae tractum porrigi refert Plinius. Legendum est igitur:

Locus, ubi Euphratis ostium fuit, voragini similius quam mari per L M p. orae, flumen Salsum rel.

153 = 28, 32. 138

— gentes Larendani et Catabani, Gebanitae pluribus oppidis, sed maxumis Nagia et Thomna templorum LXV.

Catabanorum caput Eratosthenes apud Strabonem XVI. p. 768. Tamna fuisse narrat eamque turiferam regionem esse, quae ad fines Arabici sinus porrigatur: Gebanitas, quorum infra mentionem fecit Plinius XII. 63, non commemorat. Apparet igitur h. l. Thomna a Catabanis non bene separari. Fuerunt enim et alii Catabani in Arabia Petraea, supra V. 65. commemorati, a quibus Gebanitae cognomine distinguuntur. Itaque legamus oportet:

et Catabani Gebanitae.

139 **157 = ibidem.**

Minaei... quorum Carmaei. Oppidum XIV mil. p. Marippa Palmalacum, et ipsum non spernendum, item Carnon.

Marippa scribit R, *Maribba* Td, *Marriba* Θ. Quum autem Calingorum oppidum *Mariva* §. 159. „dominos omnium" interpretetur Plinius, hic quoque caput Minaeorum eadem significatione nominasse putandus est: praeferenda est igitur ea forma quam Θ exhibet, quum в et v saepissime confundi constet. Diversum a maxima urbe est „Palmalacum et ipsum non spernendum", interpunctione igitur distinguendum. Carnon a Ptol. VI. 7. 34. Καρμὰν βασίλειον, a Stephano Κάρναvα, a Strab. XVI. p. 768. Κάρνα ἢ Κάρναvα vocatum haud dubie caput Carmaeorum, tribus Minaeorum, fuit. Apparet igitur apud Ptolemaeum Καρνάν scribendum esse. Quod autem Fresnellus in Diurn. Asiat. t. X. 1840. p. 181 sqq. laudatus a Rittero Geogr. tom. XII. p. 281. Mariaba Baramalcum a filiis regum appellari statuit, optimorum librorum scriptura quam Silligius restituit, refellitur. Palmalacum enim Plinius Mariva quidem minorem sed magnam tamen urbem fuisse tradit, Carnon, quam inter Minaeos omnium maximam fuisse Strabo refert, non accuratius describit. Eo quoque Ritterus p. 277. fallitur, quod e Plinii sententia incolas ipsos a Minoe originem ducere arbitratus est. Verbum enim „putant" ad Graecos auctores pertinet, sicuti infra §. 159. iidem Euphraten in Arabia emergere „putant", cf. Strab. XVI. p. 741. Paulo supra recte Gelenius *Arra* sive potius *Arre* scripsit, quae apud Ptolemaeum VI. 7. 30. Ἄῤῥη κώμη nominatur.

140 **158 = ibidem.**

Bacascami, Riphearma oppidum rel.

Eam rationem in enumerandis Arabiae populis h. l. sequitur Plinius, ut gentes primo, oppida sexto casu indicet. Scribere igitur oportet *Bacascami Riphearma oppido*, ut gentis caput fuisse significetur. — In fine enuntiati prudenter quidem Silligius scripturam vulgarem interpolatam esse animadvertit, illud tamen manifestum est, unum populum eiiciendum esse, et quum R et d in universum consentiant (alter enim habet *elmataceis oppido chode Avitari in montibus*, alter *Elmateis oppido code Aiathuri in montibus*), ita fortasse Plinius scripsit: *Elmatacei oppido Chode, Aiathuri in montibus* (*Chodae Lathuri* legitur in Θ). *Helmodenes* enim e dittographia vocis *Elmateis* ortos esse apparet.

§. 169. *insulae Stenae dirae* divisim scribendum est. Stena enim cum promontorio Dira coniuncta describuntur a Strabone XVI. p. 769, Plinius autem promontorii nomen eodem modo ad insulas vicinas transtulit, quo supra §. 153. Syagrum promontorium et §. 155. Syagros insula (nam recte Pintianus ita pro *Sygaros* legit) nominantur. Mox *epi Dires* et *epi Theras* aeque dividantur oportet. Ceterum dum Eratosthenem, Agatharchidem, de quo Henricus Frieten docto libello Bonnae 1848. egit, Iubam, Periplum maris Erythraei, alios sequitur, perverso ordine Trogodytices et Azaniae oram descripsit Plinius.

171 = 29, 34. 141

Haec est regio secundo volumine a nobis significata, in qua XXXXV diebus ante solstitium totidemque postea hora sexta consumuntur umbrae et in meridiem reliquis horis cadunt, ceteris diebus in septentrionem, cum in Berenice quam primam posuimus ipso die solstitii sexta hora umbrae

in totum absumantur nihilque adnotetur aliud novi. DCII mil. p. intervallo a Ptolemaide res ingentis exempli locusque subtilitatis immensae, mundo ibi depreso, cum indubitata ratione umbrarum Eratosthenes mensuram terrae prodere inde coeperit.

Diversa de Berenice et Ptolemaide tradi manifestum est, neque id propter magnum inter utramque urbem intervallum aliter fieri potuit. In altero enim oppido ipso tantum solstitii die meridiano tempore umbrae non apparebant, in altero per multos dies, quum in Berenice praeter diem solstitii nihil novi evenire annotetur. Quod autem Eratosthenes mundum deprehendisse fertur, id de hac urbe, neque vero de Ptolemaide valet: atque illam DCII mil. p. intervallo a Ptolemaide dirimi traditur, id est stadiis quatuor milibus DCCCXX, sicut II. 183. traditur. Apparet igitur h. l. aliter interpungendum esse, ut recte hoc modo procedat oratio:

— *novi, DCII mil. p. intervallo a Ptolemaide: res ingentis exempli* rel.

142 172 = ibidem.

Hinc Azanium mare, promontorium quod aliqui Hispalum scripsere.

Hippalum haud dubie a prudentissimo navigatore, a quo etiam mare vicinum cognomen accepit.

143 177 = ibidem.

Quin et accolas Nili a Syene non Aethiopum populos sed Arabum esse dicit *(Iuba)* usque Meroen; Solis quoque oppidum, quod non procul

Memphi in Aegypti situ diximus, Arabas conditores habere. Sunt et qui ulteriorem ripam Aethiopiae auferant adnectantque Africae; ripas autem incoluere propter aquam. Nos relicto cuique intelligendi arbitrio oppida quo traduntur ordine utrimque ponemus.

Iuba quum Arabas usque ad Meroen Nili ripas inhabitasse retulisset, alii etiam ultra Meroen eos extendi tradebant. Hoc enim dicit Plinius, neque ulteriorem ripam, quod arbitratur Harduinus, orientalem, sed meridionalem intelligi voluit. Quae autem sequuntur, et apto subiecto carent (causa enim afferenda erat, cur Arabes inter Aegypti et Aethiopiae fines habitarent) et eo quo nunc leguntur loco prorsus otiosa et molesta videntur esse. Possit igitur aliquis pro annotatione habere, quam scriba non indoctus margini appinxerit sive ipse auctor postea in margine addiderit: verum leniore remedio transponuntur in proximum sensum, ut propter aquam Arabas accolas Nili factos esse tradiderit Plinius. Infinitivum quem cod. d exhibet *incolere*, praeferrem, nisi perfectum tempus desideraretur. Itaque locum sic distinguendum esse existimo:

Arabas conditores habere: ripas autem incoluere propter aquam. Sunt et rel.

182 = 29, 35. 144

(*Petronius*)... diripuit et Napata. Longissime autem a Syene progressus est DCCCCLXX mil. p.; nec tamen arma Romana ibi solitudinem fecerunt. Aegyptiorum bellis attrita est Aethiopia rel.

Non Romanis armis, sed Aegyptiacis solitudinem in

Aethiopia factam esse dicit Plinius. Interpungendum est igitur: *Nec tamen arma Romana ibi solitudinem fecerunt: Aegyptiorum* rel. Numerum autem iusto maiorem esse apparet. Nam Petronium non ultra Napata progressum esse Strabo XVI. p. 820. et Dio LIV. 5. tradiderunt, quae DXI mil. p. a Syene abfuisse inde colligitur, quod §. 184. Meroe a Syene DCCCCLXXI mil. p., a Napatis CCCLX mil. p. iter esse narratur. E proximo igitur numero noster locus corruptus, antea *DXI mil. p.* fuisse putandus est.

145 190 = 30, 35.

At ex Africae parte Medimni, dein Nomades cynocephalorum lacte viventes rel.

Aut hic *Menismini* aut VII. 31, ubi eadem fabula repetitur, *Medimnorum* legendum esse recte Barbarus monuit. Ceterum ii Nomades qui cynocephalorum lacte vivunt, ipsi sunt Menismini, quorum nomen apud Solinum cap. 30. omittitur. Itaque *Medimni dei* in *Menismini* videtur mutandum esse, cui e proximo vocabulo littera *n* accrevit. Cynamolgos autem infra §. 195. cum Cynocephalis permutari Frietenius De Agatharchide p. 48. animadvertit. §. 191. pro CCC scribi malim $\overline{\text{CCC}}$, quum nimis exiguus transfugarum numerus alioqui esse videatur.

146 194 = ibidem.

... reliqua deserta, deinde fabulosis. Ad occidentem versus Nigroae, quorum rex unum oculum in fronte habet rel.

Vocem *fabulosis* e cod. R in vulgatae scripturae *fabulosa* locum restituit Silligius. Quum tamen nil habeat quo referatur, et quae sequuntur gentes fabulosae sint ut quae maxime, interpunctione correcta legendum est:

reliqua deserta. ***Deinde fabulosi ad occidentem versus Nigroae*** rel.

LIBER VII.

4 = 1. 147

— hominem nihil scire, nihil sine doctrina, non fari, non ingredi rel.

Scriptura quam recepit Silligius e codicibus nonnullis, ut ferri queat vereor. Quid enim inepta illa vocis reduplicatione efficietur? nempe hominem nihil scire omnino, deinde nihil sine doctrina, quorum id quod prius posuimus, falso praedicari apparet. Quodsi autem oratoriam quandam vim voci „nihil" bis repetitae inesse statuas, nihil cogitari potest frigidius. Id tamen recte fecit Silligius, quod iniucundum in vulgata lectione verborum ordinem *hominem scire nihil sine doctrina* relinquendum esse censuit: erravit, ut saepe, in emendando, quum vitium detexisset. Libri Mss. hoc modo variant: d *scire nihil sine doctrina*, ST (Murbac. Rob.) *nihil scire nihil sine doctrina*, R *nihil scire si doctrina*, Θ *nihil scire nisi doctrinam*, unde facillima emendatio elicitur:

nihil scire nisi doctrina.

Quum enim in R syllaba *ni* proxima *re* absorpta, in aliis vicino vocabulo *nihil* corrupta esset, additum est quod mutilatum esse videbatur, *sine.*

12 = 2, 2. 148

idem *(Isigonus prodidit)* itinere dierum decem supra Borysthenen Sauromatas tertio die cibum capere semper.

Quum modo Anthropophagi decem dierum itinere supra

Borysthenen habitare tradiderit Isigonus, Sauromatas ibidem collocare non potuit. Quod igitur in cod. T legitur XIII, hoc loco recipiendum est. Illos autem Plinius IV.88. non tam accurate quam e vulgari scriptura videtur descripsit. Itaque praestat verba quibus ad librum quartum lectorem refert, ita potius interpungere, ut mensurae indicatio ad Isigonum pertineat:

Priores Anthropophagos, quos ad septentrionem esse diximus, decem dierum rel.

149 18 = ibidem.

Adeo naturae, cum ferarum morem vescendi humanis visceribus in homine genuisset, gignere etiam in toto corpore et in quorundam oculis quoque venena placuit, ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset.

Ferri quidem posse vulgatam scripturam concedo, quum Solinus quoque c. 15. humana viscera cibos execrandos appellaverit: sed vix ferendam esse et vir quidam doctus apud Dalecampium et B. Rhenanus sensit, quorum coniecturas apud Silligium est legere. Nam primum displicent verba *in homine* in eodem sensu bis repetita, deinde, quod gravius est, inepte homo toti corpori opponitur, ut initio de homine, tum de toto corpore, postremo de oculis hominis Plinius loqui videatur. Iam vero nihil facilius fieri potuit, quam ut vocabula *in homine* a scriba e posteriore versu in similem locum superioris transferrentur. Quo admisso concinna nascetur et cum brevitate coniuncta sermonis elegantia:

Adeo naturae, cum ferarum morem vescendi humanis visceribus ingenuisset rel.

Ita §. 14. legimus: *Horum corpori ingenitum fuit virus.*

25 sqq. = ibidem. 150

Inter Indorum gentes *Seyritas* e codd. ΘTd scripsit Silligius, *Sciritas* nominat R: itaque germanum nomen *Sciratas*, de quo cf. Schwanbeck. Megasth. p. 65, haud dubie restituendum est. §. 28. Ctesias gentem commemorasse traditur, *quae appelletur Pándore.* E codd. RT qui habent *Pandare*, legendum erit *Pandarae*. Eosdem §. 29. apud Clitarchum et Megasthenem *Mandorum* nomen habere refert, ubi *Pandarum* vel *Pandaeorum* scribendum esse Pintianus intellexit. Namque sicut hic trecentos vicos iis annumerasse dicuntur Clitarchus et Megasthenes, ita VI. 76. trecentis oppidis imperitant Pandae. Ceterum qui §. 27. „Athon montem incolunt“ VI. 97. Athoae appellantur.

32 = ibidem. 151

Haec atque talia ex hominum genere ludibria sibi, nobis miracula, ingeniosa fecit natura. Et singulis quidem quae facit in dies ac prope horas, quis enumerare valeat?

Recte Silligius cum R^1 Θ (Murbac.) pro *singula* quod vulgo legitur, scripsit *singulis*. Loqui enim Plinium non de singulis rebus, sed de singulis hominibus et iis quae apposuimus verbis et iis quae proxime sequuntur, luculenter demonstratur. Requiritur autem praepositio, qua singulos homines hominum generi opponi indicetur. Quam quum praebeat R^1, perficitur emendatio, ubi scripseris: *Ex singulis.*

34 = 3, 3. 152

Pompeius Magnus in ornamentis theatri mirabiles fuma posuit effigies, ob id diligentius magnorum artificum ingeniis elaboratas, inter quas legitur

Eutychis a XX libris rogo illata Trallibus, enixa XXX partus. Alcippe elephantum, quamquam id inter ostenta est: namque rel.

Alcippes illius, quam Glaucippen a Tatiano c. Graec. 53. p. 115. ed. Worth. appellari ab Harduino animadversum est, effigies a Nicerato Atheniensi elaborata inter eas statuas fuisse putanda est, quas e bello Mithridatico ex Asia Pompeius Romam transportaverat, quod vel Graeco nomine probabile fit. Rem sane Romanis insolitam, luxuriosi vero Asianorum ingenii minime indignam dum e basi statuae narrat Plinius, ostentum videri intelligit atque ad ea commemoranda se convertit. Apparet praeterea interpunctione correcta et voci „elephantum“ verbum reddi unde pendeat, et novum qui sequitur locum de ostentis rectius distingui. Scribendum est igitur:

— *inter quas legitur Eutychis, a XX l. r. illata Trallibus, enixa XXX partus, Alcippe elephantum. Quamquam* rel.

Ceterum fortasse etiam tabula picta qua Perus erga patrem pietas celebrabatur (cf. Valer. Max. V. 4. ext. 1), eodem loco collocata fuit.

153 37 = 4, 3.

Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicium civem Thysdritanum. Editis geminis raram esse aut puerperae aut puerperio praeterquam alteri vitam; si vero utriusque sexus editi sint gemini rariorem utrique salutem. Feminas celerius gigni quam mares, sicuti celerius senescere; saepius in utero moveri mares et in dextera fere geri parte, in laeva feminas.

Accusativos cum infininitivo coniunctos sic ut a Sill. scribitur locus, sine ullo verbo finito salva structura stare non posse apparet. Quod vero vulgo post „feminas" additur verbum „constat", procul dubio in codicibus Barbari et Gelenii legebatur et legitur etiamnum in cod. d, abest a RT Murbac. Verum a priore enuntiato longius distat quam ut commode eo quoque pertinere queat. Accedit quod apud Gellium IX. 4. post v. *Thysdritanum* adduntur verba memoratu digna: *vivebatque cum proderem haec,* quae quin a Plinio scripta fuerint, minime videtur dubitandum. Manifestum est igitur, in cod. archetypo totum versum quo praeter voces modo prolatas finitum quoque verbum continebatur, unde proxima apta essent, excidisse. *Traditur* fuisse suspicor, quod cum voce supra posita *Thysdritanum* a scriba permutatum lacunae originem dedisse videatur. Similiter §. 39. verba *iam quidem* rel. a vv. *Tralaticium est* pendent ac leviori interpunctione cum iis coniungenda sunt.

43 = 7, 5. 154

Tu qui corporis viribus fidis, tu qui Fortunae munera amplexaris et te ne alumnum quidem eius existimas sed partum; tu cuius semper tinctoria est mens, tu qui te deum credis, aliquo successu tumes, tanti perire potuisti rel.

Locum corruptum esse omnes VV. DD. intellexerunt, in emendando certatim et, si quid video, infeliciter elaborarunt. *In victoria* legunt Barbarus et Gelenius male, ut apparet, neque melius ceteri, qui inde a Vossio (ad Mel. II. 1. 13) *cinctoria* sive *tinctoria* reponi voluerunt. Nam, ut omittam vocis „tinctorium" pro gladio usurpatae valde dubiam fidem, „cinctorius" aeque ac „tinctorius" non a

cinctorio vel tinctorio sed a cinctore vel tinctore ducendum est, quod nunquam homicidam significare poterit. Melius sane Salmasius p. 188. D. *in cinctorio* coniecit, verum quod linguae quidem legibus consentaneum, idem sensui huius loci plane est contrarium. Neque enim de crudeli animo, quem proximo enuntiato commemoraverat, sed de superbia humana loquitur Plinius. *Tincta gloria* audaci mutatione scribendum esse Silligius putavit, quasi vero aut de gloriae cupidine neque de animo prospera fortuna inflato sermo esset aut mentis affectu, i. e. sui quadam parte nec re quadam externa animus tingi posset. Codices autem ita scribunt (nonnulli *tamen* inserunt): R *cu semper tinctoria*, Murbac. codd. Turn. Hard. Θ *cuius semper tinctoria*, codd. Voss. *cuius semper cinctoria*, codd. Barb. Gel. Td Reg. 2. ap. Hard. *cuius semper uictoria.* Primum igitur eo peccasse videntur librarii, quod ultimam pronominis *cuius* litteram pravo reduplicarunt, deinde gliscente vitio, quum ita vocabulum *semper* natum esset, extremas syllabas quae non nisi terminatio longioris vocis essent, pro pleno vocabulo habuerunt atque ex ingenio emendare conati sunt. Quod si animo reputaveris, proxime ad veram scripturam eam accedere intelliges, quam ultimo loco posui, ac prima syllaba mutata aptissimum adiectivum nancisceris. Quid multa? scribendum est: *cuius imperatoria est mens.* Gradatione enim usus est Plinius rhetorico generi dicendi perquam accommodata, ut ad summam elati animi vesaniam gradibus quibusdam ascenderet. Inceperat a corporis viribus, tum loci Horatiani (Sat. II. 6. 49) memor ad alumnos Fortunae, qui iam filii eius esse sibi videbantur, pergit; transit deinde ad eos, qui se ad imperandum natos esse arbitrabantur, ipsos imperatores et qui fore ut adipiscerentur imperium sperabant, postremo Caligulas et reliquos significat, qui, quum

aliquo successu intumescerent, se ipsos pro deis habebant. *Tumens* enim cum Rob. restituatur opus est, quod lineola voci tumēs imposita evanescente in secundam personam transformatum est. Iam en tibi persanatum locum adhuc a nemine intellectum.

45 = 8, 6. 155

(*Agrippa*) adversa pedum valetudine, misera iuventa, exercito aevo inter arma mortesque obnoxio accessu, infelici terris stirpe... praeterea brevitate aevi, quinquagesimo uno raptus anno.... luisse augurium praeposteri natalis existimatur.

Recte Silligius coniecturas a VV. DD. prolatas improbavit et e codd. R (Murbac.) quibuscum Parisini apud Harduinum consentiunt, scriptura *adnoxio* recepit *obnoxio*, quod iam Salmasius coniecerat, atque in cod. r hanc ipsam lectionem inveniri tradit, quae sane in edit. Lugdun. non annotatur. Quam autem explicationem profert vir doctissimus, Agrippam ipsam ad mortes accessisse Octaviano obnoxium, ferri fortasse concederem, si *obnoxius* legeretur: aevum ipsum obnoxium Octaviano inter arma et mortes ita exerceri nequit ut ad easdem accedat. Nam dum inter arma versatur, qui tandem eadem adire poterit? Una littera mutata scribendum est *mortisque* hoc sensu: aevum ab Agrippa inter arma exercitum et ita mortis accessui semper obnoxium fuit. Eodem enim modo quo „morbi et febrium accessus“ infra XXVIII. 46. et apud Gell. IV. 2. usurpatutur, mors quoties armis confligebatur, ad Agrippam accessisse dicitur. „Accessu“ igitur tertium casum esse apparet.

51 = 12, 10. 156

Indubitatum exemplum est Nicaei nobilis pyctae Byzantii geniti qui — avum regeneravit Aethiopem.

Nicaei nomen in viris inauditum est alias, quare levi fortasse mutatione scribendum est *Niciae*. Ceterum haec non ex Aristotelis libris transscripta esse videntur, quos affert post alios Silligius. Neque enim Niciam nominavit Aristoteles neque Byzantium hominem appellavit, sed vel Siculum Hist. anim. VII. 6. vel Eleum De part. anim. I. 18. Fortasse a Duride, ut alia, acceperat Plinius quem librum περὶ ἀγώνων scripsisse constat. Obiter moneo §. 50. sine dubio recte Pintianum scripsisse *tertio partu et avorum*.

157 67 = 15, 13 et 16, 14.

Ergo cum gravidis fluxit *(menstruum)*, invalidi aut non vitales partus eduntur aut saniosi, ut auctor est Nigidius.

Idem lac feminae non corrumpi alenti partum, si ex eodem viro rursus conceperit, arbitratur.

Incipiente autem hoc statu aut desinente conceptus facillimi traduntur rel.

Secundum enuntiatum ab h. l. prorsus alienum esse quis est quin videat? Artissime enim tertium cum primo cohaerere vel eo demonstratur, quod *hunc statum* non eum dicit Plinius, qui post puerperium alentis sit feminae sed eum quo facillimus conceptus fiat. Quem cum mensium initio et fine fere coniunctum esse et postea Galenus De uteri dissect. c. 10. diserte retulit et Aristoteles Hist. anim. VII. 2. indicaverat. Neque vero transponendo, ut in iis locis, quos supra tractabamus, verba Plinii persanari poterunt, quum Nigidii quem se auctorem sequi voce *Idem* declarat, nusquam praeterea in toto libro mentio fiat. Nigidium autem libris de animalibus Aristotele praeeunte de partu humano disputasse arbitror, quum opus „de hominum naturalibus", ad quod locum nostrum Rut-

gersius retulit assensum nactus Hertzii (De Nigidii Figuli studiis atque operib. p. 43), valde incertum esse videatur. Ipse enim Hertzius monuit quae inde Servius ad Aen. I. 178. exscripsit magis ad verborum notionem explicandam pertinere, quapropter in Scriverii sententiam qui „de nominum natura" legi voluit, me inclinare fateor. Restat ut secundum illud enuntiatum scriptum quidem a Plinio esse concedamus (quis enim tam reconditum scriptorem post illum adhibuisse putandus est?) sed ad absoluti operis marginem e posteriore lectione additum et ab iis qui post auctoris mortem libros denuo describi curarent, praepostero loco in ipsam orationem receptum esse. Vides igitur, quod Bergkius in ultimis libris factum esse arbitratur (Exercitt. Plin. I. p. 3), idem iam de nostro loco valere. Ac nescio an idem de §. 80. iudicandum sit. Ibi enim, quum iam §. 78. hominum concretis ossibus praeditorum mentio facta sit, loco valde importuno haec verba inseruntur:

80 = 19, 18. 158

Quibus natura concreta sunt ossa, qui sunt rari admodum, cornei appellantur.

Quae ita sunt comparata, ut neque quem locum occupant commode obtinere neque ad §. 78. transferri possint, quoniam ibi prior certe enuntiati pars omittenda erat. Quare aut ab ipso scriptore postea adscripta aut a librario quodam annotata esse putanda sunt. Alterum idcirco fortasse praeferendum erit, quia infra XXXI. 102. piscatorum corpora in universum cornea appellantur. §. 81. „prodigiosa virium relatione", ut cum cod. R^2 legere malim, narratio significatur, quae fidem excedere videatur.

159 116 = 30, 31.

quo potius quam universi populi illius gentis amplissimo testimonio?

Nescio quomodo „populus gentis" apte dici potuerit. Illam gentem Romanam appellat Plinius, quae plures eximios tulerit *quam ceterae terrae,* atque huc pertinere arbitror verba *universi populi,* ut dixisse videatur *quam ceterae terrae universi populi.* Ita „universae gentes" nominantur XXV. 82.

121 = 36, 36.

160 [C. Quintio] M' Acilio coss.

templum Pietatis exstructum esse perhibetur. At vero L. Quintius Flamininus (nam Caius falso appellatur) anno DLXII, M' Acilius a. DLXIII consulatu functus est. Idem igitur de hoc loco valere arbitror, quod saepius accidisse supra p. 27. monui, ut quum scriptor unum tantum consulem nominasset, alter recte vel male ab interpolatore adscriberetur. Ceterum impeditissimam esse de hac aede quaestionem Beckerus in libello contra me scripto (Zur Römischen Topographie p. 24) ostendit, ad quam spero fore ut aliquando revertar.

161 143 et 144 = 44, 45.

(Q. Metellus) in ipso tamen flore dignationis suae ab C. Atinio Labeone cui cognomen fuit Macerioni tribuno plebis, quem e senatu censor eiecerat, revertens e campo meridiano tempore vacuo foro et Capitolio ad Tarpeium raptus ut praecipitaretur, convolante quidem tam numerosa illa cohorte quae patrem eum appellabat, sed, ut necesse erat

in subito, tarde et tamquam in exsequias, cum resistendi sacroquesanctum repellendi ius non esset, virtutis suae opera et censurae periturus, aegre tribuno qui intercederet reperto a limine ipso mortis revocatus; alieno beneficio postea vixit bonis inde etiam consecratis a damnato suo, tamquam parum esset faucium reste intortarum, expressi per aures sanguinis poenam exactam esse.

Ita locum impeditum et sine dubio corruptum exhibuit Silligius partim e veteribus exemplis partim e virorum doctorum coniectura immutatum, et corrupta quidem esse verba *a damnato suo* recte iudicavit, quibus Harduinus contra linguae leges „hominem ab ipso damnatum" indicari voluerat, rectam vero emendandi viam non est ingressus. Nam ultimum enuntiatum in optimis codicibus ΘRTd fere ita scriptum legitur: *sanguinis poena exacta est* (Rd *poenae exacta esset*, T *poena exacta esset*) sensu aptissimo, ut recte spreta vetere lectione recepisse videatur Harduinus. Quid enim gravius dici potuit aut significantius quam tam infelicem fuisse Metellum, ut non iniuriam in adversario ulcisceretur, sed ipse iniuriae acceptae poenam lueret bonis consecratis, tamquam parum esset illatum damnum? Quod una syllaba eiecta revera Plinium dixisse apparebit. Scribendum enim censeo in proximis *a damno suo* i. e. post iniuriam membris laesis acceptam, quam e lege Aquilia tum temporis sine dubio iam vigente actione certe in rem utili vindicari potuisse Ulpianus auctor est L 13. pr. D. ad leg. Aquil. IX. 2. Praepositione enim *a* interdum utitur Plinius ea vi, qua vulgo *post* usurpatur, cf. XXVI. 70. et ind. Hard. H. l. fortasse cum v. *inde* est coniungenda. Reliqua aliter erunt interpungenda. Tribus enim malis Metellum laborasse contra Val. Max. VII. 1. 1. disputans narravit, primum

9

quod in summo vitae discrimine versatus est, deinde quod tribuni intercessione servatus alieno beneficio vixit, postremo quod bonis etiam multatus est. Ita igitur totus locus legatur opus est:

.... *et censurae periturus; aegre t. q. i. r. a. l. i. m. revocatus alieno beneficio postea vixit; bonis inde etiam consecratis a* **damno** *suo, tamquam parum esset, f. r. i. e. p. a. sanguinis* **poena exacta** *est.*

162 145 = ibidem.

— in Capitolium illud, in quo triumphans ipse **de eorum** exuviis ne captivos quidem sic traxerat?

Primum nescio an cum Θ *illo* (*ille* habent Rd) scribendum sit. Deinde vulgata lectio *quod* utrum e libris Mss. mutata sit a Silligio, in miro V. D. silentio decerni nequit. Illud vero contendo, cum cod. R legendum esse ***deorum** exuviis* (*exubiis* habet). Nam et quae a Gesnero Chrestom. p. 218. proponitur explicatio, ut captivi vestibus arreptis tracti dicantur, subridicula videtur, et quam Harduinus amplectitur, de exuviis captivorum, nec vero de hostibus ipsis triumphatum esse, oratione durissima sensum ineptum reddit. At contra miserrima quam expertus est Metellus rerum conversio habitu triumphantis indicato egregie illustratur, qui „Iovis optimi maximi ornatu decoratus“ in Capitolium olim ascenderit (ut Livii verbis utar X. 7). Quas exuvias proprie dici notum est, cf. Sueton. Octav. 94, Fest. v. Tensae.

163 151 = 46, 47.

Duo sunt haec *(oracula)*: **Pedium** felicissimum qui pro patria proxime occubuisset; iterum a

Gyge rege tunc amplissimo terrarum consulti *(dei)* Aglaum Psophidium esse feliciorem.

Quomodo factum sit ut Plinii auctor Gygem pro Croeso, pro Solone Apollinem ipsum nominaret, nostrum non est inquirere. Manifestum tamen est Croesi aetatem significari, qua Aglaum vixisse Pausanias VIII. 24, 7. refert: itaque quem Pedium appellari videmus hominem prorsus ignotum, eundem esse ac Tellum Atheniensem ab Herodoto I. 30. laudatum iam Pintianus animadvertit. Uterque enim pro patria occubuerat et quidem proxime in pugna ad Eleusinem commissa cum fausto belli Solone auctore contra Megarenses de Salamine insula suscepti eventu coniuncta. Neque tamen v. *Pedium* in *Tellum* mutandum est, quippe quod ad viri fortissimi patriam spectare videatur. Πεδιεῖς enim campos ab urbe Megaridem versus sitos incoluisse constat, cf. Thucyd. I. 55. al. Ibi igitur cum nobilissimis civibus (cf. Herod. I. 59, Plut. Sol. 13) Tellus habitasse atque inde ad proelium profectus esse putandus est. Apparet igitur aut *Pedium* sive potius *Pediaeum* ab oraculo obscurius vocatum esse aut quod equidem praetulerim scribendum esse:

Tellum Pediaeum.

154 = 48, 49. 164

Hellanicus quosdam in Aetolia Epiorum gentis CC *(annos)* explere, cui adstipulatur Damastes memorans Pictoreum ex iis praecipuum corpore viribusque etiam CCC vixisse.

Apud Valerium Maximum VIII. 13, 6, cuius narrationem Plinius exscripsit, „*Litorium* quendam ex his maximarum virium staturaeque praecipuae“ nominatum reperimus, in Plinii codd. Td *Pictorium*, nominibus omnibus

aeque corruptis. Manifesto enim de viro Aetolorum fabulis valde celebrato sermo est, *Titormum* dico, quem corporis robore omnibus Graecis praestitisse consentiens tulit apud veteres fama. Qui pastorum rusticorumque vitam et significavit et nomine etiam declaravit. Quid enim aliud est Τίτορμος ac Τίτυρος, a quo vocabulo pleniore tantum terminatione distat? Quocirca Tityrum Aetolum, cuius filia Helena apud Ptolemaeum Hephaestionem lib. IV. p. 190. ed. Westerm. e poeta aliquo Alexandrino, Alexandro fortasse Aetolo, Achillem vicisse traditur, a Titormo non fuisse diversum licebit arbitrari. Qui quum initio heros quidam aevo fabuloso fuisse videatur, quem pastoritiae vitae deditum decebat sane hominum commercia evitare et montium solitudines quaerere (cf. Herod. VI. 127), paulatim factum est ut variis narrationibus diversis temporibus vires corporis exhibuisse ferretur. Nam et Milonis Crotoniatae aequalis fuisse traditur ab Aeliano V. H. XII. 22. atque, ut videtur, ab Alexandro Aetolo (cf. Athen. X. p. 412 F), quem ol. LXII. Olympiae vicisse, ol. LXVII. 3. Sybaritas pugna superasse constat, et ol. XL. Clisthenis Sicyonii aetati attribuitur ab Herodoto l. l. Apud quem quum Phidonis quoque Argivi filius devertisse dicatur, fieri facillime potuit, ut Damastes, ea qua utebantur simplicitate veteres logographi in fabulis temporum ratione disponendis, Phidonem a Temeno septimum vel decimum vixisse ratus, narrationes diversas vita Titormi ultra humanum modum producta conciliaret eumque a nono ante aeram nostram saeculo ad sextum usque pertinuisse coniiceret. Utut est, scripsit haud dubie Plinius eiusque auctor Valerius: *Titormum.*

165 174 = 52, 53.

De anima reperimus... Aristeae etiam visam evo-

lantem ex ore in Proconneso corvi effigie, magna quae sequitur fabulositate.

Ita vulgo inde a Barbaro legitur, aperta, ut recte iudicat Silligius, interpolatione. Editionem enim Parmensem a. 1476 habere tradit Pintianus *quae magna quaeritur fab.* Codices autem Mss. legunt R *magnaq; ritur ac* (*haec* m. 2) Θ *quae magna quaeritur hic*, Td *quae magna quaeritur hac*, codd. Barb. *magna equidem.* In emendando autem loco procul habenda erit prima vox *quae*, aliena a codd. R et Barb., in ceteris e sequentibus verbis temere repetita. In reliquis deinde omissa ultima littera c, r vero in s, quacum saepissime confundi notum est mutata, lineolis postremo quae evanuerant, restitutis scripturam nanciscimur veram, nisi fallor, et elegantem:

magnam quaesitura fabulositatem.

Primum enim quod in Aristea mirabile accidit, corvi fuit evolatus, post quem secuta sunt longinqua itinera, reditus in patriam et post annos amplius trecentos adventus in Metapontum, cf. Herod. IV. 13—15. Quapropter anima scite, dum primum corvi effigie avolat, fabulositatem quaesiisse dicitur.

191 = 56, 57. 166

Emere ac vendere instituit Liber pater.

Lacunam h. l. inesse suspicatus est Osannus Philol. VII. p. 394, quum quae hic Baccho tribuuntur Mercurii munus fuerint, eamque sic explevit, ut post v. *instituit* insereret: *Mercurius*, *libertatem.* Haud scio an recte senserit. Quod enim apud Varronem L. L. VI. 14. Liberalium die anus per totum oppidum sedere dicuntur „cum libis et foculo pro emptore sacrificantes“, inde minime consequitur deum ipsum cum mercatura Romanorum fabulis

coniunctum fuisse: quae autem hic a Plinio narrantur, e Graeco fonte fluxerunt. Libertatem tamen humano generi ingenitam inveniri non potuisse apparet, quum variae civitatum formae et servitudo infra §. 200. haud inepte inter inventa enumerentur. Sicut igitur Ceres frumenta invenit, ita Bacchus vitium culturam et vindemias homines docuisse perhibetur, ita ut deorum inventa Mercurii, Bacchi, Cereris infra §. 199. ab hominibus Poenis, Eumolpo, Buzyge et Triptolemo exculta esse narrentur. Quare legendum videtur:

Emere ac vendere instituit Mercurius, vindemias (vel *vitium culturam*) *Liber pater.*

§. 197. pro *Eaclis* e cod. Θ lectione *Aeclis* scribendum videtur *Aeclus.* §. 201. cum Osanno l. l. p. 395. post *pilum Pilumnum* excidisse putarem, nisi Pilumnus pinsendi frumenti auctor ab armorum inventione alienus esse videretur.

167 193 = ibidem.

Anticlides in Aegypto invenisse quendam nomine Menon tradit XV M annorum ante Phoronea antiquissimum Graeciae regem idque monumentis approbare conatur.

Verbo monuisse sufficiet, scribi oportere *Menen,* quem primum omnium regem litteras si non invenisse, at certe iam novisse praeter alios monuit Bunsenius, quem honoris causa nomino, Aegypt. vol. I. p. 364.

168 212 = 60, 60.

a columna Maenia ad carcerem inclinato sidere supremum pronuntiavit.

Iam a. 1846. in novo museo Rhenano vol. IV. p. 639.

legendum esse conieceram *arcem* et simul monueram, loco Plinii XXXV. 97. (10.) evinci, curiam Iuliam incendio Neroniano non esse consumptam. Quod cum Bergkium V. D. latuerit, quum Ind. praelect. Marb. a. MDCCCLI. p. X. iisdem verbis ad litem quae olim iusto acrius inter Beckerum et me agitata erat, dirimendam uteretur, hanc quoque coniecturam, quae Sillígii diligentiam non fugit, hic repetere atque paulo uberius exponere licebit. Fieri enim numquam potuisse ut ei qui a Curiae gradibus solis occasum observaret, a columna Maenia ad carcerem sidus inclinari videretur, id et ab omnibus qui curiam Hostiliam gravissimis argumentis permoti in ea fori Romani parte collocaverunt, quae ad meridiem orientemque spectans a novis tabernis antiquitus appellabatur, perspectum est et quotidie Romae intelligere licet. Tantum enim abest ut sol prope carcerem occidat, ut a regione carceris emenso caelo meridionali ad eam, ubi columna Maenia stetisse putanda est, et Capitolium inclinetur et Tiberim versus a sinistra parte Capitolii ex oculis hominum evanescat. Carcer enim inter orientem et septentrionem fori situs est. Quapropter Bunsen. Descr. U. Rom. vol. III. p. II. p. 43. ipsam columnam ad carcerem sitam fuisse putavit, e cuius fastigio accensus consulum, ubi solem inclinari vel Capitolio abscondi animadvertisset, supremam pronuntiasset. Quam explicationem certatim a viris doctis refutam (cf. Müller. in Bullet. instit. archaeol. 1839. p. 170 sqq., Osann. De col. Maenia p. 8 sqq., Becker. Rom. antiq. vol. I. p. 322) ego quoque in libello contra Beckerum scripto Röm. Topogr. in Leipzig p. 24. falsam esse intellexi. Nam ut omittam supremam non in foro sed Varrone teste L. L. VI. 2. in comitio pronuntiari solitam esse, et fieri vix potuisse ut quotidie scala admota in columnam accensus ascenderet, „inclinato sidere" non certum aliquod temporis momen-

tum sed dimidium fere diei significari recte Müllerus animadvertit, quo sol post meridiem ad occasum vergat, quum Plinius certam aliquam solis positionem limitibus definitis indicasse putandus sit. Necessario igitur verba „ad carcerem inclinato sidere“ coniungenda sunt. Minus etiam verisimilis est Mülleri sententia, de qua ipse dubitavit. Neque enim vel aestivo solstitio sol pone Capitolium occidens a foro conspici potuit neque de aestivis tantum diebus locutus est Plinius, sed de serenis omnibus per totum annum. Atque Osannus et Beckerus summam quae tum in tota narratione restat difficultatem solvere non conati sunt, Mommsenius in libello quem de comitio Romano scripsit (Annal. instit. archaeol. vol. XVI.), ne commemoravit quidem. Ego autem id quidem recte perspexi, supremam tum pronuntiatam fuisse, quum ei qui in gradibus curiae staret, sol inter columnam Maeniam et angulum Capitolii in occidentem vergi videretur, et columnam in altera fori parte quae a carcere Mamertino remota a veteribus tabernis appellabatur, sitam fuisse arbitratus sum. Quam sententiam dum cum Plinii verbis conciliare studeo, in eum errorem me delabi passus sum, ut de alio quodam carcere aedi D. Nicolai vicino cogitarem. Merito propterea Beckerus eo libello quo mihi respondit: Zur römischen Topographie p. 42. me vituperavit locumque Plinii sibi corruptum videri pronuntiavit. Recte. Scilicet quum re vera inter columnam et Capitolium iis qui in foro constiterant, sol occidere videretur, ipsum Capitolium a Plinio significari consentaneum est. Atque id perlevi quam modo proposui mutatione efficitur. Saepe enim praesertim in vocabulorum initiis litterae c et a utpote simillimae ita permutantur, ut prior aut omittatur aut falso addatur. Ita VIII. 129. pro *arum* codd. Td *charum*, alii *carum* legunt, ib. 209. pro *arida* in omnibus exemplis ante Harduinum

legebatur *carica*. XI. 191. et 268. *aper* et *caper* in codd. confunduntur. XXXIV. 65. pro *statuariae arti* cod. Voss. habet *statuaria casti*, XXXVI. 32. pro *aedem* duo codd. vetustissimi *caedem*, ib. 47. pro *Cariae* codd. B[1] d *arte*, B[2] *ante*, XXXVII. 92. pro *Cariae* C. (Vindob. II.) *arce*. Quum igitur in exemplari suo simili errore non *arcem* sed *carcem* exaratum iuvenirent librarii, factum est ut lineola alteri syllabae imponeretur.

LIBER VIII.

10 = 4, 5.

Sicut tigris etiam feris ceteris truculenta atque 169
ipsa e l e p h a n t i quoque spernens v e s t i g i a hominis viso transferre dicitur protinus catulos rel.

E codd. Tdr scribendum videtur: *elephantem* et *vestigio*, ut tigris quae elephantum ultro aggrediatur, hominis ne vestigium quidem sine metu conspiciat. Alioquin claudicat oratio. *Ipsa* autem eodem modo pro „eadem“ infra §. 23. legitur.

12 = 5, 5.

Antiocho vadum fluminis experienti renuit Aiax 170
alioqui dux agminis semper; tum pronuntiatum rel.

Quum cod. R habeat *agminis reptum*, d *agmini reptu-*, Silligius legendum esse coniecit *repertus tum*. Verumtamen elephas ille non sponte primatum agminis suscepit, sed a ducibus primus incedere iussus est: rex enim promisit eius fore principatum qui transisset eoque Patroclum donavit. Scilicet ipsa quae in libris exstat scriptura recipienda erat *repertum* sc. vadum hoc sensu: Quum experiendo Antiochus vadum reperisset exercitumque transducturus esset, elephas repertum transire noluit. §. 20.

recte Pintianus scripsit XVIII, cf. Seneca De brev. vit. c. 13. Semper enim paribus numeris elephanti pugnasse videntur. Idem §. 24. recte e codd. vestigiis vulgatam scripturam *greges* mutavit in *reges*. E Iubae commentariis capiendi modum exstinctis regibus relictum sumpsisse videtur Plinius.

171 32 = 11, 11.

Commoritur ea dimicatio victusque corruens (*elephantus*) complexum (*draconem*) elidit pondere.

Corrigenda esse prima verba vidit Salmasius p. 307, nam non pugna, sed animalia pugnando commoriuntur, sicut mox §. 34. dracones et galli commorientes infra X. 47. appellantur. In cod. R male scribitur *addimicantes*; in nonnullis libris reperiri ait Salmasius *commoritura*, unde effecit *commorituris*, audacius sane neque apte ad structuram verborum. Quodsi enim subiectum mutabatur, aliquo certe vocabulo substantivo unum animal ab altero distinguendum erat. Facilior aliquanto emendatio una syllaba addita fiet, quemadmodum supra §. 9. egregie Silligius e lectione codicum „per cuncta" effecit „percunctari". Quid quod ea syllaba quam requirimus, adest in cod. d² fere integra. Scribit enim: *c. e. dimicatiò ue uictusque*, quae facillime emendantur in hunc modum:

commoritur ea dimicatione victusque rel.,

id est una cum dracone moritur elephantus, quem pondere opprimit.

172 34 = 12, 12.

quamobrem in amnes mersos insidiari bibentibus coartatosque illigata manu in aurem morsum defigere.

Scripturam vulgatam *arctatisque* corruptam recte cen-

set post Salmasium p. 308. Harduinus. Neque quod e cod. R dedit Silligius, *coartatosque* ferendum est. Nam et coartari non bene dicuntur dracones et vocabulum aliquod requiritur, quo indicetur, quomodo manus elephantorum illigentur. Codices Mss. has fere scripturas exhibent: *coartatosque* R²Θ, *arctatosque* r (Rob.), *artatosque* d², *motusque* Td¹, *morsusque* cod. Paris. Hard. Frigidius Salmasius coniecit *artiusque*, audacius Pellicerius *intortuque*. Facilius ex *artatosque* efficitur *artubusque* de nodis membrorum quibus manus constringitur, atque id recipiendum esse arbitror.

§. 36. nescio quomodo Silligius scripturam *haustus* quam e cod. R² recepit, explicet, quum vulgata *haustu* et in reliquis libris inveniatur et bonum sensum praebeat.

Item erravit §. 46.

Quae possint (*leones*) in mandendo solida devorare nec capiente aviditatem alvo coniectis in fauces unguibus extrahere, ut, si fugiendum in satietate, abeant. 173

Locum Silligius, qualem ab Harduino constitutum dedit, lacunosum sibi videri ait et quae vulgo leguntur, ex interpolatione orta sensu iusto earere. Sed hic quoque bonam quae in libris Mss. exstat lectionem immerito sprevit vir doctissimus. Scilicet quae Plinii sententia fuerit, Solini verbis c. 29. elucet, qui dum ita loquitur: „Tum quod carnes iusto amplius devoratae cum gravantur, insertis in ora unguibus sponte protrahunt. Sane et cum fugiendum est in satietate, idem faciunt", manifesto de duabus diversis rebus agi ostendit. Nam et stomachi exonerandi causa leo alioqui quietus cibos extrahit et quum a venatoribus lacessitus in fugam se corripit, carnes quas quietus quidem digerere omnino posset, eximit faucibus, ne

satietate cursus velocitas imminuatur. Iam igitur quod in omnibus fere libris legitur *aut* omnino retinendum erit. Item in omnibus non *abeant*, sed *habeant* scriptum exstat; postremo in nonnullis *satietate* (in r et d, nam de Toletano T quid dicam nescio, quem Pintianus ablativum exhibere tradit, Silligius accusativum). Recte igitur scribi *aut*, *si fugiendum in satietate habeant* et Pintianus et Salmasius p. 325. intellexerunt. Nihil enim in verborum structura inesse quod a Plinii usu abhorreat, docent loci similes X. 154. „cum deponendum haberet“ et XXXI. 34. „confitendum habent“. Hoc ipsum scilicet narravit Plinius quod Solinum tradidisse vidimus, aut propter alvi angustiam aut propter fugae celeritatem cibos a leone extrahi.

Eadem ratio est loci proximi §. 47, ubi rectissime vulgo e plerisque codicibus legitur *metu poenae similis*, Silligius unum R, eumque ne ipsum quidem integrum (nam R[1] *m ei* habet) sequi maluit et molestissimam dittographiam *metu eius* Plinio obtrusit. Possem etiam §. 50. libros et vulgatam scripturam a Sillgii coniecturis vindicare, verum redeundum est ad institutum operis, ut non vetera defendam, sed quae mihi nova reperisse videor, legentium iudicio subiiciam. §. 52. quum R *ec* d *sed* habeant, scribendum existimo *et tam*, §. 55, 56. et 57. vulgatam lectionem probo.

174 60 = 17, 21.

. . . ut causam doloris intellexit simulque salutis suae mercedem, exemit catulos eam prosequentes usque extra solitudines, deductus laeta atque gestiente.

Ita Silligius e codd. R[2] Θ vulgatam lectionem *eaque cum iis prosequente* immutavit, quam interpolatione ortam esse proxima verba ostendunt. Neque vero id mirum fuit,

quod catuli pantheram extra solitudines vel in quemlibet locum comitabantur, sed quod fera ipsa deserta relinquere audebat. Itaque catulos matrem statim prosequi coepisse participio indicatur, hominem autem a panthera in habitatas quoque regiones deductum esse interpunctione hunc in modum correcta declaratur:

exemit catulos eam prosequentes, usque extra solitudines deductus laeta atque gestiente.

67 = 18, 26. 175

omnes autem (*cameli*) iumentorum ministeriis dorso funguntur atque etiam equitatu in proeliis.

ministeriis e librorum Mss. lectione *in his terris* vel *in iis terris* Solini loco c. 49. usus egregie Salmasius p. 987. effecit. Idem etiam v. *equitatu* corruptam esse intellexit. Cameli enim equitatu fungi non possunt, quum non ipsi equis insideant. Funguntur ministerio quod alias equitatus praestat. Neque tamen opus est ut cum Salmasio *vicem equitatus* legamus. Qum enim in cod. d *equitatu* ///// in R *equitatum* in Θ *equitatus* reperiatur, apparet finem vocabuli in archetypo mancum fuisse. Genitivum requiri manifestum est, quem Salmasius *equitatus* fuisse coniecit; melius fortasse e cod. R *equitatuum* restituetur.

79 = 21, 33. 176

Iniiciunt has (*mustelas*) cavernis (*basiliscorum*) facile cognitis soli tabe; necant illae simul odore, moriunturque et naturae pugna conficitur.

Sensum loci recte Silligius explicuit. Scilicet mustelae simul necant basiliscos et quidem odore et commoriuntur, quo exitu ingenita animalibus inimicitia finitur. Sed quam ille transpositione inferre conatur verbis Plinianis sententiam „necant odore moriunturque illae simul

et n." ea iam inest, modo aliter interpungantur. Namque v. *simul* ad vv. *necant* et *moriuntur* pertinet. Scribi igitur oportet:

necant illae simul odore moriunturque, et n. p. c.

177 82 = 22, 34.

Id quoque Fabius, eandem recipere vestem.

De Arcadiae versipellibus quum plures auctores consuluerit Plinius, Romanum quoque adhiberi non est quod mireris. Nam quae statim sequuntur „Mirum est, quo procedat Graeca credulitas", ad miram de Demaeneto sive Demarcho narrationem pertinent. Fabium tamen qui talia prodidisse videatur, nullum novi. Nam Fabium Vestalem, qui VII. 213. laudatur, iam supra p. 7. de Romanorum potissimum antiquitatibus egisse monuimus. At vero Papirius Fabianus, de quo M. Seneca Prooem. controv. II. et L. Seneca Epist. C. conferendi sunt, tum de rerum natura in universum tum de miraculis praesertim disputavit. Cf. II. 121, 223, IX. 24, XII. 200, XV. 4, XXIII. 62, XXVIII. 54, XXXVI. 125. Quare h. l. legere praestat: *Fabianus.*

178 Ibidem.

eundem decimo anno restitutum athleticae certasse in pugilatu victoremque Olympia reversum.

Recte Silligius eiectis dittographiis codicum et interpolatione inde orta scripsit: *restitutum athleticae in pugilatu victoremque Olympia reversum* „Athleticae tamen in pugilatu" quum dici nequeat et accuratior victoriae designatio desideretur, transpositis verbis duobus ita demum emendatio perficietur:

restitutum athleticae victoremque in pugilatu O. r.

§. 85. primus Salmasius p. 339. e codd. scripsit *et a*

cauda, quum antea legeretur *et ad caput et ad caudam.* Falsa enim refert Silligius. Equidem etiam haec verba *hoc est et a cauda* delere malim. §. 86. sine dubio vulgata scriptura *ictus* servari debet, quum *ictu*//// in R non careat lacunae signo.

87 = 23, 35. 179

Iam pridem hebetes oculos huic malo *(aspidibus natura)* dedit eosque non in fronte adverso cerneret sed in temporibus; — itaque excitatur pede saepius quam visu rel.

cerneret R et codd. Salmas. p. 344, unde repetito vocabulo *que* vel *qui* probabili coniectura efficitur:

eosque qui non in fronte adverso cernerent.

In fine deinde codd. Salm., RΘTdr et Parisini Harduini *sed saepius, sed saepe ius* Rigalt. ap. Salm., *sed saepedius* Reg. i. Hard., *sed saepius auditu* Rob., quocum consentit Solinus c. 51. „adeo ut citius audiant quam aspiciant" et Nicander Theriac. v. 160 sqq. Atque etiam in Θ post *saepius* aliquid deesse spatio in margine exempli Lugd. vacuo videtur indicari. Itaque recte haud dubie Salmasius v. *auditu* inserendum esse vidit, reliqua immerito mutavit. Namque alterum *sed* e versu proximo superiore male repetitum esse apparet. Legendum est igitur:

itaque excitatur saepius auditu quam visu.

97 = 27, 41. 180

Nec haec sola multis animalibus reperta sunt usui futura et homini.

Legebatur ante Harduinum *a multis*, inepte sane. Quod ab Harduino receptum est *a multis*, recte vituperavit Silligius, sententiam loci bene assecutus. Nam *multa* animalia haec sola quae modo descripta sunt reperire non

potuerunt. Excidisse aliquid Silligius putavit et Plinium scripsisse: *nec haec sola, immo multa multis animalibus.* Sententiam ut dixi recte explicuit. Plinius enim postquam duobus exemplis, hippopotami et ibis, demonstravit in quibusdam medendi partibus ab animalibus homines doceri, plura etiam prolaturus est. Verum id ipsum nulla omnino mutatione facta quae in omnibus codicibus leguntur verba, modo apte distinguantur, significare manifestum est. Legendum est enim:

Nec haec sola: multis animalibus rep. sunt usui fut. et hom.

Id est: nec haec sola homini usui futura ab his duobus animalibus reperta sunt, sed a multis talia inventa esse exemplis palam fiet.

In proximis verbis, quae Silligius aperte corrupta esse pronuntiat, ne interpunctione quidem opus est. Verba enim: *dictamnum herbam extrahendis sagittis cervi monstravere, percussi eo telo pastuque eius herbae eiecto* ita videntur explicanda esse: „cervi quum eo telo id est sagittis percussi essent atque post pastum herbae id est ubi herbam ederunt idem telum eiicerent monstravere“ rel. Ceterum iam Harduinus ita sensisse videtur. —

Cur deinde §. 98. a vulgata scriptura *venatu* Silligius recedendum esse existimaverit, non intelligo, neque quid ad scripturam *venatum* quam e cod. R recepit, confirmandam locus Aristot. Hist. anim. IX. 6. conferat, perspicio. Contra serpentes enim cunila vires refovere dicitur testudo, mustela ruta quum in murium venatu cum iis i. e. contra serpentes dimicat; atque id ab Aristotele quoque traditur. Accusativo vero absurde significaretur, mustelae ad murium venatum vires refovendas esse.

181 99 = ibidem.

Pantheras perfricata carne aconito [— vene-

num id est —] barbari venantur; occupat illico fauces earum angor, quare pardalianches id venenum appellavere quidam.

Verba uncis inclusa quae a Barbari codd. absunt, nescio an Gelenius primus e codd. suis receperit. Ego quum statim venenum appelletur, a librario quodam margini adscripta putaverim.

125 = 35, 53. 182

Hystrices generat India et Africa spina contectas ac erinaceorum genere rel.

Comparantur hystrices cum erinaceis qui §. 133. describuntur. Apparet igitur particulam *ac* recte a Silligio damnari. Codd. Rd habent *spina contecta ac virenaceorum*, reliqui ut videtur omnes *contectas*. Et *virenaceorum* quidem nihil est quam *herinaceorum*: restat igitur *ac* quod facile emendatur *ut*. Nam has particulas simillimas interdum in codd. Mss. confundi notum est, vel ut §. 136. ed. Dalec. *ac* habet. Praepositione „in" igitur ex argenteae aetatis licentia omissa*) scripsisse videtur Plinius:

spina contectas ut herinaceorum genere.

129 = 36, 54. 183

Exeuntes (*ursi*) herbam quandam — devorant circaque surculos dentium praedomantes ora.

Locum corruptum et nondum sanatum esse recte iudicavit Silligius, magnam corruptelam inesse ratus. Et Aristotelis quidem locum Hist. anim. IX. 6. καὶ τὰ ξύλα διαμασῶνται ὥσπερ ὀδοντοφυοῦσαι si ad verbum a Plinio expressum esse statuas, necessario non *praemandentes*, sicuti Pintianus volebat, sed *permandentes* scribendum erit,

*) De ablativi apud Plinium usu diligenter egit Wannowskius in Plinianis p. 27 sqq. gymnasii Posnaniensis programmati a. 1847 praemissis.

quod sane placeret, nisi tum reliqua quoque mutanda viderentur. Scribi enim oporteret *dentientium permandentes more*, ut voce *circa* pro adverbio accepta *surculos* a *devorant* aptum esset. At vero sic et paulo audacius grassari in codicum scripturis videremur et vocem *praedomantes*, quam propter ipsam raritatem scribis vix tribuere licet, non recte relinqueremus. Quodsi autem Aristotelem non interpretatus sed libere imitatus est Plinius, unum tantum vocabulum restat, quod tolerari non possit: *ora*. Quid autem dicit scriptor? certos quosdam cibos ab ursis appeti, arum laxandorum intestinorum, surculos dentium conservandorum causa. Malum igitur circumspiciendum erit quod a dentibus procul habent, nam futuri temporis notio praedomando continetur. Ea vero est *caries* qua, quum cibo per totam hiemem abstinuerint, facillime fieri potest ut dentes nullo usu exercitati laborare incipiant. Quam ubi teneris surculis mandendis cavent, recte *domare* dicuntur sicuti XIV. 55. „vini caries *indomita* appellatur“, *praedomare* simili ratione qua apud Senecam Ep. 113. legitur: „omnes casus, antequam exciperet, *praedomuit* meditando“. Devorant igitur ursi arum et surculos in vicinitate fovearum (*circaque* enim adverbium est),

dentium praedomantes cariem.

Nam vocem *carie* facile in *ora* mutari potuisse aliis exemplis p. 130. comprobavimus.

184 137 = 38, 57.

Lyncum umor ita redditus ubi gignuntur glaciatur arescitve in gemmas carbunculis similes et igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas, atque ob id sucino a plerisque ita generari prodito. Novere hoc sciuntque lynces et invidentes urinam terra operiunt eoque celerius solidatur illa.

Verba ut vulgo leguntur explicari non posse recte Silligius animadvertit et lacunam loco inesse putat, quam deleto vocabulo *id* a codd. Rd sane alieno ita explere conatur: „*atque ob sucini similitudinem huic comparatas, sucino* rel.". At vero inepte sucinum bis eodem verborum tenore nominari, semel voce *huic* indicari manifestum est. Neque quod Dalecampius coniecit: „*sucinum - proditum*" ferri ullo modo potest, nam non propterea sucinum ita generari prodebatur, quoniam lyncurium eo modo gignebatur. Levi transpositione sanandus est locus. Hoc dicit Plinius, quia e lyncum urina gemmae oriantur, a verbo οὐρεῖν λυγγούριον appellari, cf. XXXVII. 34. et Theophrast. De lapid. 28, Fragm. 15. p. 835. ed. Schneider., Dioscorides De mat. med. II. 90. Scribendum est igitur:

— *fulgentes atque ob id lyncurium vocatas, sucino* rel.

§. 152. verba *Rabies canum sirio ardente homini pestifera, ut diximus, ita morsis letali aquae metu* immerito lacessivit Osannus Philol. VII. p. 396, qui debili fundamento Veteri illi Dalecampii, de quo iam supra p. 87. al. locuti sumus, innixus *ira* et iam ex edit. Parmensi, ut videtur, quae in exempli Lugd. margine citatur, *letalis* scripsit, deinde cum eodem Dalecampii Vetere codice verborum ordinem ita mutandum esse arbitratus est, ut verba *ut diximus* statim post *ardente* sequantur. Verum e memoria negligentius II. 107. Plinius laudavit, ubi canes toto eo spatio in rabiem agi dixerat, de homine nihil addiderat, quem tamen insanabili morsu a canibus peti alia causa in rabiem actis tradidit VII. 64. Reliqua Gesnerus Chrest. p. 351. optime ita explicuit: „i. e. cum morsis a cane rabioso letalis sit aquae metus".

161 = 42, 65. 185

Post verba „albati equo Corace occupavere, primatum

obtinuere" (ita enim cum Salmasio p. 895 sqq. legendum est) ita paucis intermissis pergit Plinius:

Maius augurium apud priscos plebeiis circensibus excusso auriga ita ut staret in Capitolium cucurrisse equos aedemque ter lustrasse —

Quomodo haec verba intellexerit Silligius, ne divinari quidem licet: auriga enim ita profecto curru excuti non potuit, ut staret in curru. Recte vulgo scribitur *ut si* e codd. praeter R²d omnibus, quod idem significat quod alias „ac si" et similiter §. 75. usurpatur. Apparet vero cum ea vi vocis quod praecedit *ita* non bene conciliari. Quapropter e dittographia repetita verbi *auriga* terminatione ortum esse videtur, scribendumque:

— *excusso auriga, ut si staret, in Cap.* rel.

186 169 = 43, 68.

Nec nisi spatiosa incubitat laxitas; varia namque somno visa concipiunt *(asini)* ictu pedem crebro rel.

Talem locum e codice d constituit Silligius. Et id quidem rectissime fecit quod non tantum Barbari interpolationem sprevit *spatiose incubant, alias atteruntur,* sed etiam vulgatam lectionem, a Budaeo De asse p. 216. e codicibus nescio quibus prolatam (nam quibus libris Mss. usus sit Budaeus, nunc non constat, optimis quidem vix videntur esse accensendi). Barbarum autem appellavi quem K Silligius nominat, scilicet famosum illum Veterem codicem Dalecampii, quem nullum omnino fuisse persuasum habeo, licet non Barbari tantum sed aliorum etiam virorum doctorum coniecturas ea sigla comprehendi perspexerim. Hoc certe loco et infra §. 209. scriptura e V in Dalecampii margine allata in vetustis exemplis quae ab Hermolao Bar-

baro pendent, veluti Benedicti editione reperitur. Quae autem vulgo leguntur verba *nec nisi spatiosa incubitant laxitate* et a bonis codicibus abhorrent et usui loquendi repugnant. Verba enim „incubare" et rarissimum „incubitare" ita tantum intelligi possent, ut supra laxitatem cubare dicerentur asini, quae tamen pro lecto sive strato vix vel ab audacissimo scriptore usurparetur. Silligium autem quae in contextum verborum recepit, pro veris germanisque Plinii verbis ne ipsum quidem habere confido, quum omni sensu sint destituta. Quum vero et cod. d *incubitat*, et disertius etiam R exhibeat *incubita*, quidni una litterula mutata scribemus

nec nisi spatiosa in cubitu laxitas;

hoc sensu: „asinis quum dormiunt vastum tantum spatium est i. e. satis est, sufficit." Locutione autem „spatiosa laxitas" saepius utitur Plinius, veluti II. 218, XI. 109.

209 = 51, 77. 187

Adhibetur et ars iecori feminarum *(suum)* sicut anserum, inventum M. Apici, fico aridà saginatis ac satie, necatis repente mulsi potu dato.

E variis quae ad hunc locum prolatae sunt coniecturis una Barbari (nam coniectura usus esse videtur, quum *satietate* quidem etiam in Td legatur, sed *a* in K tantum, id est in Vetere Dalecampii, qua ipsa h. l. Barbari lectio significatur) *a satietate* id est „post satietatem" probabilis appellanda est. Displicet tamen violentia structurae, qua vox *repente* alia interiecta ab ablativo casu, cum quo tamen artissime cohaeret, dirimitur. Facilius et elegantius, opinor, scribatur:

ad satiem.

Voracissimum enim animal non vi quadam, sicuti anseres, ad fartilia consumenda opus erat ut adigeretur, sed

quum tandem aliquando saginam satiatum renuebat, necabatur. §. 171. Verba *lenta omnia esse vetulis* recte Pintianus videtur eiecisse. §. 173. verba *id est parvum mulum* e loco Aristotelis De generat. anim. II. 8. fin. τοῦτό δ' ἐστιν ἡμίονος ἀνάπηρος male translata immerito sollicitavit. Accidit enim Plinio persaepe ut Aristotelis verba minus accurate in usum suum converteret. De quibus festinantis scriptoris erroribus diligenter disputavit Montignius in dissertatione Bonnae 1844. edita, quae inscribitur „Quaestiones in C. Plinii Secundi naturalis historiae de animalibus libros" p. 50 sqq. §. 182. recte vulgo graviore interpunctione post v. *dictator* victimarum descriptio a ludorum exemplis separatur. Nam quod §. 193. post *coepere* non interpungitur, operarum vitio tribuendum est. §. 224. immerito de lacuna cogitavit Silligius propterea quod v. *quam* in Rd omittitur. Saepe enim singulae litterae vel syllabae a nonnullis codd. absunt, quo vitiorum genere cod. praesertim R laborat.

LIBER IX.

188 4 et 5 = 3, 2.

Sed in mari *(sc. Indico)* belluae circa solstitia maxime visuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectae montium iugis procellae ab imo vertunt maria pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt, et alias tanta thynnorum multitudine ut magni Alexandri classis haud alio modo quam hostium acie obvia contrarium agmen adversa fronte direxerit; aliter sparsis non erat evadere. Non voce, non sonitu, non ictu sed fragore terrentur nec nisi ruina turbantur.

Permirum est locum non difficillimum a nemine interpretum intellectum, pravisque a quibusdam coniecturis sollicitatum esse. Nam praeter Gesnerum Hist. anim. 4. 196. 724, qui vocem *thynnorum* sive Plinii sive librarii errori deberi arbitratus est, nemo perspexit non de thynnis, sed de balaenis sermonem esse. Poterant tamen VV. DD. vel ipso Plinii loquendi usu meliora doceri. Quae enim hic „magni Alexandri classis" vocatur, ea non pro quibuslibet Macedonum navigiis habenda sed eadem fuisse putanda est quam VI. 96 sqq., 134, XII. 86. appellat, scilicet quae Nearcho duce rubrum mare exploravit. Quam hydris marinis id est belluis sive balaenis territam fuisse l. l. VI. 96. brevi monuerat. Narratio autem quae nostro loco legitur, tam egregie cum aliis aliorum scriptorum descriptionibus conspirat, ut sine dubio ex ipsis Nearchi commentariis petita esse videatur. Cf. Nearchi fragm. 25. ed. Geier. (apud Arrianum Ind. c. 30—31), Diod. XVII. 106, Curtius X. 2. Et primum quidem quod ad pugnae navalis instar proras contra balaenas direxisse perhibentur Macedones, id his Arriani verbis exprimi manifestum est: καὶ καϑ᾽ οὕστινας παραπλέων ἐγένετο (ὁ Νέαρχος), ἐς μέτωπον τε κελεῦσαι καταστῆσαι ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν τὰς νέας. Quae vero sequuntur *aliter sparsis non erat evadere* iam Harduinus recte explicuit. Scilicet in itinere sparsi, prout velorum remorumque velocitas ferebat, navigabant. Quum vero ordine soluto belluis resistere non valerent, a Nearcho simul et agmine instructo adversus novos hostes incedere iussi sunt. Quod verbis Arriani καϑ᾽ οὕστινας παραπλέων ἐγένετο, disertius etiam iis indicatur, quibus Nearchus iussisse traditur καὶ ἐπαλαλάζοντας ὁμοῦ τῷ ῥοϑίῳ πυκνήν τε καὶ ξὺν κτύπῳ πολλῷ τὴν εἰρεσίην ποιέεσϑαι· οὕτως ἀναϑαρσήσαντας ὁμοῦ δὴ πλέειν ἀπὸ ξυνϑήματος. Neque igitur *spissos* opus est ut cum viro docto apud Dalecampium

legamus neque *sarisis*, quod subridicule Silligius coniecit. Quasi vero hastis nec remis in fugiendo utendum esset! At vero, quaerit Silligius, adverbium *aliter* cui bono ita adiectum est? Optime huc quadrare intelligitur, modo construatur cum verbis *non erat*. Significat enim „alioqui, utpote sparsi non potuissent evadere“, sicuti XXXIII. 20. legitur: „neque enim aliter potuissent trimodia anulorum — mitti“. Ne illa quidem quae sequuntur, in quibus magnam corruptelam latere suspicatur Silligius, quidquam molesti habent. Rhetorice eadem repetit quae apud Nearchum legerat: ictu telorum non terreri belluas immanes, sed ne voce quidem aut sonitu tubarum solo fugari, verum maximo fragore, qui et clamore sublato et tubarum concentu et armorum remorumque strepitu efficiebatur, tandem eo compulsas fuisse balaenas, ut aquas subirent. Brevius Curtius „trucem“ modo „cantum“ commemorat, Nearchus vero ait apud Arrianum: *ἐνταῦθα αὐτοὺς μὲν ὅσον αἱ κεφαλαὶ αὐτοῖσιν ἐχώρεον ἐπαλαλάξαι, τὰς δὲ σάλπιγγας σημῆναι παὶ τὸν κτύπον ἀπὸ τῆς εἰρεσίης ὡς ἐπὶ μήκιστον κατασχεῖν*, similiter Diodorus: *μετὰ δὲ ταῦτα ἐξ ἁπάντων μιᾶς φώνης γιγνομένης καὶ διὰ τῶν ὅπλων πολλοῦ συντελουμένου ψόφου, πρὸς δὲ τούτοις τῶν σαλπίγγων ἐνιεμένων, τῷ παραδόξῳ πτοηθῆναι τὰ θηρία κ. τ. λ.*

Vides igitur, omissis illis verbis *et alias tanta thynnorum multitudine* quam apte procedat oratio. Num igitur eiicienda sunt an alio fortasse ableganda? Minime, sed aliter interpungenda. Scilicet et plurima et maxima animalia in Indico mari conspici ubi paulo supra dixit Plinius, magnitudinem nostro loco luculenta descriptione exornat, multitudinem obiter ita tangit, ut thynnorum greges qui alibi reperiantur, aequos fere esse concedat. Ad rem quidem quod attinet, notum est et in Bosporo ingentem thynnorum copiam quotannis reperiri (cf. infra §. 49 sqq., Athen.

VII. p. 301 E sqq.) et in oceano Gaditano frequentissimum esse id genus piscium, cf. Strabo III. p. 145. Tali autem ablativo absoluto, ubi nullum participium additur, in primis delectatur Plinius, veluti, ut unum pro multis exemplum afferam, XVI. 188. „alias cortice inextricabili" legimus, vel accommodatius etiam XXXIV. 37. „singulorum quoque inexplicabili multitudine." Significant igitur verba in parenthesi ponenda, multitudinem quidem et alias in thynnis tantam conspici quantam in belluis Indicum mare ostendat.

Itaque totus locus sanus salvusque remanebit, dummodo in hunc modum interpungatur:

belluas cum fluctibus volvunt (et alias tanta thynnorum multitudine), ut magni Alex. rel.

In sequentibus §. 10. satis mirari nequeo, cur Silligius interpunctionem Dalecampii et Harduini quam antiquam Barbari et Gelenii, quam et Gesnerus probavit et ego nondum inspectis veteribus exemplis sponte restituebam, sequi maluerit. Narratur ibi Tiberio principe in Santonum litore belluas repertas esse,

interque reliquas elephantos et arietes candore tantum cornibus adsimulatis, Nereidas vero multas. Turranius prodidit, expulsam belluam in Gaditano litore rel.

Ita recte interpungi et scripturae varietas indicat, qua in nonnullis codd., veluti M Dalecampii, quem Silligius r nominat, hic vero afferre neglexit, et Barbari, additur *vero*, et verborum structura necessario postulat. Si enim incipiendum esset a verbis *Nereidas vero multas Tur. prodidit*, expectaretur profecto seu verbum seu copula, neque ita continuari liceret orationem: *expulsam belluam.*

189 16 = 7, 6.

... in qua sententia fuisse Aristotelem video et multis persuasisse doctrina indignis. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo, quoniam rel.

Ita Silligius e codd., quorum tamen R et d quum scribunt vel *indigni/////s* vel *indignis////* aliquid in archetypo defuisse declarant, genitivum *doctrinae* habet d, *doctrinam* r. Et Barbarus quidem e suorum librorum lectione coniectura effecit *doctrinae indaginibus*, quod vulgo receptum est. Verum tantum abest ut „indago" idem significet ac „demonstratio" sive „argumentum", ut ne de investigatione quidem vel inquisitione translato sensu a veteribus scriptoribus usurpetur, cf. Boetticher Lex. Tacit. s. v. Deinde brevi argumentatione utitur Aristoteles Hist. anim. VIII. 2. nullis doctrinae luminibus distincta. His efficitur vulgatam scripturam interpolatione ortam esse; quam autem Silligius recepit, ne ipse quidem valde absurdam esse negabit. Tantopere despici viros doctos, quod opinionem, quam ne Plinius quidem §. 19. falsam appellare audet, ab Aristotele acceperant, ut indigni doctrina vocentur! Quid multa? legendum est lacuna librorum Mss. expleta:

— *multis persuasisse doctrina insignibus.*

In sequentibus nonnumquam a Sillígio discedo. Nam et §. 29. recte Harduinus explicasse videtur, et §. 33. sine dubio *Iasio sinu* cum Barbaro legendum est, quoniam de Cariae urbe loqui Plinium proximo enuntiato demonstratur. Sicut autem hic in Rd legitur *Latio* vel *Lacio*, ita XXXVI. 13. recte in Rd *Iasii*, in ceteris *Lasii* scribitur.

§. 36. tum adnatare leviterque singulis ternos.

Rectissime Harduinus coniecit *leniter*. Nihil enim fre-

quentius copula *que* male adiecta, quam etiam X. 173. delendam esse videbimus. Sumpsit enim hanc narrationem Plinius ab Agatharchide 14. ap. Phot. Bibl. 250, cuius locum plenius descripsit Diodorus III. 21. Neque enim res gestas tantum secundum auctores suos enarrat Diodorus, sed iisdem verbis atque illi uti solet. Quod accuratius alibi demonstrabo, nunc uno tantum exemplo confirmo. Quum enim XI. 2. Carthaginienses ex Italia et Liguria milites mercenarios accivisse perhibentur, ipsam Ephori orationem exscripsit, nam ipsius aetate Liguria ab Italia discerni non poterat. Ita igitur apud Diodorum loquitur Agatharchides: οἱ δὲ τὰς νήσους κατοικοῦντες βάρβαροι κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἠρέμα προςνήχονται ταῖς χελώναις, i. e. *leniter* adnatant.

80 = 25, 41. 190

— quibus inhaerentibus plenam ventis stetisse navem portantem a Periandro ut castrarentur nobiles pueri, conchasque rel.

Vulgatam scripturam *nuntios a Periandro* quae e bonis codicibus in uno R² reperitur, merito Pintianus et post eum Harduinus ceterique VV. DD. ut glossema reiecerunt. Silligius autem locum lacunosum esse ratus *Periandro* Graecum dativum esse voluit, post quem exciderit participium *missos*. At vero ne sic quidem vocabulum „pueri“ habebit quo referatur, nisi audacem attractionem Plinio velis obtrudere. Ipsos enim trecentos pueros Corcyraeos a Periandro Sardes ad Alyattem missos esse, ut castrarentur, Herodotus refert III. 48 sqq. Itaque scribendum est:

portantem a Periandro ut castrarentur nobiles pueros.

Praepositio enim *a*, quae sane in optimis libris deest, facilius videtur restitui quam totum vocabulum *missos* inseri. §. 83. primus, ni fallor, Silligius pravam inter-

punctionem introduxit, sive ex priore editione sua repetiit, qua contra Aristotelis testimonium Hist. anim. IV. 1. et contra ipsius Plinii sententiam saepiae et lolligini modo octo modo duo pedes tribuuntur. Necessario ibi coniungenda sunt: *pedes duo ex his* (sc. octonis) *longissimi.*

191 91 = 30, 48.

Luctatur enim *(polypus)* complexu et sorbit acetabulis ac numeroso suctu diu trahit, cum in naufragos urinantesve impetum cepit —

Ita Silligius e cod. R^2, voce *diu* nisi fallor e correctione orta. Reliqui enim libri Mss. sic legunt: R^1 *du trahit*, r Reg. I. Paris. *dum trahit*, quod recepit Harduinus, Barb. Dalecamp. *detrahit*, Td *trahit.* Apparet eam lectionem quam ultimam commemoravimus, reliquis praeferendam esse. In eo enim exemplo, unde plerique libri Mss. descripti sunt, puto, *suctu du* scriptum erat, quod dittographiae vitium recentiores scribae emendare conabantur. Vox autem *diu* vividae descriptioni aliquantum detrahit neque ad numerosum suctum aptum videtur.

194 98 = 31, 51.

Universi *(cancri)* aliquando congregantur, os Ponti evincere non valent, quamobrem egressi circumeunt apparetque tritum iter.

Aelianus Hist. anim. VII. 24. in sinu quodam Bospori congregari cancros refert ibique singulos operiri, qui contrarios fluctus e Ponto irrumpentes subire nequeant, et agmine facto terrestri itinere locum impermeabilem circumire, neque hoc semper fieri, sed tum tantum, si quando vehementius e Ponto undae in Bosporum ingruant. Plinium idem narrasse eiusque orationem disiunctam et hiulcam

emendandam esse consentaneum est. Nam cancri non universi contra fluctus natare aggrediuntur, sed ubi singulorum conatus irritus mansit, terra incedunt. Deinde asyndeton displicet: atque verborum ordinem antiquitus perturbatum fuisse cod. d probabile fit, qui verba *aliquando universi* inverso ordine exhibet. Transpositione igitur utendum est et syllaba *ali* in *si* correcta scribendum:

Universi congregantur, si quando os Ponti evincere rel.
Quodsi *ali* omnino delenda censeat aliquis, non repugnabo.

108 = 35, 54. 193

— si fulguret, comprimi conchas ac pro ieiunii modo minui; si vero etiam tonuerit, pavidas ac repente compressas quae vocant physemata efficere, speciem modo inani inflatam sine corpore; hos esse concharum abortus.

Ipsas margaritas inanes φυσήματα esse consentaneum est, quid vero illud inane sit quo inflentur conchae, nescio, nisi ipsam margaritae speciem. Itaque vulgata lectio quam dedit Silligius, valde displiceret, etiamsi omnibus libris Mss. defenderetur. Nunc vero perpauci tantum codices vulgagatam tuentur, in RΘTd id est in optimis quibusque legitur *inflatas*, in ΘT *specie*. Unde egregia efficitur lectio:

specie modo inani inflatas —,

conchae enim non verum unionem sed speciem tantum eius inanem concipiunt.

In proximo sensu cum Salmasio p. 1133. e vetere codice scribendum esse arbitror *mirum*, quod etiam sub voce *miro* quam R et d exhibent, latere videtur, quorum archetypus *mirō* habuisse putandus est.

LIBER X.

194 **48 = 21, 24.**

... itaque terrori sunt *(galli)* etiam leonibus ferarum generosissimis. Iam ex his quidam ad bella tantum et proelia assidua nascuntur, quibus etiam patrias nobilitarunt, Rhodum aut Tanagram. Secundus est honos habitus Melicis et Chalcidicis, ut plane dignae aliti tantum honoris perhibeat Romana purpura rel.

Ita vulgo male interpungitur. Quae enim Romae galli erat dignatio, nequaquam inde consequebatur, quod Melici galli secundum in pugnacitate locum obtinebant, sed quod omnino pro pugnacissimis animalibus habebantur. Melicos autem obiter commemoravit Plinius, dum gallos bellatores esse demonstrat. Itaque hoc modo distinguenda sunt verba:

— *nobilitarunt, Rhodum aut Tanagram (secundus e. h. h. Mel. e. Chal.), ut pl.* rel.

§. 75. cum Salmasio e cod. d scribo *quam*, §. 76. *emoritur.* In Rd *emori* eodem verbo mox repetito huc translatum videtur. §. 77. restituatur oportet vetus interpunctio, quam Silligius Harduino duce reliquit: *ciconiae non permeant, sicuti nec octavum citra lapidem ab eo* (Lario lacu) *immensa alioqui finitimo Insubrium tractu examina graculorum* rel. Nam de avibus sermo est, quae alicubi non conspiciantur, nec de iis, quae alias numerosae reperiantur.

195 **102 et 103 = 33, 51.**

Rabie quidem tanta *(libidinis perdices)* feruntur ut in capite aucupantium saepe caecae metu sedeant. Si ad nidum is coepit accedere, adpro-

currit pedes eius feta praegravem aut delumbem sese simulans rel.

Verbum *metu* hoc loco tolerari non posse consentiens est fere VV. DD iudicium. Nam non metu sed libidine obcaecatas in aucupes irruere perdices et ipse Plinius docet et Aristoteles quem ante oculos habuit, testatur Hist. anim. IX. 8. Quod qui primus animadvertit Pintianus probante Schneidero ad Arist. t. III. p. 68, vocabulum delere voluit, Salmasius p. 152. in *velut* mutari, Harduinus *initu* scribendum esse, etsi propter librorum consensum dubitabundus coniecit. At vero hic quoque lenissimo transpositionis remedio utendum est et scribendum:

saepe caecae sedeant. S. a. n. i. c. a. a. p. e. feta, metu praegravem sese simulans,

i. e. propter metum simulans se esse praegravem. Fefellerat scribam verborum *caecae* et *feta* in versibus vicinis similitudo.

173 = 63, 83. **196**

Avertuntur et canes, phocae, lupi in medioque coitu invitique etiam cohaerent.

Ferrem alterum *que* post *inviti,* si verba „inviti etiam" abesse possent. Quoniam vero apparet ea ad sententiam explendam necessaria esse, delendam copulam censeo.

179 = ibidem. **197**

Equas autem post tertium diem aut post unum ab enixu utiliter admitti putant coguntque invitas, et mulier septimo die concipere facillime creditur rel.

Impeditum corruptumque locum esse cum alii tum Pintianus in primis intellexit veramque medendi viam mon-

stravit. Duplici autem corruptela laborat. Primum enim non altero vel tertio die post partum equas ad initum admittendas esse, sed uno certe anno praeterlapso et Aristoteles et Romani scriptores monuerunt. *ὅταν δὲ τέκῃ ἡ ἵππος, οὐκ εὐθὺς μετὰ τοῦτο πίμπλαται ἀλλὰ διαλείπει χρόνον, καὶ τίκτει ἀμείνω τετάρτῳ ἢ πέμπτῳ ἔτει μετὰ τὸν τόκον. ἕνα δʼ ἐνιαυτὸν καὶ πάμπαν ἀνάγκη διαλείπειν καὶ ποιεῖν ὥσπερ νειόν.* Ita loquitur Aristoteles Hist. anim. VI. 22. Quocum consentiunt Varro R. R. II. 7. „Alternis qui admittunt, diuturniores equos et meliores pullos fieri dicunt, itaque ut restibiles segetes essent exactiores, sic quotannis quae praegnantes fuerint.“ Columella VI. 27. „Vulgari feminae solemne est omnibus annis parere, generosam convenit alternis continere, quo firmior pullus lacte materno laboribus certaminum praeparetur“. Palladius IV. 13. „Generosas equas, et quae masculos nutriunt, alternis annis submittere debebimus“ rel. Non hoc igitur dicit Plinius, fieri non posse ut saepius equae submittantur, sed utiliter fieri cum Varrone quem inter auctores libri X. enumerari legimus, negat. Recte igitur Frobenius eumque secutus Dalecampius cum omnibus auctoribus Plinium conciliare studuit; quod autem vocem *diem* in *annum* mutavit, fecit id quidem licentius quam decebat. Scilicet idem dittographiae vitium quo prae reliquis opus nostrum inquinatur, hic quoque admissum est. In archetypi enim fonte haec scripta fuisse arbitror voce *annum* in *unum* corrupta:

EQVAS AVT POST AVT POST VNVM.

Quae quum emendare conaretur archetypi scriba, in eo erravit, quod non delenda quaedam esse sed supplenda arbitratus est, et ultimum vocabulum pro sincero habuit ac *tertium diem* ex ingenio addidit, unde portentum lectionis

equas autem post tertium tertium diem aut post unum

effectum est.

Alterum vitium Pintianus detexit, indicavit in margine Gelenius. Quum enim de quadrupedibus animalibus disputet Plinius, mulierem generis humani nullo modo potuit commemorare. Asinas autem iam antea VIII. 173. Aristotelem VI. 23. secutus septimo die a partu optime impleri tradiderat; itaque nihil certius quam hic quoque earum mentionem fieri. Neque tamen cum Pintiano *asina* scripserim sed *asinas*. Prima ut videtur syllaba per incuriam omissa in archetypo scriptum fuerat:

INVITAS INAS,

quibus syllabis quae sensu carere viderentur deletis recentior scriba lacunam quam in textu verborum conspiciebat, vocibus *et mulier* infeliciter explevit.

Quare Plinius ipse sic videtur scripsisse:
Equas autem post annum ab enixu u. a. p. c. invitas, asinas septimo rel.

LIBER XI.

5 = 3, 2. 198

Insecta multi negarunt spirare, idque ratione persuadentes, quoniam viscera interiora nex u s spirabilis non ines s e t.

Quod vulgo ante Harduinum legebatur *visceri interiori* a libris Mss. abhorret; Harduini coniectura *in viscera* contra grammaticam peccat; *inisset* vero, quod Silligius reponi vult, falsum esse quis non intelligit? Quando enim nexus viscera inisse potuerit, temporis momentum ne cogitari quidem potest. At vero plura insectis praeter nexum spirabilem deesse infra §. 9. ex Aristotele IV. 7. diserte traditur: „nihil intus“, ait, „nisi admodum paucis intestinum implicatum“. Scilicet omnia desiderantur quae ad spiran-

dum pertinent, quaeque II. 15. his verbis enumerat Aristoteles: ὅλως δὲ πάντα ὅσα τὸν ἀέρα δεχόμενα ἀναπνεῖ καὶ ἐκπνεῖ, πάντ' ἔχει πνεύμονα καὶ ἀρτηρίαν καὶ στόμαχον, cll. IV. 7. Utrumque insectis deesse manifestum est, ἀρτηρίαν id est nexum spirabilem, πνεύμονα καὶ στόμαχον id est viscera interiora. Arteria enim ad pulmonem pertinet (cf. infra §. 175), quem in proximis verbis nominat, sicut viscera §. 6. Scribendum est igitur:

viscera interiora nexusque spirabilis non inessent.

199 20 = 10, 10.

[R a t i o o p e r i s h a e c :] interdiu rel.

Codd. RTdr omittunt *haec.* Itaque priora quoque pro lemmate habere malim, quo in margine argumentum loci iucundi a librario indicatum fuerit.

200 38 = 15, 15.

In omni melle quod per se fluxit, ut mustum oleumque, appellatur acetum. Maxime laudabile est aestivum omne rutilum, u t d i e b u s c o n f e c t u m siccioribus; aptissimum existimatur e thymo rel.

Recte Silligius difficillimum locum vix ait certa emendatione restitui, Iani etiam coniecturas (Nunt. litt. Monac. 1836. no. 166) incertas esse. Attamen, si quid video, unum certe vocabulum *optimum* e codd. varietate erui potest. Scilicet haec in libris Mss. leguntur: *acetum maxime laudabile est estiu* (*est estiuum* R[2]) *omne rutilum vel sicciori- bus aptissimum* rel. R[1], *ut siccioribus* T, *ut ulceribus* r. *Ulceribus* recte inde effecit Dalecampius. Mihi in codice archetypo voce *aptissimum* (*aptmum*) absorptum videtur vocabulum *optimum.* Deinde post v. *rutilum* excidisse coniicio *album* atque sic legendum esse:

acetum maxime laudabile. Aestivum omne rutilum: album ulceribus aptissimum; optimum rel.

Ita enim loquitur Aristoteles Hist. anim. IX. 40: τὸ δὲ λευκὸν... ἀγαθὸν.. πρὸς ὀφθαλμοὺς καὶ ἕλκη.

77 = 23, 27. 201

(*Bombyces*)... tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem vellere; hanc ab his cogi unguium carminatione rel.

Vellera quum codd. RTd habeant, recte veteres et Dalecampius dederunt *in vellera*, praepositione *in* ex ultima littera vocabuli proximi repetita. Interpungendum est autem ita:

lanuginem; in vellera hanc (sc. lanuginem) *ab his* (sc. bombycibus) *cogi* rel.

83 = 24, 28. 202

Age firmitas quando rumpentibus ventis.

Ita RTdr. Recipienda est Dalec. scriptura *quanta*, sed servandum *rumpentibus* quod ille in *irrumpentibus* mutaverat. Idem est enim quod „rumpere conantibus".

88 = 25, 30. 203

venenum omnibus (*scorpionibus*) medio die, cum incanduere solis ardoribus, itemque cum sitiunt, inexplebili potu.

Ultima vocabula sensu carent: neque enim potus sed sitis inexplebilis est. Cod. R habet *inexplebile potuus*. Unde legendum esse arbitror:

cum sitiunt inexplebile potu,

ita ut pro adverbio Graeca structura neutrum adiectivi usurpatum sit.

204 **92 = 26, 32.**

Sequens est volatura ea quae canunt; vocantur achetae, et quae minores ex his sunt tettigonia, sed illae magis canorae.

Duo cicadarum genera distinguit Aristot. Hist. anim. V. 30, achetas et tettigonia. Itaque quum tettigonia non sint species quaedam achetarum sed genus singulare, deleta praepositione *ex* utpote e syllaba proxima *es* dittographia orta scribendum est:

minores his.

205 **95 = 27, 32.**

Cicadae non nascuntur in raritate arborum — idcirco non sunt Cyrenis circa oppidum — nec in campis nec in frigidis aut umbrosis nemoribus.

Aristoteles quum V. 30. diserte circa oppidum Cyrenas esse cicadas tradiderit, recte Barbarus alterum *non*, quod e versu superiore facile fieri potuit ut repeteretur, expunxit. Silligius Plinium erroris insimulare maluit. Omnes autem adhuc male verba distinxerunt et parenthesin iusto angustiorem reddiderunt. Nam verba philosophi διὸ καὶ ἐν Κυρήνῃ οὐ γίνονται ἐν τῷ πεδίῳ, περὶ δὲ τὴν πόλιν πολλοί ita transtulisse videtur Plinius:

— idcirco sunt Cyrenis circa oppidum nec in campis —

206 **174 = 37, 66.**

Metellum pontificem adeo inexplanatae ***(linguae)*** **fuisse accipimus ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda aede Opiferae dicere.**

Verissime iudicat Harduinus quum Opiferam non cer-

tam aliquam deam fuisse pronuntiat, sed et Dianam et Fortunam eo cognomine ornari affirmat. Idem non Opiferae aedem quae nulla fuit (neque Fortunae Dianaeve eo nomine Romae templum erectum est), sed Opis intelligendam esse vidit, atque in eo tantum lapsus est quod *Opis vere* legi voluit. Nam neque „vere“ idem est ac „non perplexe, iuste“ neque orationem quamlibet meditatus est Metellus. Pontificis enim erat in aedium dedicatione certa quadam formula uti, quam ediscebat Metellus et meditabatur ne in pronuntiando falleretur. Iam vero sollemnis et propria in tali dedicatione vocis „verba“ significatio est. „Verba praeire“ legimus apud Livium IX. 46, „verba facere“ apud Cic. p. dom. 46, „verba dicere“ apud Gellium I. 12. e Fabio Pictore. Idem apud Plinium certissima coniectura scribendum esse aio:

d. m. in dedicanda aede Opis verba dicere.

Qua quidem emendatione de aetate templi quod in Capitolio situm nonnumquam commemoratur, certiores fimus.

176 = ibidem. 207

Altera exterior (*fistula*) appellatur sane gula, qua cibus atque potus devolat.

Appellatur Silligius e codd. optimis dedit, quum vulgo *appelletur* legeretur. Attamen vocem *sane* tunc aptam non esse apparet. Utitur ea Plinius, ubi rem dubiam quidem esse significat sed ita comparatam, ut ipse opinioni receptae non repugnet. Ita infra §. 267. „credatur sane“ dictum reperies. Atqui hoc loco de gula dubitare non licet: itaque ad coniecturam confugiendum est. Quae quidem facili transpositione perficitur. Dixerat Plinius, cibo in arteriam alienumque tramitem recepto hominem torqueri:

nuno gula sane i. e. ὑγιῶς sine incommodo atque utiliter et cito deferri refert. Itaque scribendum erit:

— *appellatur gula qua sane cibus atque potus devolat.*

208 179 = 37, 68.

Hoc nomine (*stomachi*) est sub arteria iam carnosa inanitas rel.

Displicet otiosum illud *iam*, quod e dittographia ortum esse videtur. Scriptum erat, opinor, in archetypo: ARTERIAIA, unde factum est lineola superinducta *arteria ia͞*.

209 180 = ibidem.

novissima asperitas (*stomachi*) ut scobina fabris.

Ita Silligius e codd. Rd; antea *fabri* legebatur. Verum dativum *fabris* ita nude positum nescio quomodo explicari possit. Itaque praestat una syllaba adiecta scribere:

ut scobina fabrilis.

Scobina enim sicut lima materia fabrilis est, cf. Varro L. L. VII. 94.

Quae praecedunt tot mendis inquinantur, ut sine libris melioribus probabiliter emendari nequeant. Atque idem de plurimis huius libri locis valet, veluti de §. 195, ubi quae nunc verba Plinii leguntur, diserto Aristotelis testimonio De part. anim. IV. 2. et Hist. anim. II. 15. refragantur. Quod fortasse ferendum erit, quum sane concedendum sit, sat multos locos Aristotelis male intellectos vel negligenter excerptos reperiri, cf. Montigny p. 57 sqq.

In §. 196. Harduini interpretationem probo.

210 200 = 37, 79.

Idcirco magis avidi ciborum, quibus ab alvo lon-

gius spatium; iidem minus sollertes, quibus obesissimus venter.

Duo animalium genera distingui manifestum est, quapropter scribendum censeo *item* pro *iidem*, quocum alibi quoque v. c. §. 248. confunditur.

255 = 46, 106. 211

Talus autem rectus est in articulis pedis ventre eminens concavo, in vertebra ligatus.

Recte Schneiderus cuius libro aegre careo, Sillígio teste sensum loci, quemadmodum nunc quidem legitur, ineptum et falsum dicit, recte idem pro *concavo* scribendum censuit *concavus*: est enim contrarius recto talo. Prorsus autem intolerabilis restat vox *ventre*; nam talo cum ventre nihil commune est. Plinius ante oculos habuit Aristotelis locum Hist. anim. II. 1. p. 499. b. 27. qui *ἔχει δ' ὀρθὸν*, inquit, *τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω*. Quem utut libere et fortasse minus recte interpretatus est, exteriorem tamen pedis partem ab ea quae introrsus flectitur, distinxisse putandus est. Atque is sensus orationi restituitur, ubi facili mutatione scripseris:

Talus autem rectus est in articulis pedis retro eminens, concavus in vertebra ligatus.

Ita opponitur rectus talus concavo, ille qui retro eminet ei qui flexura articuli alligatur. Videtur autem is qui *ventre* scripsit, vertebram spinam intellexisse. Ceterum paulo supra ita interpungendum erat:

Cornigera fere bisulca, solida ungula et bicorne nullum, unicorne asinus tantum Indicus, unicorne et bisulcum oryx.

Nam quum cornigera fere omnia bisulca esse dixerit Plinius, varia genera ita distinguit, ut bicornia omnia,

unicornia praeter asinum Indicum fere omnia bisulca esse affirmet. Silligius autem male post *nullum* gravius interpunctionis signum collocavit.

212 **266 = 51, 112.**

Vocem non habere nisi quae pulmonem et arterias habent hoc est nisi quae spirent Aristoteles putat.

Silligius Ianum secutus est, qui in Nunt. litt. Monac. 1836. n. 165. verba *nisi quae pulm. e. art. hab. hoc est*, quae quum a ΘTd absint, primus Dalecampius exulare iussit, e cod. R et vetustis editionibus restituit: haud scio an male. Nam etsi ipso libro quo Ianus sententiam suam exposuit, uti mihi non licet, id tamen e Silligii annotatione perspicere mihi videor, veterem lectionem ideo commendari, quod §. 267. pisces item „pulmone et arteria“ carere dicantur. At vero ita etiam Aristoteles, a quo Plinius sua desumpsit, orationem variavit. Hist. anim. IV. 9. initio dixerat διὸ ὅσα μὴ ἔχει πνεύμονα, οὐδὲ φθέγγεται, deinde οἱ δ' ἰχθύες ἄφωνοι μέν εἰσιν (οὔτε γὰρ πνεύμονα οὔτε ἀρτηρίαν καὶ φάρυγγα ἔχουσι). Nostro autem loco cur bis idem diceret Plinius praesertim in re quam iam supra tractaverat, causa profecto nulla fuit: quocirca in eorum sententiam inclino, qui glossema se deprehendisse putarunt. Dubitare quidem aliquis possit, utrum priora verba an: h. e. *nisi quae spirent* eiicienda videantur. Nam librorum Mss. auctoritatem in talibus non praevalere apparet. Quodsi tamen Iano accedimus, tum non *habent,* sed *habeant* scribendum esse proximo verbo *spirent* demonstratur.

213 **279 = 53, 115.**

Quae insecta appellavimus, omnia olei adspersu

necantur. Vultures unguento qui fugantur alios appetunt odores, scarabaei rosam.

Egregie de his verbis, quorum sensum Pintianus aperuit, meruit Silligius, cui quum in universum assentiar, pauca tamen facilius etiam emendari posse arbitror. Scilicet quum cod. R legat *unguenti* — *fugat* — *odorē* — *rosa*, Silligius compluribus veterum scriptorum locis allatis (quibus e Pintiani annotatione Theophrastum addere poterat De caus. plant. VI. 4), scribendum esse censuit:

— *necantur, vultures unguenti, qui fugantes alios appetunt odores, scarabaei rosa.*-

Quam construendi duritiem etsi in Plinio ferendam esse concedam, facilius tamen et cod. R scripturae convenientius una voce inserta lego:

— *necantur, vultures unguenti, quum qui fugat alios appetunt* (sive — *ant*) *odorem, scarabaei rosa.*

De uno enim odore cadaverum sermonem esse liquet. — Supra post *commeabat* interpunctionis signum delendum esse, verbo tantum tango.

LIBER XII.

29 = 7, 14. 214

Quis ille primus experiri *(piper)* cibis voluit aut cui in appetenda aviditate esurire non fuit satis?

Vocabula *appetenda aviditate* ferri et explicari non posse vidit Silligius: aviditatis enim est appetere non appeti. Idem quod in cod. r inveniri Dalecampius tradit *explenda*, e glossa ortum esse intellexit et coniecturam Wagneri *cui in appetendo aviditati* ut ingeniosissimam commendavit. Verumtamen sic et duo vocabula mutantur et nimis artificiosa subiecti mutatio introducitur. Displicet

etiam imago aviditatis quae dum appetit esuriat. Haud dubie collato loco XXII. 113. quid scribendum sit, palam fiet. Sicut enim ibi legitur „appetendi aviditas cibi", ita hic legendum est *in appetendi aviditate* sc. *cibos*, quae vox quum modo prolata sit, facile subintelligitur. Littera *a* in archetypo falso fuit duplicata, *i* proximis *ui* absorpta.

215 33 = 8, 18.

— ibi et frutex pestilens raphani, folio lauri, odore equos invitante rel.

Theophrastum sequitur Plinius, e cuius verbis Hist. plant. IV. 4. 12. Ἄλλο δὲ ὕλημα μέγεϑος μὲν ἡλίκον ῥάφανος, τὸ δὲ φύλλον ὅμοιον δάφνῃ rel. recte Silligius aliquid excidisse collegit. Possit quidem e §. 35. *magnitudine* addi, verum praestat e versu proximo superiore repetere *similis*.

216 37 = 9, 20.

... rubro mari, quod ibi Persicum vocavimus rel.

Factum hoc est VI. 41. et 108. Verum quum alio tantum loco a se de sinu Persico disputatum esse tradat Plinius, apparet vocem *ibi* quae ad nullam in antecedentibus referri possit, pro corrupta habendam esse. Scilicet initio vocabuli quod intercidisse putandum est, restituto opus est ut legatur:

alibi.

217 75 = 17, 37.

Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id *(ladanum)* fit, ledam appellant; etenim illi ledanum vocant; huius pingue insidere itaque attractis funiculis, herbam eam convolvi atque ita offas fieri.

Variis locum manifesto corruptum coniecturis VV. DD.

tentarunt. Et Scaliger quidem quid scribi voluerit, nescio, at reliquorum conamina praeter unum Pintianum parvi aestimo. Salmasium nominasse sufficiet, qui p. 362. scripsit *ladanum vocant huius pingue: ei insidere: idque* rel., Dalecampium, qui in margine alios habere annotat: *huius foliis pingue super eam herbam*, ipse coniicit *attractos funiculos herbae ei advolvi.* Nempe hoc est interpolare nec vero emendare. Modestius Silligius Plinium ita scripsisse coniecit *huius pingui insidiari*; *itaque* rel., verum et dure homines intelliguntur quorum nusquam mentio facta est, et insidiis in re tam manifesta locus non est. Pintianus autem qua erat ingenii felicitate, hic quoque et ubi vitium quaerendum esset, recte indagavit et recte emendavit, dum scribit *huic pingue insidere.* Ita enim loquitur quem Plinius auctorem ante oculos habuit, Dioscorides De mat. med. I. 128. *ἔνιοι δὲ καὶ σχοινία ἐπισύρουσι τοῖς θάμνοις, καὶ τὸ προσπλασθὲν αὐτοῖς λίπος ἀποξύσαντες ἀναπλάσσουσιν·* et supra folia *λιπαρίας τινὰς κατὰ τὸ ἔαρ ἐπισπώμενα* commemorat. Voci igitur *αὐτοῖς* respondet apud Plinium *huic*, *προσπλασθέν* est *insidere*; *λίπος* autem sive *λιπαρία* *pingue* convertit. Nil autem facilius cogitari potest quam ut ex HVIC quod in archetypo fuisse consentaneum est, oreretur hui?. Quod sequitur enuntiatum §. 76, a Silligio emendatum est, nisi quod ante *alii* vocabulum *ut* quod ille delere voluit, potius in *at* mutandum videtur. In proximo puto dittographiam me deprehendisse. Nam quod ladanum *adulteratur myrti bacis et aliis animalium sordibus*, id Graece fortasse recte diceretur, apud Latinum scriptorem tolerari nequit. Delenda est igitur vox *aliis* e fine proximae *animalium* orta.

86 = 19, 42. 218

— inenarrabilem quendam universitatis halitum e

tota paeninsula exsistere tot generum aura e spirante conceptum rel.

Recte Silligius pro vulgata scriptura *concentu* cum Dalecampio e codd. dedit *conceptum*. In superioribus praepositio *e* loco non apto posita displicet. Quapropter quum a T prorsus absit, in d *aure scribatur*, delendam censeo.

219 **125 = 25, 55.**

Styrax laudatur post supra dicta ex Pisidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta minime; ex Amano Syriae medicis, sed unguentariis magis. Colos in quacunque natione praeferuntur rufus et pinguiter lentus...

Initium enuntiati correxit Salmasius p. 545, qui vocabulum *Sidone* quod in a legitur, quum Θ habeat *Side*, d *sed et e*, T *sed et*, dittographia e *Pisidia* ortum esse intellexit. Proxima ita scribi voluit: *minime ex Amano* rel. Verumtamen et durior ea structura est et vocem *colos* servat manifesto corruptam. Qui enim fieri potest ut color „pinguiter lentus" appelletur? Quapropter in prioribus interpunctionem vulgatam retineo eo sensu, ut styrax Cretica omnium minime laudari dicatur, reliqua ita scribo:

— *ex Amano Syriae medicis, sed unguentariis magis Gabalis. In quacunque natione* rel.

Circa Gabala enim styracem gigni modo retulerat Plinius.

LIBER XIII.

220 **23 = 3, 4.**

— aquilae certe ac signa pulverulenta illa et cuspidibus horrida unguuntur festis diebus; utinamque dicere possent, quis primus instituisset.

possent R, *possemus* vulgata scriptura habet e codd. Gel., a et d. Unde corrigendum videtur *possem*. Inepte enim optaret, ut ipsae aquilae loqui possent. Ita §. 24. legimus: „non facile dixerim“.

28 = 4, 7. 221

Genera earum plura, et prima fruticem non excedentia, sterilem hunc, aliubi et ipsum fertilem breviq u e ramorum orb e foliosu m. Tectorii vicem hic parietibus plerisque in locis praest a t contra aspergines.

Interpolatam lectionem vulgatam, quae e Gelenii codd. primum recepta est, recte iudicat Silligius, quum vocabulum *hic* quorsum referatur, non intelligatur, sed certam emendationem se nondum reperisse addidit. Fortasse locus hoc fere modo corrigi poterit. Et codicum quidem scriptura haecce est: R *brevemque rami orbem foliosum*, d *brevesque ramorum orbe foliosum. Tectori vice* rel., a *brevesque rami obref. oliorum*, r *breves ramis obire umbra foliorum*. Quodsi vocabula *uice hic* dittographia vitiata esse admiseris, reliqua optimo sensu et perlevi aut nulla mutatione facta ita legenda erunt:

— *fertilem, brevem q u e rami orbem f o l i o r u m tectorii vicem parietibus plerisque in locis praest a n t c. a.*

47 = 4, 9. 222

In ipsa Aethiopia friatur, haec tanta est siccitas, et farinae modo spissatur in panem *(crusta)*.

Vocem *haec* e codd. addidit Silligius verum interpunctione non mutata. Manifestum est autem distinguendum esse: *friatur haec (tanta est siccitas), et* rel.

223 **68 = 11, 21.**

Et hanc *(chartam)* Alexandri magni victoria repertam auctor est M. Varro, condita in Aegypto Alexandria; ante ea non fuisse chartarum usum, in palmarum foliis primo scriptitatum rel.

Inde a verbis *in palm. fol.* sermone directo Plinium uti coepisse ac digressionem de ea materie quam antea ad scribendum homines adhibebant, non tamquam a Varrone acceptam proferre, cum tota loci qui sequitur ratio docet tum praesertim verbum *invenimus*. Tum demum, quum de membranarum inventione loquitur, Varronem se sequi testatur. Aliter igitur est interpungendum:

— *Alexandria: antea* (ita enim potius scribo) *non fuisse chartarum usum. In palmarum foliis primo scriptitatum* rel.

Similiter Gesnerus quoque in Chrestom. p. 499. distinxit, nisi quod etiam post v. *Alexandria* punctum posuit.

224 **85 = 87, 27.**

Insignis est locus de Numae libris a. u. DXXXV. a Cn. Terentio scriba repertis, verum multis vitiis inquinatus, quorum alia Silligius melioribus codd. feliciter usus sustulit, alia emendanda reliquit. Et perturbatissima quidem Plinii verba iam in archetypo fuisse magnae scripturae, numerorum praesertim varietate et lacunis evincitur quibus ne ipse quidem cod. R vacuus est. Primum Cassii Heminae verba non a voce *lapidem*, sicuti voluit Silligius, sed a *Mirabantur* incipere tum Plinii oratione tum infinitivis antiquae formae *arbitrarier* significatur, qui a verbo „reddebat" apti sunt. Scilicet sic loquitur Cassius a Plinio his verbis citatus: **ipsius Heminae verba ponam.**

Mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuis-

sent; ille (*i. e. Terentius*) ita rationem reddebat: lapidem fuisse rel. — arbitrarier rel.

Tum sermone directo addit:

In his libris scripta erant philosophiae Pythagoricae, eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent.

Ultima verba ita proferri potuisse nego; qui enim putabimus, Heminae orationem medio sensu ita a Plinio interrumpi, ut finem narrationis obliquo sermone ipse adiiciat, quum praesertim nullum verbum finitum sequatur, unde accusativus ille cum infinitivo iunctus pendeat. Accedit quod in cod. a prorsus desunt, in d mutila leguntur. Quapropter in margine archetypi addita fuisse existimo, unde manca et imperfecta in libros illos recepta sint. Quodsi quis pro glossemate docti scribae habere velit, cui prodigii exitum, qualem apud Livium XL. 29. legerat, annotare libuerit, non vehementer repugnabo. Praestat tamen ea fortasse ratio qua sincera quidem Plinii verba esse arbitremur, sed importuno loco inserta. Scilicet dum ita prosequitur:

Hoc idem tradit Piso censorius primo commentariorum, sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse;

huc verba illa reiicienda esse censeo — *eosque combustos* rel. Hemina enim nihil de iure pontificio libris retulit, Piso diversae indolis libros fuisse monuit. Pergit Plinius:

Tuditanus quarto decimo Numae decretorum fuisse; libros duodecim fuisse ipse Varro humanarum antiquitatum septimo, Antias secundo libros fuisse XII pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae continentes.

Varias lectionum discrepantias quae apud Silligium diligenter enumeratae reperiuntur, omitto. Nam in universum recte a V. D. locum constitutum esse eo quoque comprobatur, quod etiam in Barbari et Gelenii codicibus ea lacuna non fuisse putanda est qua plerique eorum quibus Silligius utitur, verba *libros duodecim fuisse* omiserunt. Genitivum vero casum *decretorum*, ita ut nunc verba Plinii leguntur, explicari non posse apparet. Quapropter quum in cod. R numerus tantum XIIII scriptus exstet, Tuditani librum a Plinio non fuisse indicatum legendumque esse coniicio *quatuordecim*. Differentiam enim quam Piso inter libros pontificios et Pythagoricos statuit, Tuditanus non videtur agnovisse. Ceterum re vera XXIV libro a Valerio Antiate numeratos esse Plutarchi testimonio Num. 22. comprobatur. Itaque Livius non hunc auctorem secutus in universum XIV numerasse putandus est, quemadmodum Lachmannus De fontib. Livii V. p. 58. statuit. Pisonem dicerem, nisi is quoque Pythagoricos libros fuisse addidisset, quod Livius apud solum, ut videtur, Antiatem legerat.

idem (ait porro Plinius) tertio ponit, q u o comburi eos placuerit.

Satis mirari nequeo, nemini adhuc vocem *quo* displicuisse, quae quorsum referenda sit, ne cogitari quidem potest. Atqui aliquid deesse scriptura *tertios* indicatur quae in codd. a d reperitur, neque opus est ut quid supplendum videatur, diu quaeramus, quum cod. R diserte scribat *tertio et s. c. ponit* i. e. „tertio et Senatus consultum ponit“, quod e Valerio Livius transscripsit. Manifestum est igitur, librum secundum Valerii in Numae morte et sepultura desiisse, tertii initium a mirabili librorum perditorum inventione factum esse. Iam vero en verba, quae Plinius videtur scripsisse:

Mirabantur alii.... In his libris scripta erant philosophiae Pythagoricae. Hoc idem tradit Piso.... fuisse, eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent; Tuditanus quatuordecim Numae decretorum fuisse; libros duodecim fuisse Varro (nam *ipse* e dittographia ortum videtur)... *septimo, Antias secundo... continentes; idem tertio et S. C. ponit, quo comburi eos placuerit.*

101 = 16, 30. 225

Theophrastus, qui proximus a magni Alexandri aetate scribit circa urbis Romae annum CCCCXL, magnum iam huic arbori honorem tribuit rel.

Bene sic Silligius vulgatam scripturam correxit, praesens tamen tempus in *scripsit* mutare malim, quo tempore etiam XV. 1. utitur. Nam XXXIII. 113. perfecti notio in participio inest.

132 = 24, 47. 226

(Cytisi) plantae cubitales praeferuntur scrobe pedali. Seritur per aequinoctia rel.

Nescio quid sibi velint ablativi. Num enim tum tantum cubitales plantae praeferuntur, quum scrobes pedalis est? Atqui plantarum altitudo non a scrobibus pendet, sed scrobes pro altitudine plantarum facienda erit. Legendum est mutata interpunctione: — *praeferuntur. Scrobe pedali seritur* rel., cf. Columell. V. 12.

§. 139. cum Pintiano post v. *referta* e Theophr. H. pl. IV. 7. 2. inserendum est *maria*.

LIBER XIV.

27 = 2, 4. 227

visula... magis quam denso uvarum partu rel.

Excidisse verbum aliquod Harduinus intellexit, quod etsi

certa coniectura explere non licet, adiectivum fuisse vocabulo *denso* contrarium manifestum est. Itaque propter soni litterarumque similitudinem *magno* excidisse puto. Magnas enim visulae uvas fuisse e Columellae III. 2. descriptione colligitur. Qui argitim, licet visula minorem vastis uvis exuberasse, visulam lato folio fructus tueri narrat. Indecoram visu, sed iucundam sapore esse Plinius §. 28. refert, quales sunt quas hodie „pizzutelle" Itali appellant. Quapropter in eam sententiam me inclinare fateor, ut hanc ipsam, in Latinis Sabinisque collibus frequentissimam, veterum visulam esse arbitrer.

In sequentibus-

228 36 = 3, 4.

Siquidem Tuscis peculiaris est Tudernis atque etiam nominis Florentia. Est opima Arretio talpona rel.

egregie Silligius coniecit legendum esse *cognominis*; quae vero praeterea mutare voluit, optime explicari possunt. Uva Florentia oppido cognominis fuit, quod a Plinio non nominatur. Arretium possidet fertilem talponam aliasque non pariter opimas.

229 38 = ibidem.

Vinaciolam soli noverunt Sabini et Laurenti.

Ita vulgo scribitur vel propter terminationem vocabuli *Laurenti* vitiose, ut recte animadvertit Silligius, qui reperire se non potuisse ait, quid hic lateret. Pro *laurenti* codd. acd dant *caluenti*, unde certa emendatione efficio *Caleni*, quorum vina cum Sabinis etiam apud Horatium Carm. I. 20. 9. componuntur. Simili corruptela infra §. 65. pro *Calena* cod. a exhibet *Calentia*.

230 47 = 4, 5.

Ceterae vites miscellae maxume in quemvis agrum

conveniunt; in lora recte conduntur. Quas suspendas, duracinas, Amineas maiores et Scantianas opportunissimas esse.

Ultima verba *et Scantianas opportunissimas esse* in omnibus, quantum scio, codicibus omissa Silligius se e Catone recepisse ait. Fecerat id quidem iam antea Pintianus, sed immerito. Leguntur quidem apud Varronem De Re rustica I. 58, verum apud Catonem c. 7, apud quem quae praecedunt, veri simili coniectura emendare aggressus est H. Keilius in Obss. crit. in Catonis et Varronis de re rust. libros Hal. MDCCCXLIX. p. 48, aeque atque in Plinii libris desunt. Neque omnino Scantianas a Catone nominatas esse proximis verbis demonstratur. Nam ibi „Amineam proxime dictam Varro Scantianam" vocasse perhibetur, unde apud Varronem non *et Amineas et Scantianas,* sed *et Amineas seu Scantianas* legendum esse apparet. At vero locum, ut vulgo scribitur, intelligi prorsus non posse contendit Silligius. Quippe non meminerat attractionis in vetusto sermone frequentis, de qua Popma De usu ant. locut. in ed. Sallust. Havercamp. II. p. 307. disseruit. Sicuti enim in oratione pro lege Voconia habita ap. Meyer. p. 101. dixit Cato: „agrum quem vir habet tollitur" et Originum fr. 5. ed. Wagener. „agrum quem Vulsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit", quidni hic quoque ita loqui potuit:

Quas suspendas duracinas, Amineas maiores, vel ad fabrum ferrarium pro passis hae recte servantur,

i. e. duracinae et Amineae quae suspendi solent, „pensili", ut Plinius §. 16. loquitur, „concamaratae nodo", eaedem etiam apud fabrum servantur, ut scilicet fumi fabrilis gratiam nanciscantur (v. ibidem). De his igitur verbis immerito Silligius videtur dubitasse, in antecedentibus interpunctione peccari non animadvertit. Quum enim Varro

l. 25. „ceteras vites, et de his miscellas maxume, in omne genus agri convenire“ Catonem secutus tradiderit, manifestum est, interpungi debere, quemadmodum apud Catonem c. 6. vulgo fieri videmus:

Ceterae vites, miscellae maxume, in q. a. c.

231 49 = 4, 5.

... Rhemmio Palaemoni, alias grammatica arte celebri, in hisce XX annis mercato rus DC M nummum in eodem Nomentano decimi lapidis ab urbe deverticulo.

Scripta haec sunt anno DCCCXXX, cf. §. 46. Itaque anno DCCCX. Palaemon praedia Nomentana emisse putandus esset, quae intra decimum fere curae annum Senecae vendidisse traditur §. 51. Qui quum aetate iam provectior Tiberio regnante Romae litteras docuerit atque ante secessum principis id est ante a. DCCLXXIX. disciplinae laude floruerit (cf. Sueton. De ill. gram. 23), ad canam a. DCCCXX. senectutem pervenisse videtur. Fieri id quidem potuit: quod vero Seneca anno DCCCXX. vineas a Palaemone mercatus esse dicitur, haud dubie falsum est. Namque iam anno DCCCXVIII. mortem obierat. Apparet igitur numerum *XX* corruptum atque aut *XXV* aut *XXX* legendum esse. Alterum praeferendum esse arbitrarer, quum u ante a facile excidere potuisset, nisi §. 51. „princeps tum eruditionis ac potentiae“ appellaretur, quum ipso anno DCCCXV. Senecae potentiam infractam esse constet, cf. Tacit. Ann. XIV. 52. Praestat igitur *XXX* scribere, ita ut Seneca qui anno DCCCVIII. domu et villa auctus esse a Tacito Ann. XIII. 18. refertur, magnis quibus iam tum pollebat opibus (cf. ib. XIII. 42) vineas Palaemonis acquisivisse videatur „invisi alias“ ut mox §. 51. traditur, scilicet infensus Claudii amicis. In iisdem quum Columella III. 3. singula iugera Senecae culeos octonos reddi-

disse tradat, inter annos DCCCX. et DCCCXVIII. libros de re rustica editos esse consequitur. Ceterum distinguantur oportet vineta Palaemonis ad decimum lapidem sita a Nomentano Senecae, de quo ipse Ep. 104. loquitur, quod ad quartum lapidem a Tacito Ann. XV. 60. collocatur. Quod §. 51. a Plinio commemorari arbitror. Leguntur ibi vulgo:

51 = ibidem. 232

tanto praedii eius amore capto *(Seneca)* ut non puderet inviso alias *(Palaemoni)* et ostentaturo tradere palmam eam, emptis quadruplicato vineis illis rel.

Ibi codd. T, Murbac. et Budaei De ass. p. 614. scribunt *alias regiones et ostentaturo*, reliqui v. *regiones* omittunt, quod e proximo versu male huc transscriptum atque sic transponendum videtur:

inviso alias et ostentaturo tradere palmam regionis.

Vocabulum enim *eam* dittographia e primis vicini *emptis* litteris ortum esse putaverim. Probe autem tenendum est, optimo codice R et hic et in proximis libris nos destitui. Hoc igitur dicit Plinius, Senecam in ea regione quam et ipse incoleret, primatum Palaemoni tradidisse, licet bene gnarum fore ut homo vanus et arrogantiae plenus victum a se agrum colendi scientia virum eruditione ac potentia insignem gloriaretur, quod praedia egregia arte reddidisset, quae ne in pessimis quidem elegantioris soli dici possent i. e. quae vel inter pessima deterioribus annumeranda viderentur. Ita enim explicandus est locus §. 50, in quo Silligius immerito haesit.

52 = ibidem. 233

quando et postea saepenumero septenos culeos singula iugera [hoc est amphoras centenas quadragenas] musti dedere.

Grammaticum quidem decet accurate mensuras explicare, Plinium in re quotidiano vitae commerciique usu notissima non decuit. Quare verba uncis inclusa ab eodem homine non indocto adscripta esse existimo, quem II. 85. passuum rationem pedibus Romanis expressisse vidimus p. 13. Cui ea quoque tribuenda videntur quae Senecae accidisse narrantur. Quum enim Plinius de *Annaeo Seneca, principe tum eruditionis ac potentiae*, locutus esset, ille infausti viri celeberrimi exitus memor adscripsit *quae postremo nimia fuit super ipsum*, verbis quidem usus gravibus et veris, sed vix Latinis atque hoc loco valde ineptis. Quodsi quidquam ad narrationis argumentum conferrent, Gronovio accederem qui corrigendum esse statuit *ruit*: nunc a Pintiano eatenus tantum discedo quod ea quoque quae praecedunt, male eiecisse videtur.

234 Ibidem.

Ac nequis victam in hoc antiquitatem arbitraretur, idem Cato denos culeos redire ex iugeribus scripsit rel.

Primum e cod. T reponendum videtur *At*, deinde legendum *arbitretur*. Novo enim exemplo fertilitatis allato eo tamen antiquitatem non vinci monet et Catonis verbis demonstrat ideo adscriptis, ne quis arbitretur rel. Cato autem quum scriberet de re postea eventura cogitare non potuit.

235 55 = 4, 6.

In reliquis claritas generi non fuit alicui; anno fuit omnium generum bonitas L. Opimio consule rel.

Ita recte cum veteribus exemplis et Silligius et Harduinus distinxerunt, quem ante vocem *alicui* punctum posuisse falso refert Silligius. Quod autem idem vulgatam

scripturam *bonitas* quam e codicibus Salmasius p. 467 B. in *bonitatis* mutavit, retinuit, V. D. assentiri nequeo. Manifesto enim non claritas bonitati, sed anno genus opponitur, ita ut quum nullum genus praeter ea, de quibus disseruerat Plinius, clarum perhibeatur, annus, quo Opimius consulatu functus est, clarissimus appelletur. Itaque e *bonitati* quod in codd. c d reperitur, ablativum efficere oportet, quo causa cur annus clarus fuerit, contineatur. Scribendum est igitur: — *claritas generi non fuit alicui, anno fuit omnium generum bonitate* rel.

62 = 6, 8. 236

Exolescit hoc quoque copiae potius quam bonitati studentium.

Recte Silligius vocem ultimam explicari non posse contendit, quapropter cum Dalecampio *culpa copiae* legit. Sed facilius leniusque scribetur *studentibus*. In archetypo enim e v. STVDETIB; solita litterarum B et V permutatione factum videtur STVDETIV.

72 = ibidem. 237

— de quibus consensus aevi iudicaverint, haec sunt.

Unius aevi unus consensus est: itaque legendum *iudicaverit*. Ceterum quae praecedit narratio, a Silligio non intellecta, ita est explicanda. Libertus qui palatum Augusti penitus nosset, hospiti dixit, sibi quidem vinum quod exhibebatur, novum et ignobile videri, sed Caesaris gustui tam accommodatum ut ille non aliud poturus esset.

86 = 10, 12. 238

Tria eorum genera: decima parte aquae addita quae musti expressa sit et ita nocte ac die madefactis vinaceis rursusque prelo subiectis; alte-

rum, quomodo Graeci factitavere, tertia parte eius quod expressum sit addita aquae rel.

Loram ita fieri praecipit Columella XII. 40, ut aqua dulcis vinaceis infundatur decima parte vini quod uno die factum sit, atque idem Dioscorides tradit V. 13. Apparet igitur, sicut in altero genere tertiam partem eius musti quod expressum sit, addi iubet Plinius, ita in primo genere deesse vocabulum, quo mensura aquae cum musti portione comparetur. Id autem manifesto fuit *quam*, quod, quum in archetypo vv. QVĀ QVAE coniunctim scriptae exstarent, facillime fieri potuit ut a proximo librario omitteretur. Eodem modo in mensuris indicandis adverbium „quam“ usurpatur a Livio VII. 8, XLV. 18, Columell. I. 8. et aliis. Scribendum est igitur:

addita quam quae.

239 **103 = 16, 19.**

Vinum fit et e siliqua Syriaca, e piris malorumque omnibus generibus, s e d e Punicis rhoiten vocant, et e cornis rel.

Vulgo legebatur *e Punicis quod rhoiten* vocant. Pronomen cum optimis libris recte omisit Silligius; verum tum interpunctione mutata verbi *sed e Punicis vocant* parenthesi includenda erunt. Melius fortasse scribitur:

e. p. m. o. generibus, e t e Punicis - rhoiten vocant — et rel.

In proximo loco §. 104.

— quod ita silvestris myrti bacis factum est, myrtidanum vocatur; hoc manus t i n g u i t.

e verbis Dioscoridis I. 156. *τὸ δὲ μυρτίδανον λεγόμενον ἐπίφυσίς ἐστιν ἀνώμαλος καὶ ὀχθώδης καὶ ὁμόχροους· οἱονεὶ χεῖρες περὶ τὸ τῆς μυρσίνης πρέμνον* ultima vocabula alioquin Plinio non inusitata (cf. XV. 97) hic corrupta esse

Silligius coniecit, ita fortasse, ut mihi videbatur, emendanda: *manu stirpem cingit*, ita ut voce *stirpem* in protarchetypo sic mutilata MANV STI CINGIT litteras *tici* proximo scribae temere repetitas visas esse statuas. Verum quum manus certe a Dioscoride mentio facta fuerit, et saepius Plinium auctores suos aut male intellexisse aut negligenter contulisse constet, atque etiam mora XV. 97. manus suco tinguere dicantur, satius erit locum non sollicitare.

125 = 20, 25. 240

— nec non alia, quae est musti, pice et natura.

Hanc Harduini coniecturam ut vix intelligibilem merito improbavit Silligius. Codd. haec habent: Θ *quae est mulci* a *quae est mulsi*, Td *quae simulet*. Sententiam tamen loci recte videtur Harduinus perspexisse, qua musto etiam sicuti pice vina condiri Plinius dixerit, cf. §. 74. et 121. Coniecerim igitur ita fortasse scribendum esse:

nec non aliqua est musti picea natura.

§. 141. sine dubio cum Harduino legendum est *vivunt*. Qui enim sero expergiscuntur, horas quibus alii vivunt, somno velut mortui transigunt, cf. §. 143.

144 = 22, 28. 241

— apud nos cognomen etiam *(hac virtute potandi meruit)* Novellius Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque a praetura honoribus gestis, tribus congiis, [unde et cognomen illi fuit,] epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe in senecta iam severo [atque etiam saevo alias]; sed ipsa iuventa ad mirum proxior fuerat.

Verba *atque etiam saevo alias* ut adulterina recte a Pintiano et Mureto Var. lect. XV. 16. delentur. Quid enim

illud *alias* ad hanc narrationem confert? Scilicet adscripsit ea librarius, qui etiam saevum alibi Tiberium et fuisse et appellari meminisset. Quibus eiectis pulchre severa principis senectus iuventuti bibaci opponitur. Alterum quoque glossema in superioribus latere videtur. Quum enim in universum a potando Torquato cognomen additum esse iam tradidisset Plinius, annotavit idem ille acutus grammaticus, recte haud dubie, a tribus congiis Tricongium vocatum esse. In §. 145. *sermone* recte vulgo edebatur, quod ad orationis concinnitatem unice aptum est.

242 146 = ibidem.

Tergilla Ciceroni M. F. binos congios simul haurire solitum ipsi obiicit Marcoque Agrippae a temulento scyphum impactum.

Haereo in molesto vocabulo *ipsi*, quod hoc quidem loco ferri vix poterit. Quare aut ad Agrippam referendum scribendumque est *ipsique Marco A*, aut quod praestat:

haurire solitum esse.

Solitum enim fuit Ciceroni haurire.

LIBER XV.

243 6 = 1, 2.

— optima autem aetas ad decerpendum inter copiam bonitatemque, incipiente baca nigrescere, quam vocant druppas, Graeci vero drypetidas.

Quam pro voce interpolata *Nostri* scripsit Silligius, quum tamen *quas* dicendum fuisset. Codices vero T a d exhibent *cum*, D¹ *qum* D² *quam*. Itaque haud dubie legendum est *quum*. Tum enim quum nigrescere incipiunt bacae, druppae nominantur, cf. XII. 130.

244 9 = 3, 3.

Suus quidem olivae sucus oleum est, idque prae-

cipue ex immaturis intelligimus, sicut de omphacio docuimus.

Verbum *intelligimus* ineptum est, nam oleum sucum esse olivae maturis pariter bacis atque immaturis, quum premuntur, intelligitur, orationemque mancam reddit et imperfectam, quum praepositio *ex* aliud postulet. Eo autem loco ad quem lectorem refert Plinius, XII, 130, omphacium alba olea et druppa exprimi traditur, ut praestantissimum oleum e cruda oliva profluere supra §. 5. narratur. Scribendum est igitur:

colligimus,

syllaba *in* e proximo vocabulo *immaturis* intempestive repetita corruptum.

11 = ibidem. 245

omnino enim, ut Theophrasto placet, et olei causa calores, quare rel.

Talem Silligius locum exhibuit antea ita scriptum: *est olei causa calor*. Codices autem has lectiones habent: *et* aD, deest in Td, *calor* a, *calores* D, *calor est* Td. Et singulari quidem Theophrastus utitur De caus. plant. I. 19. 4. φαίνεται οὖν - ἡ τοῦ θερμοῦ φύσις δημιουργεῖν τὸ ἔλαιον. Itaque apud Plinium restituendus est deleta molesta voce *et*, quam, si in omnibus libris reperiretur, ferendam sane concederem, nunc in quibusdam ex ultima proximi vocabuli *placet* syllaba repetitam esse contendo. Scribatur igitur oportet:

placet, olei causa calor est rel.

§. 12. vulgata *et* probanda videtur, item §. 55. *esse* falso a Silligio insertum, §. 69. recte haud dubie Dalecampius pro *callistruthiae parum* legit *callistruthiae haud parum*, cf. Athen. III. p. 75. e. Litteris enim *hiae* vox *haud* absorpta fuit.

246 71 = 18, 19.

— comitatur eam *(porphyritidem ficum)* e minimis vilissimis popularis dicta.

Copulam *et* e codd. ad omisit Silligius, quum ad structuram sit necessaria. Videtur in archetypo fuisse *vilissimisq; popularis*, et legendum:

vilissimisque.

247 81 = 19, 21.

— quoniam sponte arescunt loci situ rimisque eadem quae culicum operae causa perficit.

Ita Silligius pro vulgato *opera* sensu quem neque ipse declaravit neque me intelligere fateor. Recipienda potius erat lectio codicum adr *opere*. Causam enim genitalem sive vim naturae procreatricem et supra §. 79. et IX. 2. eo fere modo usurpat, quo philosophi nostri de principiis loquuntur. Quae causa nostro loco rimis eadem in ficu perficit quae culicum opere perficere solet.

248 82 = ibidem.

— siccat honos, laudatas servat in capsis, Ebuso insulae praestantissimas rel.

Distinguuntur eae ficus quae propter bonitatem eliguntur et in capsis servantur, ab iis quae copia tantum insignes orcas cadosque implent. De priore genere h. l. sermo est, quod honos siccare dicitur. Vilioribus enim honos certe tribui nequit. Apparet igitur Plinii verba sic interpungenda esse:

siccat honos laudatas, servat rel.

249 Similiter

84 = 20, 22.

Mespilis tria genera, anthedon, setania, tertium degenerat; anthedoni tamen similius, quod Gallicum vocant.

male Silligius distinxit. Scilicet tertium genus est Gallicum: itaque gravior post *degenerat* interpunctio tollenda erit cum Harduino, qui tamen post *setania* plenius interpunxit.

88 = 22, 24. 250

— in Asiam Graeciamque e Ponto venere et ideo quod Ponticae nuces vocantur.

Ita Silligius e codd. a d scripsit. At vero non propterea in Asiam venerunt nuces, quia Ponticae appellantur, sed ubique Ponticae vocantur, quia e Ponto venere. Ita §. 51. mala „in Epiro primum provenisse argumento sunt Graeci qui Epirotica vocant". Sine dubio igitur lectio cod. T *que* recipienda est; *et* autem quod praecedit e compendio perfecti *venert* factum est. Itaque scribatur oportet:

— *e Ponto venerunt ideoque Ponticae* rel.

97 = 24, 27. 251

Minimum in hac arbore (*moro*) ingenia profecerunt, nec nominibus nec insitis nec alio modo quam pomi magnitudine; differunt mora Ostiensia et Tusculana Romae.

Vocem *insitis* Dalecampius corruptam esse animadvertit atque *insitu* coniecit. Quum vero non de certae cuiusdam arboris insitione velut §. 52. sermo sit, litteras potius nonnullas excidisse arbitror, quibus suppletis *insitionibus* erit scribendum. Sed alterum etiam vitium restat. Namque neque pomi magnitudine ingenia proficiunt, neque verisimile est, differentiam quae inter mora Ostiensia et Tusculana in mercatu Romano fuerit, tangi modo nec describi. Utrumque interpunctione in hunc modum mutata sanabitur:

insitionibus, nec alio modo quam pomi magnitudine differunt mora Ost. et Tusc. Romae;

§. 105. vulgatam scripturam *fiet* retinendam esse proxima voce *interim* indicatur.

252 116 = 28, 34.

detrahitur haec *(cutis)* ficis virentibus ut putamen, eisdem quae in siccis maxime placet.

Vulgo legebatur *eadem*. Quod vero Silligius e codd. a d dedit, contortam reddit structuram, facillimam futuram, ubi cum cod. Θ scripseris *eisdemque*.

253 124 = 29, 37.

Virgae quoque eius gestatae modo viatori prosunt in longo itinere pediti.

Vocabulum *manu* quod vulgo legitur haud dubie est interpolatum, *modo* quod ex omnibus libris Mss. Silligius restituit, omni sensu vacuum. Quid ipse Plinius scripserit, nondum invenire potui. Fortasse substantivum aliquod velut *baculi* excidit, quo virgae in modum scipionis viatorii gestari dicantur.

254 136 = 30, 40.

— intrepideque miranti *(Liviae)* accessit miraculum, quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis bacis; conservari alitem et subolem iussere haruspices rel.

Vulgo *teneret*, quod nisi contra auctoritatem librorum optimorum retinere velis, delendum est interpunctionis signum, ut ita coniungantur verba: „quoniam haruspices iussere alitem laurum tenentem et subolem (i. e. cum subole) conservari“.

Addenda et Corrigenda.

P. 13. v. 16. pro *CVIII* scr. *CVIIII.*

P. 14. n. 14. Sincera sunt Plinii verba, cf. Gehler Lex. physic. ed. 1842. vol. X. 2. p. 1627.

P. 18. n. 23. Eodem modo XXXII. 9. **b***eneficium* in cod. V vel **b***eficium* in B, ib. 43. **b***eneficii* in B²VT scriptum reperitur, unde colligere licet, frequentissimam fuisse utriusque litterae in codice archetypo permutationem.

P. 54. v. 2. Lectionem *Hypsizorus* defendit Bergkius in Nov. Mus. Rhen. vol. IX. p. 141.

P. 78. n. 104. Nisi forte cum Rittero Geogr. vol. X. p. 822. *Sinaram* intelligere velis, quae in Tabula Peutingeriana a Zimara distinguitur. Verumtamen quum et nostro loco et §. 84. lectio *Zimara* codd. Mss. consensu confirmetur, de uno eodemque oppido Plinius locutus esse videtur.

P. 79. v. 31. pro 749. scr. 739. Ceterum Hemsterhusii coniecturam *Opim* cupidius amplexus eram: nunc *Orchoen* legere malim, quippe quae re vera inter Babylonem et paludes sita fuerit, cf. VI. 130.

P. 91. v. 4. Diversa enim res est, quod infra §. 170. de exemplarium vitio in universum cogitatur.

P. 93. v. 1. Ita VIII. 175. in R¹d *cadentia*, in R² *scadentia*, in codd. Turnebi *scandentia* legitur.

P. 101. n. 129. Postquam Kosegartenius, collega doctissimus, locos Ptolemaei V. 18. 7. et Abydeni apud Euseb. Praep. evangel. IX. 41. mihi monstravit, de verbis Plinii aliter sentio. Nihil enim verisimilius est quam Hipparenos eosdem esse qui ab Abydeno Σιππαρηνοί vocantur, quorum oppidum Σιπφάρα a Ptolemaeo commemoratur. Nabuchodonosorus enim, ait Abydenus, τόν τε Ἀρμακάλην ποταμὸν ἐξήγαγεν, ἐόντα κέρας Εὐφρητέω, τόν τε Ἀκράκανον. Ὑπὲρ δὲ τῆς Σιππαρηνῶν πόλεως λάκκον ὀρυξάμενος,.. πύλας

ἐπέστησεν, τὰς ἀνοίγοντες ἄρδεσκον τὸ πεδίον. Ubi Ἀρμακάλην eodem modo in Ναρμάλκην mutandum esse apparet, quo apud Plinium §. 120. e codd. Mss. *Narmalchan* e vetere lectione *Armalchar* effectum est. Quem vero Abydenus Ἀκράκανον appellat, ipsum Narragam esse arbitror eiusque nomen Ναῤῥάκανον sive potius Νάῤῥακον scribendum esse. Sippara igitur ad Euphratis et Narragae confluentem sita non a flumine sed a litore appellata sunt. Nam „Sefar" Chaldaice „litus" significat. Itaque nisi urbem quandam flumini cognominem reticeri putaveris, quod vix probabile videtur, non ad ipsum amnem sed ad amnis viciniam verba „unde civitati nomen" referenda erunt. Deinde unum e duobus qui h. l. commemorantur fluviis Euphratem esse apparet. Quocirca priore nomine deleto ita Plinium fortasse scripsisse existimo: *iuxta fluvium qui cadit in Narragam, unde civitati nomen.* Ceterum p. 102. v. 25. pro 26. l. 20. et p. 106. v. 16. *praeclusere* pro *praeclusae.*

P. 114. sqq. De nominibus Arabicis quae VI. 158. et 159. a Plinio explicantur, haec respondit Kosegartenius: *Riphearma oppidum, quo vocabulo hordeum appellant.* Nihil in promtu se habere, quod prorsus aptum videretur: attamen „rîf" significare terram viridem et plantis obsitam, „arama" frumenti triti acervum. — *fons Aenuscabales, quod significat camelorum oppidum.* Arabice „ain ul gamal" camelorum rivum significare. — *Mariva oppidum significat dominos omnium.* Arabice „marabba" imperium dici. — *Caunaravi* (vel *Caunarani*), *quod significat ditissimos armento.* „Kaur" armentum et „hauram" opes pecuniae vel camelorum esse.

P. 120. v. 25. pro: *vocabula in homine — transferrentur* lege: *vocabulum homine — transferretur.*

P. 174. v. 18. pro 87 lege 13.

P. 175. v. 25. del. v. *libris.*

VINDICIAE PLINIANAE.

Karl Ludwig

SCRIPSIT

CAROLUS LUDOVICUS URLICHS.

FASCICULUS ALTER.

Quam gloriosum sit nescio, laboriosissimum esse expertus sum ex depravatis exemplaribus veterem et germanam lectionem addivinare.

BEATUS RHENANUS.

ERLANGAE.

SUMPTIBUS ANDREAE DEICHERTI.

MDCCCLXVI.

1871, Feb. 18.
Salisbury Fund.

EDUARDO GERHARDO

D. D. D

SCRIPTOR.

Vindiciarum Plinianarum

Pars altera

Plinii librorum XXII. a decimo sexto usque ad tricesimum septimum emendationes continens.

Quod laborem ante hos decem annos intermissum nunc demum resumo, propterea maxime factum est, quoniam editionis, quam a Ludovico Iano, viro doctissimo mihique amicissimo, parari cognoveram, progressum exitumque exspectare statueram. Spem enim conceperam laetissimam, fore ut multi Sillig'i errores a viro sagacissimo, criticae artis perito, de Plinii naturali historia praeclare merito tollerentur. Neque haec spes me fefellit. Quamquam enim interdum aut Sillig'o potius aut vulgatis ante eum exemplaribus assentior, aliquanto tamen pluribus locis salutarem manum ab Jano allatam esse magna cum animi voluptate intellexi. De nonnullis autem ipse quid sentirem, in chrestomathia Pliniana anno MDCCCLVII. edita indicavi. Interea hoc quoque accidit percommode, ut et Grasbergerus a. MDCCCLX. usum Plinianum summa industria illustrare aggrederetur et Detlefsenius v. d. in eleganti quam museo Rhenano a MDCCCLX. inseruit dissertatione de codicum manu scriptorum auctoritate accurate et luculenter disputaret, Felsius in commentatione laboriosissima a. MDCCCLXI. de codicum fatis, fide atque auctoritate sollerter et diligenter ageret, quos nuperrime secuti sunt Michelius in docta dissertatione de codice Luciliburgensi scripta quam in ephemeridibus a me editis (Eos II. 3)

meritis laudibus extuli, et Mayhoffius iuvenis eruditissimus, elegantissimi auctor libelli quem lucubrationum Plinianarum capita tria inscripsit. Utrumque libellum sero ad me allatum esse doleo; neque tamen nihil inde in usum meum convertere licuit. Quibus copiis ut operae chartaeque parcerem ita uti institui ut omnia quae ab Iano emendata viderentur praetermitterem, de iis quoque locis, qui a Silligio vel ab aliis melius constituti essent, liberum lecturis iudicium relinquerem, de iis solis agerem qui aut nondum correcti aut a me ipso in chrestomathia non satis expediti esse viderentur.

LIBER XVI.

Ad hunc librum a Silligio toti collati sunt Codd. a d, partim T et D. Inter quos prae reliquis eminet D² cui soli posthabendus est a. Codex archetypus pluribus mendis laborasse putandus est: nonnullas longiores brevioresque lacunas deprehendemus, verba vel etiam totos versus, qui XXVII litterarum fere numerum explebant, suo ordini restituemus, litteras aut male divisas aut corruptas emendabimus, interpunctionem interdum corrigemus, hic illic glossemata expungemus. §. 1—16. in chrestomathia p. 200 sqq. tractavimus.

255 **16 = 5,6.**

Theophrastum III. 8. 1. secutus glandiferarum arborum differentiam ita exponit:

distant fructu, situ, sexu, sapore; namque alia fageae glandi figura, quernae et alia ilignae.

Sic codd. a d; ante *quernae* v. *alia* ab editoribus inseritur, ab Iano melius legitur: *quernae alia et ilignae.*

Praeterea sunt aliquae silvestres, alîae placidiores, quae culta obtinent. Iam in montuosis planisque distant, sicut et sexu mares ac feminae, item sapore.

Interpunctionem male ab Iano ita mutatam esse ut post *placidiores* plene distingueret, verbis Theophrasti efficitur: *τὴν μὲν ἥμερον καλοῦσι τὴν δ' ἀγρίαν οὐ τῇ γλυκύτητι τοῦ καρποῦ διαιροῦντες. ἀλλὰ τῷ μᾶλλον ἐν τοῖς ἐργασίμοις φύεσθαι τὴν δὲ φηγὸν ... ἐν τοῖς ὀρεινοῖς.* Eadem genera *montuosorum planorumque* nominibus distinguuntur; itaque huius sensus subiecta sunt *mares ac feminae*, quae sicut sexu, ita etiam sapore distant. Feminarum enim fructum uberiorem et meliorem esse eodem loco Theophrastus tradiderat. Nulla igitur interpunctione legendum est: .. *distant sicut et sexu mares ac feminae item sapore.* Male deinde §. 17. futurum tempus *distinguemus* e codd. a d in praesens a Sill. I. mutatum est.

18=6,7. 256

Fagum muribus gratissimam. Est

cod. a, *gratissimum esse* d, unde Sill. veram, ut ait, scripturam composuit: ‚fagum muribus gratissimam esse,‘ unde accusativus cum infinitivo aptus sit, dicere omisit. Melius I. ‚fagum — gratissimum est,‘ vocabulum eo sensu novum effingere ausus. Manifesto prima proximae vocis littera ultima primae corrupta et huic adiectivi casus male accommodatus fuit. Scribendum est:

fagus muribus gratissima est.

Verbo moneo §. 20. *robori* cum cod. d non propter huius codicis auctoritatem, sed propter structurae congruentiam pro *roboris* scribendum esse.

257 22 et 23 = 6,8.

„ hemeris-brevior et in orbem comosa alasque ramorum crebro cavata

Theophrastus III. 8. 4. περίκομος γὰρ ἡ φυτεία καὶ ἐπεστραμμένη καὶ πολυμάσχαλος ὥστε ὀζώδη καὶ βραχεῖαν γίνεσθαι. Apparet igitur post ‚ramorum' interpungendum esse. Ἐπεστραμμένη = cavata.

(Latifolia) minus utilis aedificiis atque carboni; dolata vitiis obnoxia est, quam ob rem solida utuntur; *carbo in* aerariorum tantum officinis compendio, quoniam etc.

carboni a d., unde collato Theophrasti loco §. 7. efficimus: „ *utuntur*, *carbone* in *aer. t. officinis*, *compendio*, q. Quod enim Harduinum secuti S. I. receperunt, *carbo in* non habet quo referatur.

§. 28. vulgatam scripturam *quaedam* (S. I. e codd. a d *quae iam*) probo; ἔτι δὲ = habet Theophr. III. 7. 4.

258 28 = 7,10.

Fert et aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tamen tempore melliginis suci.

Theophr. III. 7. 4. ἐπίβαπτον χυλῷ μελιτηρῷ; deest apud Plinium *plenam*, — sicut §. 29. *gallae* et §. 46. *picea repullulat* recte a vv. dd. inseruntur.

259 43 = 10,19.

Quinto generi *et* situs idem, facies eadem; larix vocatur. Materies *praestantior longe incorrupta est usu*, *mori* contumax.

Locum a Sill. interpolatum partim emendavit Ianus qui e cod. a scriptura *incorrupte visu mori* optime elicuit in-

corrupta ei vis umore,‘ praeterea initio sensus coniecit *est*. Fugit tamen virum praestantissimum ablativus *materie* qui in cod. a reperitur. Itaque eius emendationem ita perficio:

larix vocatur, materie praestantior, longe (= diu) *incorruptae vis, umore contumax.*

Genetivum enim ‚incorruptae‘ habet D ‚incorrupte‘ d.

47 = 10,19. 260

ipsa materies (laricis) retorrida et nigrior maribus radix. Circa Idam in Troade et alia differentia montanae maritimaeque.

Larices mares radice nigriore a feminis distingui Theophrastus Plinii auctor nusquam tradidit, de materie ipsa i. e. de ligno locutus est quod a lignicidis nigrius deprehendatur. Itaque vox *radix* non est ferenda. Veram scripturam indicat genetivus *radicis* in cod. D, ipsam exhibet D[2] summus in his quidem libris auctor: *laricis*. Manifesto igitur scribendum est:

nigrior maribus. Laricis circa Idam.

τῆς δ' ἀγρίας (πεύκης) δύο γένη· καλοῦσι δὲ τὴν μὲν Ἰδαίαν τὴν δὲ παραλίαν. Ita Theophrastus III. 9. 1.

Sensit hoc quidem I. p. VI. ‚*laricis* D[2], quod cum sequentibus esset iungendum‘, deteriores tamen libros sequi maluit.

60 = 12,23. 261

Quidam arbitantrur (picem) in montuosis (laricibus) copia praestantiorem ac colore et dulciorem fieri, odorem quoque gratiorem, dum resina sit.

Theophrastus l. l. 2. πιττωδέστερον ὅλως τὸ δένδρον, μελαντέρᾳ δὲ πίττῃ καὶ γλυκυτέρᾳ καὶ λεπτοτέρᾳ καὶ εὐωδεστέρᾳ. Cui loco simulque concinnitati structurae consu-

letur, cum scribemus: *odore gratiorem*, quod exstat in cod. T. Codices a d pravam congruentiam casuum secuti sunt.

262 64 = 13,24.

Experti prodimus, si fronde ea gyroque cludatur ignis et serpens, in ignes potius quam in fraxinum fugere serpentem.

Copulam *et* delendam esse censuit S., delevit I., scilicet gyrum igneum intelligi rati. Tum vero altero loco non idem substantivum repeteretur. Hoc dicit Plinius: si ignis et serpens uno frondis gyro includuntur, serpens frondem tantopere formidat, ut in ignem se coniiciat. Itaque altera copula gyrum*que* e proxima syllaba orta deleatur oportet et *circum* in cod. a omissum e T d restituatur: *gyro circumclaudatur*.

68 = 16,27.

263 Nunc intra pugillares lectorumque silicios aut lamnas raro usu spectatur (molluscum).

Non possum non mirari nec S. neque I. in hoc loco haesisse: equidem me qui sint ‚lectorum silicii' ne divinare quidem fateor. Codex a[1] habet *siblicios aut*, quod litteris duabus additis in *sectiles tantum* mutandum et cum §. 229. ubi eaedem ‚sectiles lamnae' reperiuntur conferendum est.

264 70 = 16,28.

In primis vero materies honorata buxo est raro crispanti nec nisi radice; de cetero lenis quies est materia silenti et quadam duritia ac pallore commendabilis, in ipsa vero arbore topiario opere.

Descriptionem ineptam et fere ridiculam — quid enim est arboris quies et materiae silentium? — e loci sententia

facile corrigemus, cum male in codicibus coniuncta recte distinguemus paucasque litteras mutabimus. Opponuntur autem radix et arbor, deinde materia et arbor, et radici quidem *crispanti* vel potius *crispicanti (crispi.. canti* enim habet cod. a) arbor non *lenis* sed *levis*, arbori materia, quam sic describunt codices:

a quiest materia silenti et quadam duritie.
d quies materiae silentio quodam et duritie.

Iam vero *quiest* vel *quies* nihil aliud est quam *cuius*, *materiasi* vel *materiaesi* quam *materia est*, *lenti et* quam *lentitie*, quibus correctis hanc lectionem nanciscimur:

de cetero levi, cuius materia est lentitie quadam et duritie ac pallore commendabilis.

Ne proxima quidem verba persanata sunt: *oleastrum* enim buxum appellari nequit. Tria genera distinguuntur, Gallicum, nostrate, ut recte ante Sill. legebatur i. e. silvestre satu mitigatum et silvestre non mitigatum, quod Olympium a Theophrasto V. 7. 7. appellatur. Quae igitur in cod. a exstat lectio, *procerior est oleastrum in* ita erit refingenda:

proceriores, silvestre in.

71 = 16,28. 265

Buxus ... crassissima in Corsica, flore non spernendo, quae causa amaritudinis mellis; semen illius cunctis animantibus invisum.

Theophrastum hic quoque Plinius excerpsit ultimis verbis e III. 4. 6, prioribus e III. 15. 5. sumptis. Qui quum semen buxi non in Corsica sola sed ubique ab animalibus sperni narraverit, neque Corsici mellis amaritudinem a floris virtute, sed ab arboris crassitudine repetat, apparet unum versum XXVII litterarum in codice archetypo male collocatum et transponendum esse, ut legatur:

crassissima in Corsica, quae causa amaritudinis mellis; flore non spernendo semen illius rel.

§. 72. barbara vox *siccanas* in *siccaneas* mutetur oportet.

§. 75. causa non est cur a codd. scriptura passivi generis *comitantur* sc. magistratus recedamus, pro *fecerint* autem *fecerunt* scribendum.

266 82 = 22,34.

Verbo moneo pro *his quae iis quae* restituendum esse idque in plurimis locis valere. Neque enim apud Plinium plus quam apud Ciceronem ceterosque scriptores frequentissimo librorum manu scriptorum errori tribuendum est. Ceterum haec et similia velut quod § 84. a Sill. recte constituta ab I. e deterioribus libris rursus corrupta est, futurus editor respiciet, nos in posterum omittemus.

267 94 = 25,39.

pariunt vero cum florent flosque ille ruptis constat utriculis; sed educatio in pomo est.

Interpolatum locum S. I. dederunt; namque codices ita scriptum exhibent:

d: utriculis educatio.

Θ: utriculis edubitatio.

a: utriculi sed dubitatio scr. *utriculis sed dubitatio*, quod recipiendum esse Theophrasti verbis I. 11. 5. ἥκιστα δ' ἂν δόξειεν τὰ τῶν μήλων rel. comprobatur.

268 97 = 25,41.

per se autem tardius piri silvestres quam cetera (germinant).

E verbis Theophrasti III. 4. 2. ἀχρὰς δὲ μικρῷ ὕστερον τῆς ἀπίου (βλαστάνει) sua transtulit Plinius. Itaque scribendum est *ceterae* sc. piri.

101 = 25,41. 269

Sic fit ut prima cacumina impelli secutis appareat geniculato incremento. Tertia est earundem (germinatio) rel.

Participium perfecti cum praesentis infinitivo male coniungi Sill. animadvertit. Nam qui ab Iano laudatur locus XVII. 16. eo differt, quod ibi verbi *excurrere* perfectum participio perfecti praecedit. Hic vero ubi de tripartita arborum quarundam germinatione agitur, inter *primam* et *tertiam* germinationem media est secunda, itaque scribendum: *secundis.*

111 = 26,47. 270

Fit haec differentia et ex sexu, in iisque mares non ferunt;

Verba *in iisque* quippe quae quo referantur non habeant corrupta esse recte Sill. monuit idemque scriptura codicis a mendum orationis indicari intellexit. Quod facili mutatione tollitur. Scilicet haec habent libri:

d: *et ex sexu in iisque.*

D^1 *e* D^2: *et* (quomodo proxima vox scribatur, non constat).

a: *ex vicinis que.*

i. e. *et sexu in iis quae mares non ferunt*,

sc. in iis arboribus quae cum mares sint non ferunt, *ὅσα καλοῦσιν ἄρρενα τῶν ὁμογενῶν ἄκαρπα,* Theophrastus inquit III. 3. 7. — Paulo ante in *silva cende* quod cod. a habet (cod. d. *cende*) nomen proprium latere Ianus animadvertit, *Canderiam* fuisse putat, propius ad litterarum formam *Candaea* videtur accedere i. e. Martia, Candaeum enim Martem appellat Lycophro 528. 1410.

113 = 26,49. 271

ei (fico) *demum* serius folium nascitur quam pomum.

Scribe: *eidem; eidemque* iam in ed. Dalecampii. Ibidem §. 114 *in Ceo insula* e libris a d scribendum est, Cea enim non appellatur.

272 120 = 29.30,52.

Ferunt et abellanae iulos compactili callo ad nihil utiles; plurima vero buxus; nam et semen suum et granum quod crataegum vocant, et a septentrione viscum, a meridie hyphear, de quis plura mox paulo; interdumque pariter res quaternas habent.

Impeditissimum locum iamque in archetypo codice foedis mendis inquinatum violento eodemque certissimo remedio sanabimus. Leve est quod Graecum vocabulum *iulos* in *uvulas* mutandum esse censemus, *τὸ βοτρυῶδες* Theophrasti III. 5. 5, quem sane altero loco III. 7. 3. *ἴουλον* appellat: in iis quae sequuntur gravia vulnera primum erunt detegenda. Falsum enim est, buxum res illas quaternas habere, falsum crataegum granum buxi vocari, neque Plinio tales errores imputare licebit, cum ipse se mox i. e. §. 245. de visco et hypheare plura dicturum esse profiteatur, ibi autem de ilice, quercu, aliis arboribus plura, nihil de buxo narret. Quaerenda est igitur ea, de qua nunc loqui putandus sit, arbor. Quae demonstratur his verbis ex indice libri XVI. ‚In quibus plura rerum genera gignantur. Crataegum,‘ nominatur hic quoque verum non suo loco *crataegus* seu crataegon i. e. ilex aquifolia (XXVII. 63). Apparet igitur non buxum, sed crataegum describi. Relinquitur granum crataegi, cuius nomen e §. 32. repetendum erit: coccum vel Hispanorum ut videtur lingua cusculium ibi appellatur. Fatendum quidem est, ne sic quidem Plinii narrationem cum eo quem auctorem sequitur Theophrasto prorsus convenire; namque ille III. 15. 6. primum de cra-

taego egit, deinde cap. 16. ilici (*πρίνῳ*) quatuor illas res tribuit, verum utramque arborem ilicem aquifoliam et ilicem silvestrem a festinante scriptore facillime permutari potuisse, buxum et ilicem cum praesertim Theophrasti verba legeret, non potuisse confundi apparet. Restat ut originem vitii indagemus. Quae talis videtur fuisse: In archetypo codice cuius singulae lineae viginti quinenis vel septenis litteris constabant haec legebantur:

UTILES PLURIMA UERO CRATAEGON
NAM ET SEMEN SUUM ET GRANUM QUOD
BUXUM
KOKKON UOCANT — —

(nam de cusculio, quoniam Theophrastum Plinius interpretatur, non videtur cogitandum esse), cocci enim Graecum nomen antiquarius superscripto Latino vocabulo emendare conatus erat. Unde factum est ut in superiorem versum reciperetur, altera vox ad finem eiusdem retruderetur et ad verbum *vocant* referretur. — Itaque verbo *habent* in singularem numerum reducto totum locum ita scribendum esse censeo:

plurima vero crataegus; nam et semen suum et granum quod coccum vocant rel. — habet.

§. 122. vulgatam lectionem *aliis* praefero codicum scripturae *alias.*

125 = 30,54. 273

Ramosarum (arborum) cerasus etiam in XL cubitorum trabes aequali per totam duum cubitorum crassitudine reperitur.

Theophrastum interpretatus est Plinius. Qui quum III. 13. 1. *εἰς τέτταρας καὶ εἴκοσι πήχεις* cerasum excrescere dixerit, numerus *XXXX* in *XXIIII* corrigatur oportet. Item §. 133. e Theophrasti loco IV. 16. 2. pro *quindecim cubito-*

rum i. e. *XV cubitorum* scribendum est *X cubitorum*; §. 134 *debeamus* in indicativum mutandum.

274 135 = 32,59.

Fastidit balsamum alibi nasci ....., Assyria malus alibi ferre, nec non et palma ubique nasci aut nata parere.

Ita Sill. e codd. Gelenii, lacunam addito versu ,nisi in Iudaea, tura nisi in Arabia' explet. Harduinum secutus Ianus ,nasci, nata Assyria' scripsit, falso. Nam neque participio eiusdem verbi locus est nisi cum ad idem subiectum pertinet, ut in proximis verbis, neque ,alibi' per se positum intelligitur. Ego vero non possum non mirari librorum accuratius collatorum, qui facillimam emendationem paene perfectam exhibent, auctoritatem a vv. dd. temere spretam esse. Θ T d enim legunt: *nasci natura Syria malus*, a: *nasci natura nisi in Syria.* Hoc enim ipsum constans Plinii auctor Theophrastus IX. 6. 1. disertis verbis tradidit: *τὸ δὲ βάλσαμον*, inquit, *γίνεται μὲν ἐν τῷ αὐλῶνι τῷ περὶ Συρίαν. παραδείσους δ' εἶναί φασι δύο μόνους*; similiter IX. 1. 7. *τὸ ἐν Συρίᾳ βάλσαμον.* Nam quod Plinius XII. 111. duos illos hortos *uni terrarum Iudaeae* concessit, factum quidem est post Vespasiani triumphum sed alteri loco minime refragatur, cum *τῷ αὐλῶνι* Theophrasti ea pars Syriae indicetur, quam Plinius illo loco Iudaeae nomine distinxit.

Quod autem in codice a semel *in Syria* scriptum est, inde iteratis litteris *asyria* haud dubii legimus:

Fastidit balsamum alibi nasci natura nisi in Syria, *Assyria malus* etc.

Arabiam cum codd. neque *Arabia* recte Ianus scripsit, in quam coniecturam ego quoque incideram. Idem §. 137. e cod. a Ianus recte legit *improviso.*

139 et 40 = 33,60. 275

(Cupressus) femina sterilis diu. Metae demum adspectu non repudiata distinguendis tantum pinorum ordinibus, nunc vero tonsilis facta etc.

Sterilem cupressum etiam Theophrastus appellavit II. 2. 2 ,caus. plant. I. 2. 2', diu sterilem quae semper esset ne Plinius quidem appellare potuit. Immo hoc dicit, antea rustico tantum usui destinatam (cf. Varro r. rust. I. 15. 26) nunc etiam parietum elegantiae servire coepisse, quod quo accuratius demonstraret, contrarias posuit voces *diu-nunc, metae adspectu — tonsilis facta*. Interpungendum est igitur:

femina sterilis. Diu metae demum (i. e. tantum) etc.

Ceterum verissime Pintianus pro corrupta voce *pinorum* restituerat *vinearum*, cf. Varro l. l., Plin. XVII. 151, ubi in vinearum descriptione haec ipsa verba respiciuntur. — §. 141. recte Sill. I. *plantaria* legunt. Ibidem vulgatam lectionem *in Aenaria* a Sill. I. retineri est quod mireris, cum veram *in Tarra* Bentleius opusec. p. 476. quem locum Sill. ipse laudavit, e Theophrasti hist. plant. II. 2. 2. restituisset. Nam hunc locum a Plinio translatum esse verbis ἀπὸ τῆς τομῆς βλαστάνει et ,succisa regerminat' inter se comparatis efficitur. Scilicet in codice a qui archetypi vitium in reliquis interpolatum servavit, *marenaria* scribitur, quae dittographia nominis corrupti (*in are in aria*) videtur esse.

142 = 33,60. 276

Sed in Creta — vi naturali haec gignitur.

Sic e libro Dalecampii manu scripto Sill. I. scripserunt. Gronovius e codicum suorum vestigiis *nisi in naturali* elicuit ,*quasi vi naturali*,' ad sensum recte, sed molesta voce admissa. E nostris libris d interpolatam lectio-

nem *ni seratur alia* exhibet, qua ad infelicem coniecturam ‚ni insinuatur alia' Sill. se abripi passus est. Hic quoque librum a adhibitis Gronovianis sequemur, e cuius scriptura *nisi naturalia* sponte emicat

nisu (i. e. partu) *naturali.*

Mendosa etiam extrema eiusdem paragraphi verba sunt:

alibi non nisi in tepore proveniens et nutricem magno opere fastidiens.

Pro nutrice enim cupressi quae qualis sit, ne divinando quidem assequor, vox sententia flagitatur tepori contraria, cui quum in vetusto exemplari duo versus hoc modo se exciperent

nutricem magno opere fastidiens
nec terrae tantum natura circa

primae inferioris vocabuli litterae ‚nect' male assutae pravam correctionem procrearunt. Quibus demptis relinquitur ‚ricem' i. e. *nivem.*

277 143 = 33,61 et 144 = 34,62.

Aquae plerumque semina afferunt et certe fluunt genere aliquando etiam incognito, quod accidit Cyrenaicae regioni, cum primum ibi laserpicium natum est, ut in herbarum natura dicemus. Nata est et silva urbi ei proxima imbre piceo crassoque circiter urbis Romae annum CCCCXXX. Hedera iam dicitur in Asia nasci; negaverat Theophrastus rel.

Leve est mendum in initio huius loci *et certe,* quae vocabula plane otiosa et molesta facili transpositione corriguntur *terrae et,* gravius in proximis verbis eoque minus etiam ferendum, quod Plinius ipse eo loco quem nunc demonstrat XIX. 41. imbrem illum septem annis ante oppidum

Cyrenarum ,quod conditum est urbis nostrae anno CXLIII.' cecidisse refert. Neque eo remedio satis illo quidem violento quo Dalecampius numerum ,CXXXVI' ei qui in libris MSS. reperitur substituit locum nostrum sanari arbitror. Tum enim non ,circiter annum CXXXVI' sed ipso illo anno silva nata esse narraretur. Accedit, ut proxima particula *iam* necessario diversi temporis notationem flagitet. Iam vero Theophrastus ,circa urbis Romae annum CCCCXL' scripsisse XIII. 101 traditur. Quid igitur facilius est quam numero leniter emendato versum XXVII litterarum ita transponere ut legatur:

— *crassoque. Hedera iam dicitur in Asia nasci; circiter urbis Romae annum CCCCXXXX. negaverat Theophrastus.*

146 = 34,62. 278

Fructum quoque candidum ferentium aliis densus acinus et grandior, racemis in orbem circumactis qui vocantur corymbi, item selenitium cuius est minor acinus, sparsior racemus; simili modo in nigra. Alicui et semen nigrum, alii crocatum etc.

Vulgatam hanc hederae descriptionem vitiosam esse e librorum MSS. varietate qui ad unum omnes *sileniricum est* habent, Sill. intellexit, idem coniecturam satis infelicem proposuit *Silenicum, cui*, in qua neutrum genus mihi quidem intolerabile videtur. Ianus scripsit *Silenicis, est*, in annotatione p. VII. *Silenici*, in praef. vol. VI. *Silenici, cui est.* Variari orationem apparet, cum *aliis* per attractionem proximi vocabuli nominativus respondeat. Scribendum est enim *item Silenici* (sc. corymbo), *cum est* rel. Cf. Theophrast. III. 18. 6. Candidae hederae generibus absolutis ad alterum genus transitio a vocibus ,simili modo' incipit, quocirca plenius post ,racemus' distinguendum et sic procedendum est:

racemus. Simili modo in nigra alicui est semen nigrum rel.

Ceterum paene oblitus eram monere in initio huius sectionis *haec* sc. genera quod exstat in libris MSS., ab editoribus temere spretum esse.

279 152 = 34,62.

Est et in fructu differentia albae nigraeque hederae, quoniam aliis tanta amaritudo acini ut aves non attingant.

Male Ianus cum codicibus particulam *et* omisit. Nam apud Theophrastum III. 18. 10 legitur *ἔχει δὲ καὶ ἑτέραν διαφορὰν κατὰ τὸν καρπὸν οὐ μικράν.* Necessario autem *aliis* quod non habet quo referatur corrigendum est. Neque *illis* quod Schneiderus ad l. l. proposuit probari proximis Theophrasti verbis demonstratur: *ὁ μὲν γὰρ ἐπίγλυκύς ἐστιν ὁ δὲ σφόδρα πικρὸς καὶ τοῦ λευκοῦ καὶ τοῦ μέλανος.* Vera lectio est *aliquis* dativo casu.

280 159 = 36,65.

Calamis orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis, fitque et ex ipso telum aliud fracto in vulneribus.

Perturbatam esse orationem eo liquido demonstratur, quod vox *ipso* neque ad pinnam neque ad calamos, sed ad hamum pertinet, a quo sensu alieno separatur: viam qua ad medendum aggrediamur vocabulo ,calamis' ter repetito indicari arbitror, quod librarius dum errorem corrigit novo errore et suo et alieno loco inseruisse putandus est. Quo bis tantum scripto versuque XXVII litterarum, qui legitimus fere archetypi codicis numerus fuit, transposito vera lectio talis emergit:

Calamis orientis populi bella conficiunt, mortem accelerant pinna addita; calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia fitque et ex ipso telum aliud fracto in vulneribus.

Eundem fere numerum §. 161 vitium omnium praeter egregium D[2] codicum indicat, cum e vocabulo *praecipuus* post XXVIII litteras (*usus* enim, non *visus* lego) sanum verbum *nobilitavit* in *praecipitavit* corruperint.

167 = 36, 66.

Est et obliqua harundo — — suavissima in teneritate animalibus; vocatur a quibusdam elegia. 281

Verbo moneo praepositionem *in* delendam, harundini e Theophrasti loco IV. 11. 13 (*εἰλετιάς* sc. *κάλαμος*) suum nomen *iletia* reddendum esse.

Est et in Italia nascens adarca nomine, palustris, 282
ex cortice tantum sub ipsa coma.

Primum e Dioscoride V. 136 scribatur oportet *in Galatia*, deinde e Plinii ipsius eo loco quo nostrum laudat, XX. 241 *nascens* post *coma* collocandum, denique *palustris* sc. harundinis deleta interpunctione cum proximis vocibus *ex cortice* coniungendum est.

168 = 36, 66. sqq.

plotian vero subtiliorem (harundinem vocabant). 283

Ne hanc quidem vocem correxerunt editores, cum et apud Theophrastum IV. 11. 3 *πλόκιμον* et in codd. a Θ *plociqn* reperissent. Quo minus miror graviora menda nondum esse sublata, etsi corruptum mancumque esse locum et Sill. et Ianus animadverterunt. Sic enim lacus Orchomenii harundineta describere pergit Plinius:

tertia est harundo tibialis calami, quem auleticon dicebant; nono hic anno nascebatur. Nam et lacus incrementa hoc temporis spatio servabat, prodi-

giosus si quando amplitudinem biennio extendisset, quod notatum apud Chaeroniam infausto Atheniensium et saepe; Lebaida vocatur influente Cephiso.

Inde a §. 168 ad Orchomeniam harundinem quam iam §. 162 commemorarat Theophrastique descriptionem ita redit, ut simul eum qui sua aetate invaluerat usum attingat. Hinc temporum varietas §. 169 et 171, ubi a praesenti tempore ad imperfectum deflectit, non est sollicitanda, condonanda quoque auctoris festinationi ea orationis obscuritas qua §. 168 et 69 *nono anno* et *hoc temporis spatio* ennaeteridem esse voluit, qua exacta tibiae in usum ludorum colligebantur; quae vero in ipsis Plinii verbis aperte repugnantia et incongrua reperiuntur, non auctori sed librariis tribuenda sunt. Quo maxime pertinet rerum in fine sensus diversarum coniunctio. Quod enim *prodigii* instar habebatur id *saepe* accidere non poterat. Itaque hunc locum corruptum esse apparet et in vocibus *et saepe* mali sedem quaerendam. Hoc senserunt quidem inde a Salmasio viri docti, verum aut quid in illis verbis lateret, se non perspicere confessi sunt, ut prudenter fecit Sill., aut totum locum nescio quot nomina propria inserendo interpolarunt. Nonne enim interpolavit Ianus, cum dubitationem qua *et saepe* in *et peste* mutari posse aiebat, statim abicit Pliniumque sic fere scripsisse videri pronuntiat: ‚Lebadia unde profluit Probatia fluvius profert eam, sed laudatissimam inundatus campus qui Boedria vocatur influente Cephiso.' Idem vero praeclare addidit: ‚nisi forte commemoravit etiam Cephisi deverticulum quod vocabatur Ὀξεῖα καμπή.

Scilicet ut brevi absolvam talis in archetypo locus legebatur litteris tum evanidis tum prorsus deletis:

PRAELIO ET . . AE . . . . A. PE . . .
PELEBAIDA UOCATUR INFLUENTE.

Vocabulum *praelio* unus D² servavit, reliqua in membranis in v. *saepe* contracta certissima emendatione e Theophrasto supplentur:

praelio et quae oxeia campe prope Lebadiam vocatur influente Cephiso.

169. 170. = 36,65.

Ne ea quidem quae proxime sequuntur, recte vulgo 284
sic eduntur:

Cum igitur anno permansit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem; vocabantur zeugitae. Contra bombyciae, maturius reciproco, graciles, feminarum latiore folio atque candidiore, modica lanugine aut omnino nulla spadonum nomine insignibus.

Plinius enim cum praeter verba ‚proficiunt — amplitudinem' importune ita illata ut ad tempus perfectum referantur, Theophrastum accurate expresserit, ex huius verbis IV. 11. 3 *καὶ γίνεσθαι τὸν μὲν ἁδρυνθέντα ζευγίτην, ᾧ δ'ἂν μὴ συμπαραμείνῃ τὸ ὕδωρ βομβυκίαν* colligitur utrumque substantivum cum verbo coniungendum, itaque scribendum esse:

vocabantur zeugitae, contra bombyciae maturius reciproco sc. lacu.

Quae genera a Theophrasto cum feminis comparantur *ὅλως δὲ θῆλυν τῇ προσόψει*; itaque addito quod interciderat vocabulo appellantur

graciles feminarum modo, latiore folio atque candidiore, modica lanugine,

qua ab iis distinguuntur, quos Theophrastus tradiderat *τινὰς δὲ ὅλως οὐκ ἔχειν οὓς καὶ προσαγορεύουσιν εὐνουχίας*, itaque post v. *lanugine* interpungendum et *aut* in *at* mutandum erit. Sic demum perfecta est loci emendatio.

285 173. 74=37, 67. 68.

Immerito e codicum mendis *salicis* vel *silicis* pluralem *salices* extudit Sill., quem I. sequitur, cum singularis *salicem* et Catonis loco r. rust. 6 qui a Plinio laudatur et relativo *qua* commendetur; similiter §. 174 vulgatam lectionem *aliae* ei quam e codicibus S. I. receperunt praefero. At recte Sill. intellexit, quod vulgo editur,

licet alni — in tutelam furis excubent in aqua satae caesaeque densius innumero herede prosint

ferri non posse, quoniam *densius* cum participio *satae* nullo modo coniungi possit. Legendum est

satae densius caesaeque rel.

§. 174.

Salicis statim plura genera — candidiores ablato cortice levique tractatu mollioribus vasis, quam ut e corio fiant, atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimae.

Statim mutandum est in *autem*; proxima verba codices scribunt *que* (T d *que) ut ne corio fiant eodem*, unde Ianus effecit *quae ut nec corio fiant eodem* sc. tractatu, quae quomodo explicanda sint nescio: *sine* iam Salmasius invenit, *eodem* post *atque* collocandum est legendumque ‚*quae sine corio fiant*‘, sc. iis vasis quae cum sint molliora cortice carere debeant, *atque eodem etiam* sc. levi tractatu.

286 178 = 37, 70.

Nec in . . . . alio ullo quam suo genere numerentur iure scirpi fragiles palustresque, ad tegulum tegetesque, e quibus detracto cortice candelae luminibus et funeribus serviunt.

Scirpis levi mendo a d. Iidem non *ad* sed *et tegulum* scribunt quod ab Iano receptum nec tamen explicatum est. Sill.

transponendi periculum fecit laudabili consilio, exitu improspero. Dum enim voces ‚e quibus detracto cortice' proximis ‚et tegulum tegetesque' praemittit, contortula interpretatione tegulum plantam esse vult, quae proprie tegulo et tegetibus sit destinata. At vero vox ‚tegulum' inaudita alias si modo aliquid significat, tegumen tecti vel tegulam significare putanda est: Plinius autem de tectis h. l. propterea non agit, quoniam statim mapalia Maurorum commemorat et quoniam firmiore materia quam fragilibus scirpis ad illa tegenda opus esse ipse affirmat. Itaque litteris ‚et tegulum' simile aliquod tegetum vocabulum contineatur necesse est. Quod quale fuerit e papyri quam dicit similitudine facile colligemus. Nam quum XIII. 72 tegetes et vestem stragulam e papyro texi narraverit, hic quoque stragulam nominasse putandus est. *Et tegulum* igitur omnino mutandum censeo in *stragulum.* Huic quasi fundamento innitor, cum et cum Silligio relativum *e quibus* transponendum et post verbum ‚tegetesque' supplendum esse contendo *texuntur*, quod cum in codice archetypo non reperiret, librarius qui nostrorum librorum auctor fuit relativum suo loco movit. Scribendum est igitur:

palustresque, e quibus stragulum tegetesque texuntur detracto cortice rel.

194 = 39, 75. 287

Tiberius idem et in capillo tondendo servavit interlunia;

Plinius Tiberii quidem §. 190 mentionem fecerat, sed deinde Duellium, Scipionem, Catonem commemoravit. H. l. igitur non *idem*, sed *item* legendum erit.

195 = 39, 71, 288

Communia his (larici et abieti) pinoque ut qua-

dripertitos venarum cursus bifidosque habeant vel omnino simplices.

Theophrast. V. 1. 9: ἔστι γὰρ ἣ μὲν τετράξοος ἣ δὲ δίξοος, quocum consentit codd. T d lectio *bifidosve*, haud dubie recipienda.

289 197 = 39, 76. 204. 205 = 40, 76.

Utriusque loci interpunctio emendetur oportet. Et in altero quidem, in quo montes Iura et Vosegus a *Gallia* male vulgo distinguebantur, coniungendae sunt voces in *Gallia Iuribus ac monte Vosego* (de plurali enim numero *Iures* I. p. 37 non satis circumspecte dubitaveram, quae IV. 15 etiam codicis A auctoritate, III. 31 et h. l. reliquorum codicum consensu defenditur); in altero Theophrasti *locus* unde Plinius sua sumpsit V. 3. 1 ad restituendam codicum lectionem recte adhiberi videtur. Quae enim apud Plinium leguntur:

290 Celebratur et Thericles nomine calices ex terebintho solitus facere torno: perquam probatur materies

(ita enim codd., non *torno per quem* quod e vulgata lectione S. servavit) cum Theophrasto, qui cum ait τορνεύεσθαι δὲ ἐξ αὐτῶν καὶ κύλικας θηρικλείους, ὥστε μηδένα ἂν διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας, ipsam materiem, non artificem laudat, tam egregie conspirant, ut nihil omnino offensionis remaneat neque Iano assentiendum esse videatur, qui ea quae Plinius ut v. τορνεύεσθαι interpretaretur coniunxit post v. ‚*facere*‘ interpungendo divellit. Contra idem scriptor V. 2. 1 τὴν αἰνιανικὴν abietem cum commemoret, recte a Barbaro §. 197 *Aenianica* non *Aeneatica* scriptum esse efficitur, item loco V. 3. 1 certissimam Salmasii emendationem §. 204 *spississima lotos* (*scissima lotos* a) immerito

a S. I. vulgato *siccissima* posthabitam esse. Nam πυκνότατα μὲν οὖν, Theophrastus inquit, δοκεῖ καὶ βαρύτατα πύξος εἶναι καὶ ἔβενος . . . τῶν δ' ἄλλων ὁ λωτός.

209 = 40, 77. 291

— in quo sunt genere fici, salix, rel.

Non συκῆν, sed συκάμινον nominaverat Theophrastus V. 3. 4 i. e. ficum Aegyptiam, cuius materies utilissimis annumeratur a Plinio XIII. 57. In codice archetypo paucae tantum litterae eaeque corruptae reperiebantur *ut haec*, in cod. a egregia fide descriptae, in cod. d, qui *frutex* habet, ingeniose interpolatae. Quibus litteris *ut haec* addita quae perierat syllaba *aeg* ipsum illud quod sententia poscitur emergit *Aegyptiae*.

216 = 40, 79. 292

Nonne simulacrum Veiovis in arce e cupresso durat a condita urbe DCLXI. anno dicatum?

Corruptum numerum appellat Preller. mythol. Rom. p. 136, sc. vulgatum illum quem e codicibus corrigere Sill. Ian. neglexerunt, correctum exhibuit Iahnius in comment. Saxonicis 1847. p. 422. DLXI legitur in T d, levi errore DLI in D, DCLXI in cod. a i. e. falsa nota C expuncta. Annus autem *DLXI.* e fastis Capitolinis idem est qui e Varronis aera fuit DLXII, quo anno dedicatas fuisse aedes duas Iovis in Capitolio, Diiovis et Veiovis haud dubie, Livius retulit XXXV. 41. *urbe* omittunt a d, quod idcirco moneo, ne temere archetypum lacunosum appellasse videar.

220 = 41, 80. 293

Quartum est et e vermiculorum genere, et eorum alii putrescente suco ipsa materie, alii pariuntur sicut in arboribus ex eo qui cerastes vocatur.

De generibus animalium arbores infestantium loquitur, e quibus postquam teredines (*grandissimo* pro *gravissimo* capite recte Dalecampius e Theophr. V. 4. 4 restituit) tineas, thripas commemoravit, quartum describit: *est et e* cod. d habet per dittographiam, *a et a*, unde efficitur *est e*, deinde verbum *pariuntur* ad priorem vocem *alii* ex alterius vicinitate retrahendum est.

294 221 = 41, 80.

Alexandri magni comites prodiderunt in Tylo rubri maris insula arbores esse, ex quibus naves fierent quas CC annis durantes inventas et si mergerentur incorruptas; in eadem esse fruticem rel.

Theophrastus V. 4. 7: *ἐν Τύλῳ . . . εἶναί τί φασι ξύλον ἐξ οὗ τὰ πλοῖα ναυπηγοῦνται· τοῦτο δὲ ἐν μὲν τῇ θαλάττῃ σχεδὸν ἄσηπτον εἶναι· διαμένει γὰρ ἔτη πλείω ἢ διακόσια καταβυθιζόμενον.* Apparet non naves sed arbores incorruptas esse, itaque sic interpungatur oportet: *arbores esse ex quibus naves fierent, quas* rel. De ellipsi verbi cf. Grasberger de usu Pliniano p. 12. — §. 222 subiunctivum *rumpantur* S. I. superstitiosius quam religiosius e codicibus receperunt. Falsum esse et proximis indicativis et Theophrasti loco V. 6. 1 comprobatur, cuius verba *ἀντωθοῦσι, ῥήγνυνται, σήπονται* Plinianis *renituntur, rumpuntur, carie deficiunt* accurate respondent. Ceterum errorem archetypi repetivit a, interpolando correxerunt T d qui *ne — rumpantur* exhibent.

295 226 = 43, 83.

Magna autem et glutini ratio — Stamineam in hoc usu probant venam et vocant feruleam argumento similitudinis, quoniam lacunosa et crispa. In omni genere glutinum abdicant quaedam et

inter se et cum aliis insociabilia glutino, sicut robur, nec fere cohaerent nisi similia natura, ut si quis lapidem lignumque coniungit.

Vexatissimum locum Ianus partim interpunctione mutata correxit, nam rectissime a v. *quaedam* novum sensum instituit, partim corruptum reliquit. Primum enim causa non est, cur codicum MSS. lectio *glutinatio* deseratur, deinde in fine pro *nisi similia* scribendum est *dissimilia* ut concinnitati structurae consulatur simulque Theophrasti V. 7. 2 verba *δεῖ δὲ ὁμοιοπαθῆ εἶναι τὰ μέλλοντα συμφύεσθαι καὶ μὴ ἐναντία καθαπερανεὶ λίθον καὶ ξύλον* accuratius exprimantur. Ne sic quidem persanatus est locus. Nam voces *et crispa* quas Ianus ita divulsit ut pro *et* scriberet *est*, *crispa* autem ad alterum sensum referret, pariter ac *lacunosa stamineae* venae opponuntur. Itaque scribendum erit: *quoniam lacunosa et crispa in omni genere glutinum abdicant. Quaedam* rel.

§. 228 vulgatam lectionem *flexibilis* probo, proximas codicum litteras *vita* Sill. probabili coniectura in *cui* mutavit, nisi forte e praecedentium repetitione ortae sunt. §. 231 *secentur* malim.

233 = 43, 84. 296

Modo luxuria non fuerat contenta ligno; iam lignum emi testudine facit.

Ita e codice a Sill., *enim e* Ian. e codd. T d Harduinum secutus, cui tamen ipsa ea lectio displicuit, ut *etiam* coniceret. At vero aut nulla aut adversativa particula requiritur quae magnam morum commutationem factam esse declaret. Praeterea cum modo Plinius narraverit, Neronis aetate testudinem quae lignum imitaretur *pluris venire*, aegre voce contraria *emi* caremus. Neque tamen testudine sed *in testudine* lignum emebatur, quae praepositio ultima verbi littera absorpta est.

297 238 = 44, 88.

Sunt auctores et Delphicam platanum Agamemnonis manu satam et alteram in Caphyis Arcadiae luco.

Non lucus sed oppidum fuerunt Caphyae, scribendum est igitur: *loco*, cf. Theophr. IV. 13. 2.

298 239 = 44, 89.

Argis olea etiamnunc durare dicitur, ad quam Io in taurum mutatam Argus alligaverit.

Sic Ianus e codicibus, melius utique quam Sill. qui e vulgata lectione *vaccam* retinuit, callide tamen *bovem* a Plinio scriptum esse coniecit. Quod autem Ianus non sexum sed cornua respici ait, ferrem fortasse, si *bovem* legerem, *taurum* feminam dici non fero. Pro *taurum* scribendum est *tauram*, cuius ipsa sterilitas, nam mihi quoque argutari licebit, Iunoni placebat. In eodem loco tumulus Amyci *a supremo die* i. e. statim post eius mortem lauro tegi dicitur, quibus verbis nescio quid vitii inesse O. Iahnius in libro quo de cista Ficoronia egit p. 4 sibi et Silligio persuasit.

299 241 = 44, 90.

Brevissima vita est — — malis et ex his praecocibus brevior quam serotinis, dulcibus quam acutis — — item in vitibus praecipueque fertilioribus.

Acutis mendosum esse e Theophrasti IV. 13. 2 verbis *ἡ γλυκεῖα τῆς ὀξείας* recte collegit Pintianus; quod autem eidem substituit *acidis*, usui Plinii repugnat. Nam dulcia mala contraria sunt *acerbis*, cf. XV. 52, XXIII. 100, 104, 108, quod hic quoque reponendum est. In archetypo una syllaba omissa ACUIS videtur scriptum fuisse, male deinceps

in ACUTIS pro ACERUIS suppletum. Eodem loco Theophrasti levius in proximis verbis mendum demonstratur. Quod enim ille tradiderat *βραχύβια δὲ καὶ ἀμπέλων ἔνια γένη καὶ μάλιστα τὰ πολύκαρπα*, id Plinius dativo expressit a vv. ‚brevissima vita est‘ apto. Delenda igitur est praepositio *in*, e proxima littera *m* repetita.

245 = 44, 93. 300

in abiete, larice stelin dicit Euboea nasci — — Copiosissimum in quercu adasphear vocant.

ἐν ταῖς ἐλάταις καὶ πεύκαις Theophrast. caus. pl. II. 17. 1, unde apud Plinium copula *et* e fine vocis praecedentis videtur repetenda esse; v. *adasphear* eodem loco et altero hist. plant. III. 16. 1 comparatis in *Arcades hyphear* corrigitur, restitutis quae in codice archetypo exciderant litteris *arc*. Ceterum recte Harduinus v. *piro* e cod. a scriptura *primo* vulgatae *pruno*, quae a Sill. et Ian. etiamnum servatur, substituit. Sic enim loquitur Dioscorides III. 93: *γίνεται δὲ καὶ ἐκ μηλέας καὶ ἀπίου* rel. Finem libri proximique initium in chrestomathia tractavi.

LIB. XVIII.

3 = 1, 1. 301

Nobilissimarum gentium ambo, Crassus atque Domitius, censuram post consulatus simul gessere.

De Crassi et Domitio iurgio se narraturum esse Plinius iam §. 1 professus erat. Dum autem domus quam in Palatio Crassus possidebat, mentionem facit, obiter pulchriores Catuli Aquiliique domus fuisse tradidit, ad Crassum his verbis rediit: ‚cum tamen obiecta Crasso sua est.‘ Quinam igitur ‚ambo‘ illi essent, minime fieri poterat ut quemquam legentium lateret. Aliter tamen is iudicavit qui me-

moriae legentium succurrendum esse putavit, doctus librarius. Cuius glossema in verbo *est* manifesto deprehenditur, quod in cod. D. ante *atque* inseritur.

302 14 = 2, 2.

quando nix aquarum caelestium spuma est.

Vulgatam hanc lectionem a Sill. Ian. recipi potuisse est quod mireris, quum cod. a eam quae sententia flagitatur, *pruina* exhibeat. Nix est enim ‚acri concreta pruina' secundum Lucretium III. 20 atque ipsa pruina a Vergilio Georg. III. 364 appellatur. Eo tantum a pruina differt, quod non rore gelido sed imbre gignitur, optime igitur imbrium pruina i. e. imber conglaciatus vocatur, quae autem spuma imbrium dicitur ea minus etiam quam ipsi imbres conglaciat. At contra §. 18 iniuria iidem viri docti vulgatam *fruuntur aquis* neglexerunt atque e levi codicum corruptela (*fruitura quas* a, *fruitur aquis* d) novam lectionem *fruitura aquis* extuderunt, quae cum verbis praecedentibus minime conciliatur. Neutra enim illa ‚mediterranea, montuosa' sunt πνεύματα (cf. Theophr. caus. pl. II. 3), novum autem subiectum *sata* verbum finitum requirit, ut ab illis nominibus eiusdem generis distinguatur.

303 20 = 2, 2.

In Africa meridiem vineas spectare et viti inutile, colono insalubre est.

Recte quidem lacunae signa, quae ante v. *viti* Silligius apposuit, ab Iano sublata sunt, verum quid vox *et* ab Harduino deleta h. l. sibi velit, non est exploratum. Scilicet hoc loco *et* in *est* mutandum, altero omittendum *est*; omittit enim cod. Θ neque facilius quidquam fieri potuit, quam ut, cum semel altera vox corrupta esset, altera insereretur.

31 = 4, 3. 304

Contra §. 30 lacunam a Pintiano rectissime statui Theophrasti loco caus. plant. V. 14. 3 evincitur. Qui cum vites prope Larisam iam frigore aduri, Aenum autem calidiorem factam esse narraverit, apparet verba recte a Pintiano distingui. Totum igitur locum ita constituendum esse arbitror: *In Thessalia circa Larisam emisso lacu frigidior facta ea regio est oleaeque desierunt quae prius fuerant, item vites aduri, quod non antea,* ***coeperunt, contra calorem augeri*** *Aenos sensit admoto Hebro* rel. Scilicet unus versus in archetypo exciderat.

Facilius proximus locus emendatur: 305

At in Syracusano agro advena cultor elapidato solo perdidit fruges luto, donec regessit lapides.

Pintianus hic quoque vitium detexit, medendo impar. ἐξεπήγνυντο γοῦν ὁ σῖτος ait Theophrastus Plinii auctor caus. plant. III. 20. 5. Itaque non delendum est vocabulum *luto* cum Pintiano, sed corrigendum. In archetypo una syllaba tantum legebatur *lu*, male a librario e proximo vocabulo in *luto* mutata. Scribendum est *gelu*, *donec* rel. §. 32 pro *dicimus* codd. T d habent *dicemus*, quod sententia requiritur.

41 = 5, 3. 306

Contra in Byzacio Africae illum centena quinquagena fruge fertilem campum nullis, cum siccus est, arabilem tauris post imbres vili asello et a parte altera iugi anu vomerem trahente vidimus scindi.

Vulgatam scripturam omnibus codicibus refragantibus Silligius retinuit, Ianus eatenus mutavit ut *iniugi* scriberet;

nempe ,iniugem anum' vaccam esse statuit, qua sane coniectura nullam omnino novi infeliciorem. Neque enim vox ,iniugis' usquam apud Plinium reperitur, neque ,anus' vacca appellatur, neque iniugis vacca in iugo esse potest. Codices summa concordia habent *iungi anum vomerem trahentem.* At ,per eandem, Sill. inquit, codicum lectionem cardo rei, ,asello et anu campum scindi, prorsus tollitur; nimium tum ,tribuitur asello, et iuncta anus vomerem trahens fere su- ,pervacua videtur.' Audirem, si anus cum asello aratrum trahere diceretur. Scilicet obliti erant viri docti etiam bubulco ad arandum opus esse. Hoc enim dicit Plinius: quae alibi duorum bovum partes sunt, iis in Africa unus asellus defungitur, anus autem ,vilissima opera' (XIII. 132) ei labori par est qui alibi a bubulco suscipitur (cf. Columella II. 2). Quae ratio apertissima propterea viros doctos fugit, quod non animadverterant unum versum XXVII litterarum librarii negligentia loco motum et tum pravae congruentiae causa ablativum *trahente* in accusativum esse mutatum. Quibus correctis haec Plinium scripsisse contendo:

— *post imbres vili asello vomerem trahente vidimus scindi et a parte altera iungi anum.*

307 42 = 6, 4.

Alia est ratio quam Britanniae et Galliae invenere alendi eam ipsa, genusque quod vocant margam. Spissior etc.

Recte sic Ianus, nisi quod verbum post copulam desideratur. Quod cum e lectione codd. D a *ipsac* facile eruatur, deleta copula *que* quae e relativo originem duxerat legendum est:

ipsa. Est genus quod vocant margam: spissior rel.

44 = 7,4. 308

(Marga) Fruges alit tofacea, albaque, si inter fontes reperta, est ad infinitum fertilis, verum aspera tractatu, si nimia iniecta est, exurit solum.

Talem Sill. e codicum vestigiis locum emendavit, male tamen distinxit, haud dubie sic interpungendum:

Fr. a. tofacea albaque, si int. f. reperta est, ad infinitum fertilis verum aspera tractatu; si nimia rel.

§. 46 fortasse rectius *glaesomargam* scribitur, a glaeso scilicet appellatam.

48 = 8,4. 309

Omnis autem marga arato inicienda est ut medicamentum rapiatur, et fimi desiderat aliquantulum quae primo plus aspera et quae in herbas non effunditur.

Sic Sill. cum edd. vet. Ian. *quaeque primo*, rel. Quid ‚*primo*' significet, neuter explicuit: annum esse proximis verbis ‚ne sic quidem primo anno fertilis' indicatur. Codd. a d habent *quantulum quae;* scribe:

aliquantulum anno quaeque primo, *plus* rel.

49 = 9,5. 310

Transpadanis cineris usus adeo placet ut anteponant fimo iumentorum, quod quia levissimum est, ob id exurunt; rel.

Ian. *exarant* scripsit (codd. a d *exurant*) coll. §. 127. At ibi radices exarantur, nostro loco nescio quid exarari possit, fimo autem exusto cinerem relinqui scio. Cod. a, quem prae reliquis in hoc quidem libro sequi par est, voce *quia* omissa *iumentorumque* scribit, quo facto rectissime iumentorum fimum utpote levissimum a reliquis duobus ster-

coris generibus quae Columella II. 15 et Plinius infra 50 sq. enumerat, ab iis scilicet quae ex avibus et ex hominibus confiunt distinguitur. Scribendum est igitur:

— *fimo, iumentorumque (sc. fimum) quod levissimum est ob id exurunt.*

Ibidem.

311 Sunt qui pulvere quoque uvas ali iudicent pubescentesque pulverent et vitium arborumque radicibus adspergant. Quod certum est Narbonensi provinciae et vindemias certius sic coqui, plusque pulvis ibi quam sol confert.

‚*certius*' quod e vicino vocabulo ‚*certum*' intrusum videtur Schneiderus ad Columellam IV. 28 in *citius* correxit; e *sicco quod* quod in cod. a legitur *sic coquunt* efficio.

52 = 9,6.

312 Haec sunt certamina invicemque ad tellurem alendam quoque utuntur homines.

quo tandem remedio? nempe stercore et urina hominum, quae ante ‚hominis' nomine appellantur. Itaque hic quoque scribendum est *homine.*

53 = 9,6.

313 Hae fuere apud priscos differentiae, simulque praecepta non invenio rettuli utendi, quando et hic vetustas utilior.

Memorabilem locum talem exhibent codices ad unum omnes, ita tamen ut cod. d *invenior ettuli*, D *invenior et tali*, T *invenio re tali* scripserint. Quem quum non intelligerent, certatim viri docti curarunt ut interpolarent. Ingeniose Barbarus, quem omnes ante Silligium secuti sunt, *ut invenio, re tali* edidit, Silligius *non* retinendum esse perspexit, reliqua corrupit; nam *inventa ingeniorum* scripsit magnaque

hiatu v. *utendi* ad remotius substantivum ‚praecepta‘ referri posse sibi persuasit. Postremo Ianus elegantiori iudicio, consilio non minus temerario usus v. *plura* inculcavit, otiosum et, nisi fallor, a Plinii consuetudine alienum. Neque enim locum me legere memini, ubi scriptor se plura non invenisse quam quae retulit, confiteatur. Scilicet operam omnes perdiderunt, dum scriptoris et grammatici manum non distinguunt. Plinius ipse scripserat:

‚*Hae fuere apud priscos differentiae, simulque praecepta retuli utendi*‘;

praeter modum enim quo lotio humano utendum videretur, ipso ordine quo singula stercoris genera enumeravit utendi praecepta comprehendit, quae ab agricolis observarentur. Aliter visum est docto illi grammatico, Iunio, ut videtur, Laurentio, cuius annotationes n. 39 et 121 indicavimus, frequentiores etiam in libro primo, in indice librorum XVIII et XX reperimus. Qui quum, ut florum genera a medicinis separantur, item stercoris genera et stercorandi praecepta separatim a scriptore tradi opinaretur, prudens animadvertit, se praecepta non invenire. Quae grammatici observatio e margine, ut fit, inter ipsa scriptoris verba postea recepta est. Paulo post recte Sill. e codicibus *alendi* scripsit: ‚praeceptum‘ enim e dativo ‚praeceptis‘ admirabili brachylogia cogitatione supplendum Plinius reliquit.

58 = 10,9. 314

Et abunde praedicta ratione caeli ac terrae nunc de his arboribus dicimus quae cura hominum atque arte proveniunt.

Et recte I. e codd. a T inseruit, cf. §. 216, quo loco Plinius ‚indicanda, ait, natura est.‘ Itaque hic quoque quod in cod d exstat *dicemus* legendum est, *iis* pro *his* linguae legibus postulatur, neque in talibus rebus codicum habenda

ratio est. In transcursu praeterea moneo §. 61 post *madefaciunt* levius interpungendum esse, ut voci *quidam* altera *alii* respondeat; §. 65 *paucarum* sc. arborum legendum videri.

73 = 10,14.

315 area aequata cylindris aut volgiolis

Vocabulum alias inauditum instrumentum significare putandum est cylindri prorsus simile; altera igitur ratio, qua area paviendo aequatur, non commemoratur. Atqui illa vox ne reperitur quidem in codicibus MSS., quorum haec varietas est: a *ualgivalis* (priore *a* ex *u* facto), D Θ *vulvoalis*, T d *vulgo alis*, in qua codex a ut solet proxime ad veram lectionem accedit. Terminatio enim *giualis* nihil aliud est quam *iculis*, prima igitur syllaba correcta notissima vox eaque aptissima emerget: *paviculis*. Statim §. 74 cum Pintiano non *differuntur*, sed *deferuntur* lego, fretus similitudine §. 76, ubi *differendae* in d, vera scriptura *deferendae* in reliquis codicibus exstat; cum Schneidero §. 76 *in area facta*, manifesto enim Columellam V. 6 imitatur Plinius.

316 77 = 11,15.

Maritas ulmos autumno serere utilius, quia carent semine; nam ut e plantis seruntur.

Silligius vulgata lectione *nam eae e* relicta rediit quidem ad codices MSS. sed quid in iis lateret non odoratus est. Nullam enim vocis *ut* h. l. vim esse apparet. Aliquid Ianus vidit, cum inde a v. *quia* unum sensum incepit eumque usque ad v. *seruntur* continuavit, verum quod vv. *nam ut* in *non nisi* mutavit, ingeniosius videtur fecisse quam verius. In omnibus libris MSS. non *carent* sed *carente* vel plenius etiam in T legitur *carentes*, unde in reliquis ultimam litteram s initio proximi vocabuli haustam esse efficitur. Quaerendum est igitur substantivum, ad quod participium

illud referatur, idque in litteris *nam ut e* inesse putandum est; maior est enim codicis a etiam in corruptelis auctoritas quam ceterorum qui *non ut* e exhibent. Quid multa? In archetypo codice scriptum erat uncialibus litteris quod in a accurate expressum legitur NAMVTE, quod deleta N quae e proxima voce adhaeserat, in ATINIE i. e. *Atiniae* mutetur necesse est. Duo erant ulmorum genera vitibus apta, Gallicum quam Columella V. 6. Atiniam et quod nostras appellat. Prius erant quidem qui in tali usu damnarent, cf. Plin. §. 200, sed in illis neque ipse Plinius fuit (cf. §. 208), qui diversos diversis locis auctores sequitur, neque Columella, quem hic ante oculos habuit. Qui ‚possunt etiam, ait, collectae cum stirpibus plantae eadem ratione disponi, quod in Atinia ulmo fieri necesse est, quae ‚non seritur e samera. Sed haec ulmus autumni tempore ‚melius quam vere disponitur.'

80 = 11,16. 317

Graeci auctores consentiunt (scrobes) non altiores quino semisquipede (semipede Ian.) esse debere — – quoniam in umido solo ad vicina aquae perveniat.

Xenophontem interpretatus est Plinius, in cuius oeconom. 19. 7 legitur *ἐπεὶ ἔν γε τῇ ὑγρᾷ ὀρύττων βαθὺν ὕδωρ ἂν εὑρίσκοις*: itaque scribendum est *pervenias*. Quae §. 81 de Papirii Cursoris ioco narrantur, cum Pintiano et Lipsio ab hoc certe loco aliena esse censeo, quae ubi omiseris, reliqua inde a v. *ceteris* usque ad v. *nudaverint* apte coniungi animadvertes. Neque tamen Plinio prorsus abiudicaverim, cum Papirii etiam alibi XIV. 91 mentionem fecerit, sed margini libri adscripta putaverim sua postea loco inserenda. Quod ne faceret, morte impeditus est.

318 88 = 12,17.

Breves sunt (umhrae) quamvis magnarum arborum, quae ramos in orbem circinant, ut in malis.

quae abest a codd., *cercineat* a, *circinat* d Scribe: *arborum ramos in orbem circinantium*, *ut* rel.

319 90 = 12,18.

Iucunda et platani (umbra), quamquam crassa; licet gramini credere non soli, haud alia laetius operiente toros.

Cur soli non credendum sit, equidem non intelligo: hoc dicit Plinius, platani umbram non sicut iuglandis et pinus nocere graminibus sed prodesse. Iam vero *haud* abest a codd., *gramina* reperitur in cod. a. Levi igitur transpositione facta locus sic emendabitur:

licet gramina credere soli, non alia laetius operiente toros.

i. e. gramina soli platani umbrae committere licet.

320 95 = 13,20.

Ex his lentissima est pirus. Ocissima omnium cypirus rel.

est nescio cur Ianus omiserit: scribendum est — *pirus*, *ocisima* rel.

321 100 = 14,23.

In ficis autem et malis haec fuit inoculatio antiqua; Vergiliana quaerit sinum in nodo gemmae expulsi corticis gemmamque ex alia arbore includit.

Prima verba quomodo in reliquis codicibus quibus vulgata lectio innititur, scripta sint nescio: in iis quos diligentius collatos apud Silligium reperimus, a d dico, non *autem* sed *hoc* legitur, quod quum vel librarii vel viri docti

non intelligerent, molestam particulam ei substituerunt. Nec potuit intelligi cum proximo pronomine *haec* copulatum. Antiquitus *hoc* scribebatur in codice archetypo, correctum postea, unde factum est ut utrumque pronomen in posteriores codices transmigraret. Altera quoque vox *gemmae* correctori nescio cui debetur male illi quidem sedulo, namque quae in codd. a d reperitur *germine* ablativum praebet ad verborum structuram necessarium. Cortex enim ubi germine expellitur nodum efficit. Quid quod a Vergilio Georg. II. 76 idem vocabulum eodem prorsus sensu usurpatur, quo v. 74 ‚gemmae' dixerat? Apud Plinium haud dubie restituendum est. §. 116 Ianus recte lacunam detexit eamque probabiliter explevit. §. 120 idem et Silligius egregiam emendationem neglexerunt, qua O. Iahnius in ephemeridibus instituti archaeologici (bullet. dell' instit. arch. 1840 p. 12) *Tiburtes tullios* e codicum lectione *Tib. Thulias* vel *Tullias* restituit. Ibidem Silligii coniecturam *per omnia* probo, §. 122 liberti nomen *Hetereius* fuisse et pro *haec Etereiana* legendum esse *Hetereiana* putaverim.

129 = 18,30. 322

Africae peculiare, quod in oleastro inserit.

Quod vulgo legebatur *A. p. quidem in oleastro est inserere*, e codicibus Sill. emendavit, ita tamen ut verbum *est* quod in codd. a d ante *inserit* scribitur omitteret. At vero non delendum est sed ita transponendum:

Africae peculiare est, quod in ol. inserit.

152 = 21,35. 323

— quamdiu nodi pervia patet fistula. Cum vero concreti ademere transitum rel.

Idem subiectum *nodi* ad utrumque verbum pertinet, itaque prius in *patent* mutetur oportet. §. 164 *pedatae erit* rectissime a Strackio in eo libro quo Plinium in nostram

linguam convertit II. p. V conicitur, *intellegetur* ab Iano restituitur, §. 168 male idem *alae* scripsit, quod sane in codd. T d exstat, sed loco Catonis cap. 43 refellitur; neque illud probare possum, quod §. 170 lectione egregii codicis D² spreta non *transtris*, ut Sill., sed *talis* edidit. Verum paene oblitus eram me non librorum, qui adhuc prodierunt, censuram agere sed eos tantum locos tractandos elegisse, quorum veram lectionem primam reperisse mihi videar. Itaque ad id quod mihi proposueram redeo.

324 176 = 22,35.

Id utrumque fructum tardum, praeterea retorridum et nodosum reddit pumilionum incremento.

Vitium in hac lectione inesse putarem, etiamsi codicum Mss. auctoritate confirmaretur; neque enim fructus retorridus et nodosus est, sed arbor, et pronomina coniuncta displicent. Iam vero longe alia codices praebent, qui verbum *reddit* omittunt et *utrimque* scribunt, rectissime haud dubie. *Id* sc. ratio eorum qui aut proximo anno vitem tangere vetant aut quarto demum ad iugum perducunt, *utrimque* i. e. cum ab his vel illis fit (ad usum adverbii cf. VIII. 187, ‚*fructu tardum*‘ (ut §. 59 tardum proventu) sc. est, *praeterea pumilionum incremento* i. e. cum arboris pumiliones accrescunt *retorridum et nodosum* sc. est. Neutrum autem adiectivi absolute ponitur, ut statim ‚nec tutum est quod cicatricosum.‘ Eodem modo §. 178 lectionem codicis a' *in ea est natura* non esse spernendam existimo, quum praepositionem *in* cum ablativo saepissime a Plinio ibi etiam coniungi meminerim, ubi a vulgari fere consuetudine abhorreat, de quo genere egit Grasberger p. 59 sqq.

325 187 = 22,35.

Genera separari ac singulis conseri tractibus utilissimum.

tractum cod. a, unde facilius fit *tractus* sc. singulos. §. 192 recte Pintianus *exacta* in *exacuta* mutavit, cf. Columella V. 6. §. 193 Ianus rectius *hos* quam Sill. *eos de his*, malim tamen *eos* scribere. §. 200 *eligantur* scribo, codd. *religantur*, Sill. Ian. e Schneideri coniectura *eliguntur*. Praecepta enim Columellae V. 6 repetuntur.

201 = 23,35. 326

Et ulmus detruncata media in ramorum scamna digeritur, nulla fere XX pedum altiore arbore.

Numerum alterum XX e Columellae loco V. 7 iam Pintianus emendavit XV, alterum e codicibus Mss. eliciendum reliquit. Sic enim illi: *intramorum* a, *intra ramorum* T d i. e. *in trium ramorum*. ‚Plerumque‘, Columella inquit, ‚ea arbor in tres ramos dividitur.‘

211 = 23,35. 327

Traducem bimum praecidere solebant; oneratis enim vetustate melius donare tempus, ut transilem faciant, ni largiatur crassitudo; alias utile toros futuri draconis pasci.

Talem locum Sill. et Ianus dederunt, hic tamen contra codices vulgatam lectionem *si* servavit. In quo plura displicent: primum imperfectum, cui inde a v. *melius* alia quaedam ratio eademque probabilior opponi videtur, deinde vocabulum *transilem* nec bene formatum neque usu comprobatum, quibus accedit et codicum varietas, ubi non *oneratis* sed *onerat* legitur, et Columellae praeceptum V. 6 pag. 220 ed. Bipont. Cuius verba ‚cum deinde annis et robore vitis ‚convaluit, traduces in proximam quamque arborem mittendae, easque post biennium amputare, simul atque (fort. ‚simulque) alias teneriores transmittere convenit, nam vetustate vitem fatigant‘ haud dubie a Plinio respiciuntur.

Itaque ante omnia* vox *onerat* sc. vitem recipiatur oportet interpunctione, ut par est, mutata. Tum id praecipitur, quod alteri rationi praeferendum videatur, ut quandam draconis similitudinem efficiant traduces; numerorum enim varietas tantum abest ut improbetur, ut usui Pliniano quam maxime apta esse videatur. Quod ubi primam vocis *transilem* litteram e proxima *ut* male irrepsisse concesseris, sponte prodibit: *rasilem*, cf. §. 206. Nisi palmitis crassitudo draconem ipsa largitur, arte ad eius speciem conformandus est. Exigua igitur illa mutatione facta talem locum scribemus:

Traducem bimum praecidere solebant (onerat enim vetustate): melius donare tempus ut rasilem faciant, ni rel.

Obiter moneo, paulo ante *utraque pars* legendum esse, prior enim vox vicina *utrimque* absorpta est; cf. Columella V.7.

328 213 = 23,35.

Medium temperamentum in Carseolano sequuntur cariosasque tantum vitis partes incipientesque inarescere deputando.

Primum e codicibus restituatur *Carsulano*, quod Umbriae oppidum III. 113 commemoratur*), deinde deleta copula, quae e vicino participio *incipientesque* huc irrepsit, scribatur *cariosas*. Simile mendum *serendasque* in §. 215 dudum sublatum est.

329 214 = 23,35.

Arbusta arari quam altissime desiderant tanta etsi frumenti ratio non exigit.

Expulsa dittographia (*desiderantant*) lego *desiderant etsi*. Pintianus *tametsi*, Sill. *tamen etsi* coniecerant. Ibidem vo-

---

*) Antea pro *iuxta urbem Varracinis* scribendum videtur esse *iuxta urbem in Aricinis*.

codicibus reperiun-
immerito a viris doc-

,37. 330

s lentis post vergilias;
, perfundunt arborem, non
grossi cadunt, si vel imbres
modo ficus laborat radicibus

pud Silligium legimus, eundem aliter Ianus nisi Theophrasti descriptionem IV. 14. 5 Plisset, e codicum Mss. sordibus vix expediri posautem modis ficum imbribus vexari Theophrastus t: aquae penuria, unde scabies oreretur, largis s, quibus arbor perfunderetur, nimiis denique, quiradices maderent. Quorum morborum primum ille sic scripsit: *ἡ δὲ ψώρα μάλιστα γίνεται ὅταν ὕδωρ ἐπὶ Πλειάδι γένηται μὴ πολύ,* Plinius inde a voce ,Scabies' usque ad ,vergilias', alterum his verbis *ἐὰν δὲ πολὺ, ἀποκλύζεται· συμβαίνει δὲ τότε καὶ τὰ ἐρινὰ ἀπορρεῖν καὶ τοὺς ὀλύνθους,* quibus apud Plinium proxima usque ad vocem *cadunt* respondeant necesse est. Apparet igitur *largiores* rectissime a Dalecampio scribi, licet codices *rariores* habeant, deinde nihili faciendam esse dittographiam *perfundunt ne*, e codicis archetypi vitio PERFVNDVNTNT repetendam; tum *scabie et grossi* egregie ab Harduino e corruptelis codicum *scabie eteros si*, si Sillígio credimus (*scabiterossi* in Parisinis legi Harduinus retulit), restitutum esse; postremo *scabie* quod Harduinus recte ad *scalpunt* applicuerat, a Sillígio male cum vv. *et grossi* coniungi. Quamquam vocem *scabie* haud scio an docto potius librario quam Plinio tribuam, qua insolitam verbi *scalpunt* vim ex-

planare studuerit. Tertium radicum morbum his verbis Theophrastus addit: *νοσεῖ δὲ συκῆ καὶ ἐὰν ἐπομβρία γένηται· τά τε γὰρ πρὸς τὴν ῥίζαν καὶ αὐτὴν τὴν ῥίζαν ὥσπερ μαδᾷ.* Quae codicum scriptura *sive* recepta accurate a Plinio exprimuntur. Totum igitur locum sic refingo:

Scabies gignitur roribus lentis post vergilias; nam si largiores fuere, perfundunt arborem, non scalpunt [scabie] et grossi cadunt. Sive imbres nimii fuere, alio modo ficus laborat radicibus madidis. —

§. 227. Ianus emendavit, §. 229 verba ita transponantur oportet: *eroduntque frondem, aliae florem quoque olivarum,* cf. Theophr. l. l. 9.

331 231 = 24,37.

Sunt et culicum genera aliquis molesta — — qui videntur ex umore nasci, tum dulci subdito corticibus.

Viam qua molesta et otiosa illa vox *tum* emendetur, Theophrastus IV. 14. 10 monstrabit: *καὶ δοκοῦσιν ἐκ τῆς ὑγρότητος συνίστασθαι τῆς ὑπὸ τὸν φλοιὸν συνισταμένης· αὕτη δέ ἐστι γλυκεῖα γενομένοις.* Manifestum est enim in codice archetypo paucas litterulas excidisse, quibus suppletis legemus:

— *ex umore nasci ad gustum dulci*

Ceterum hiic quoque intelligitur, quanto codex a reliquis praestet: ille enim *tum*, cod. d *tunc* praebet.

331 232 = 24,37.

hic enim (Olympias) si flavit circa brumam, frigore exurit arefaciens ut nullis postea solibus recreari possint.

Theophr. l. l. §. 11 *ἀποκάει γὰρ τὰ δένδρα καὶ οὕτως*

αὖα ποιεῖ καὶ ξηρά κ. τὲ. Plinio igitur repetitis tribus quae semel scribuntur litteris restituitur:

— *exurit ita arefaciens* —

Simile vitium §. 233 *inter* pro *in terris* Harduinus emendavit.

233 = 24,37. 332

Aliae in terris septentrionalibus, ut Ponto, Phrygia, frigore aut gelu laborant —

in Ponto Sill. quod e cod. a Ianus correxit. Vellem eiusdem etiam in proximo vocabulo quam par erat rationem habuisset ut Phrygiam terris septentrionalibus eximeret. Cod. enim a praebet *fragia* i. e. *Thracia*, quam Theophrastus §. 13, disertius etiam caus. plant. V. 13. 11 nominavit.

235 = 24,37. 333

— similiter ilex et robur et quercus. Quae si angusta decorticatio fuit rel.

Hic quoque auctoritati codicis a, in quo reperitur: ‚robur quercus. Quae' obtempero, cum scribo: *s. i. e. robur quercusque. Si angusta* rel.

238 = 24,37. 334

Intereunt pleraque et fissa stirpe, exceptis vite, malo, fico, punica, quaedam vel ab ulcere tantum. Ficus hanc iniuriam spernit et omnia quae resinam gignunt.

Vitiatum locum esse Budaeus et Schneiderus ad Theophr. IV. 16. 1 animadverterunt, sedem vitii non invenerunt. Scilicet non *fico* sed *ficus* corruptum est corrigendumque e Theophrasti narratione: *τὰ δ' οὐδὲν πάσχει καθάπερ ἡ πεύκη δαδουργουμένη καὶ ἐξ ὧν δὴ τὰς ῥητίνας συλλέγουσιν*, itaque reponendum est: *Pinus hanc ini. spernit* rel.

Pinum enim et hic et §. 235 dicit πεύκην, quam alibi laricem appellat.

335 **241 = 25,38.**

— et oliva in totum ambusta revixit et in Boeotia derosae locustis fici regerminavere.

Quae paulo ante leguntur verba Ianus e Theophr. II. 3. 1 egregie sic correxit ‚ficus sub foliis' (*eos sub foliis* a d). Eodem loco etiam ad ea quae modo adscripsi verba emendanda uti poterat. Quum enim Theophrastus §. 3 haec narraverit: *οἷον ἐλάα ποτ᾽ ἀποκαυθεῖσα τελέως ἀνεβλάστησεν ὅλη, καὶ αὐτὴ καὶ ἡ θαλία. ἐν δὲ τῇ Βοιωτίᾳ καταβρωθέντων τῶν ἐρνῶν ὑπ᾽ ἀττελέβων πάλιν ἀνεβλάστησε,* Plinius quoque non de ficis sed de oliva loqui putandus est. Quid quod fici nomen ne in codicibus quidem Mss. reperitur, qui ita variant: *fici* | | | | *regerminavere* D.
ficis ire germinavere a
interpolatam enim codicum T d lectionem *cytisi regerminavere* citare nihil attinet. In *ficisi* igitur vocem aliquam latere consentaneum est qua Graecam ἔρνος Plinius expresserit, eamque talem quae prope ad corruptos illos litterarum ductus accedat. Neque ea difficilis inventu est: quodsi enim magnam litterarum c et t similitudinem reputaveris *), nulla fere mutatione e *ficisi* fieri intelliges *fetus*, quo vocabulo cum vites describit, inde a §. 173 saepius usus est.

335 **251 = 27,42.**

exactam falcis aciem utraque manu imprimentes.

Scribe: *exacutam*, ut §. 265. Ceterum quae initio §. 252. leguntur usque ad v. *ossa* in hac sectione arte cum *expletae* cohaerent levique tantum signo distinguenda sunt.

---

*) Ita statim §. 245 in cod. a legitur *Vecti*, in d *Vettii*, sicut II. 194 in R *Vecti*, in a d *Vectii*, in A *Veti*, recte autem *Vettii* scribi ex inscriptione apud Gruter. p. M. 8 colligitur.

261 = 28,47. 336

— si vero fertiles non sunt (vites, iubent) aceto acri subacto cinere rigari —

Quum post particulam subiunctivi positi sint et in iis quae praecedunt et quae statim sequuntur, hic quoque *sint* scribendum est. *ficis* et *rutaeque* recte coniecit Dalecampius, quorum alterum etiam codicibus confirmatur.

LIBER XVIII.

3 = 1,1. 337

Nos et sagittas unguimus ac ferro ipsi nocentius aliquid damus, nos et flumina inficimus et rerum naturae elementa; ipsum quoque quo vivitur aerem in perniciem vertimus.

Iam saepius significavi, codices T d eorumque similes, a quibus vulgata fere lectio orta est, ab homine non indocto correctos nonnumquam, saepius interpolatos esse, codicem a cum quo cod. D et Θ aliqua cognatione coniuncti esse videntur, antiquae probaeque scripturae vestigia in his certe libris, ubi altera eaque antiquiore codicum familia destituimur, ipsis illis mendis, quibus scatet, conservasse. Cuius rationis memorabile h. l. exemplum reperitur. Aer enim neque ad victum sufficit, quod vel proverbio docemur, neque quomodo in perniciem convertatur, constat. Immo quae sint ea quibus vivamus Plinius ipse XXIV. 4 explicuit, ‚inventu facilia ac sine impendio et quibus vivimus‘, quibus hominum fraudes cum ad medicinam tum ad venena abusi sunt. Venena hoc quoque loco cibis, qui ab ipsa natura innoxii sumministrentur, opponi animalium exemplo efficitur. Atqui molesta illa vox abest a codicibus a D, itaque in cod. d ab interprete adscriptam esse sequitur, qui ‚ipsum

illud quo vivitur' ad ,rerum naturae elementa' retulerit. Neque tamen nihil glossemati substituitur, sed e vestigiis reliquorum codicum, quorum a *in se*, D *ipse in* scriptum habet, gravis sententia refingitur:

ipsum quoque quo vivitur ipsi in perniciem vertimus.

In proximo sensu verba *quae quidem* ne in T d quidem leguntur, haud dubie igitur delenda sunt.

4, 5 = 1,1.

338 Quid? non et hominis quidem ut venena nascuntur? — — Verum et in hoc eadem naturae maiestas quanto plures bonos genuit ac frugi rel.

Interpolatum obscurumque locum (quid enim significant particulae *quidem ut?*) exhibuit Sill.; Ianus emendare conatus est, dum *ut* in *e mente* mutat: una tantum vel altera littera corruptum codices praestant. Paucos homines veneni instar esse, aliquanto plures ad bonam frugem natos esse Plinius dicit, atque hoc ipsum in codicibus legitur, nisi quod in a T *e hominis*, in omnibus *quidem* reperitur:

Quin et homines quidam ut venena nascuntur — — Verum et in hoc eadem naturae maiestas quanto plures bonos genuit ut fruges rel.

Quae sequuntur inde a §. 6 usque ad 21, a §. 35 usque ad 43, in chrestomathia Pliniana p. 220 sqq. tractavi.

339 44 = 6,8.

(praeceptum) in primis Catonis humanissimum utilissimumque, id agendum ut diligant vicini; causas reddit ille rel.

Catonis locus exstat cap. 4: ,Si te libenter vicinitas videbit' rel. Obiectum apud Plinium vulgo omissum e scripturae varietate (*diligant* 'd, *se vicini* Θ, *vicinis* a) restituitur:

ut diligant te vicini.

Supra §. 29 *cavit*, quum ubique praesens tempus reperiatur, in *cavet* mutandum esse arbitror.

47 = 6,8. 340

Umidiorem agrum fossis concidi atque siccari utilissimum est, fossas autem cretosis locis apertas relinqui, in solutiore terra saepibus firmari, declives imbricibus aut supinis lateribus procumbere, quasdam occaecari rel.

Ita Silligius vulgatam lectionem *firmari ne procidant aut* rel. mutavit, e Columellae loco II. 2. 9 quem Plinio obversari constat, vocibus *declives imbricibus* desumptis, cui eatenus assensus est Ianus, ut alteram vocem omitteret eius autem quam servavit *imbricibus* in codicibus ultimas litteras superesse statueret, lacuna quam deprehendisse sibi visus est, ingeniosissime sic expleta: ‚ne pro*cidant*, *aut imbricibus.*‘ At vero imbrices nec Plinius neque is quem fere sequitur Columella ut fossis adderentur suasit quippe quas ‚imbricibus supinis *similes*‘ esse voluerint.

Codicum varietas haec est: *ne procibus* a.
ine procibus D.
in eprocibus Td.,

eos codices dico, quos e Silligii libro accurate novimus, ceteros nihil moror *). Et corrupta quidem esse illa vocabula manifestum est, sed ante quam emendandi periculum faciamus, altera corruptela opus est ut indagetur, quam in voce *procumbere* deprehendo. Tantum enim abest ut fossa procumbere debeat ut ne procumbat omni opera cavendum

*) De Chiffletiano Θ fateor me dubitare. Qui lectionem *in eprocibus* cum Td communem habere eique vocem *divis* praemittere dicitur, qua quid indicetur nescio.

sit. Qua voce cum altera manifesto corrupta comparata tanta utriusque similitudo intelligitur ut alteram alteri substitutam esse appareat. Scilicet quum *procibus* in archetypo male scriptum reperiret librarius, in margine legendum esse *procumbere* annotaverat, quae coniectura ita postea in ipsa Plinii verba irrepsit, ut ipsum illud *procibus* intactum remaneret. Itaque vocem *procumbere* missam faciamus, eam autem quae reliqua est, *procibus* in *procumbant* mutemus. Iam igitur omnia optime sic procedunt:

— *in solutiore terra saepibus firmari ne procumbant aut supinis lateribus; quasdam* rel.

341 52 = 7,10.

Omnium satorum rel.

Solus codex d *satorum* habet, *saturorum* a, *sativorum* Θ T, haud dubie recipiendum.

342 56 = 7,10.

Varro quater novenis diebus fruges absolvi tradit et mense nono meti.

‚In libris deperditis', Harduinus inquit, scilicet ne numeros corruptos esse fateatur. At neque Varro sibi ipse contradixisse, neque Plinius cum de rebus rusticis agit alios Varronis libros quam qui de re rustica scripti sunt, laudasse putandus est. In illis autem cum Varro I. 27 et 32 tempora ita ut res et ratio fert, descripserit, rectissime Pintianus priorem numerum in *quinquies novenis* mutavit, ter quindecim qui a Varrone numerantur diebus consentaneum. Gravius etiam alterum vitium Varrone duce tollitur. Qui quoniam c. 27 tempora subtilius ita discerni retulit ut in VIII sesquimenses dividerentur atque quae in agri cultura fieri deberent, in haec intervalla distribuerit, apparet in Plinii codicibus duas syllabas periisse legendumque esse:

et sesquimense nono.

57 = 7,10. 343

Quorundam caules sparguntur in terram, si non habeant adminiculum, ut pisorum; quod si non habuere, deteriora fiunt.

Codices a D: *piscandum nisi*, d *piscandunt n*, deinde a d: *deteriora aut* (quid D T habeant, non constat). Unde vulgatam interpolatam esse Sill. intellexit, quae ipse coniecit: *ut apiscantur*; *nisi habuere.... aut deteriora fiunt* propterea maxime displicent, quia vox *scandunt* verbo *ἀναβαίνει* apud Theophrastum VIII. 3. 2, quem non satis accurate (phasiolos enim omisit) Plinius imitatus est, confirmatur. Melius Ianus *ut pisi. ubi scandant nisi habuere ... aut deteriora fiunt*, verum ille quoque lacunam Plinii verbis inesse praeter necessitatem statuit. Legendum est: *ut pisa scandunt, aut nisi habuere, deteriora fiunt.*

63 = 7,12. 344

Tertium pondus (tritici) erat Thracio, Syrio, deinde et Aegyptio, athletarum cum decreto, quorum capacitas iumentis similis quem diximus ordinem fecerat.

Theophrastum VIII. 4. 3 sqq. sequitur Plinius, quod vel temporibus perfectis, quibus utitur, declaratur. Quare primum *Syrio* e l. l. mutandum est in *Assyrio*, deinde collata §. 5 scribendum *athletarum tum decreto.*

64 = 7,12. 345

ex omni eadem (Graecia) genere grani praetulit dracontion et strangiam et Selinusium.

Ita sane Plinius cum Theophrasto caus. pl. III. 21. 2 consentit, verum aliud nomen suppeditant codices (*istelepant* Θ a d, *stelepan* D), unde necessario efficitur *stlengian*,

ortum, ut recte ab Iano p. XVI annotatum est e *στλεγγύς*, quod in hist. plant. VIII. 4. 3 legitur. Quum autem non hoc loco solo a Theophrasti descriptione Plinius recesserit (genus enim speudian, egregie a Sill. restitutum apud Theophrastum non magis legitur quam Sophoclis versus e Triptolemo fabula repetitus), a codicibus standum legendumque est *stlengian*. At contra inde a §. 69 Theophrasti vestigia legit, itaque §. 70 *sitanion* (a *σῖτος* ductum) ex hist. plant. VIII. 2. 3 scripturae codicum *setanion* vel *setamon* substituatur oportet.

346 66 = 7,12.

Inter ea tritici genera, quae Romam invehuntur, commemoratur etiam *Boeoticum*, male, neque enim Boeotia Plinii aetate frugibus abundabat: *Baeticum* reponendum est e §. 95, quod in cod a *Boeticum* scribitur levi vitio eodemque ad interpolationem proclivi.

347 67 = 7,12.

Lex certe naturae ut rel.

In cod. a post v. *naturae* spatium duarum litterarum vacuum relinquitur, quod verbo *est* explendum esse e proximo vocabulo intelligitur. §. 68 ex eodem cod. a scribo *Hispania*. §. 71 *quidam*, quod dedit Sill. servavit Ianus, operarum vitio tribuendum esse existimo. Vulgatam enim lectionem *quidem*, ad quam nullam scripturae discrepantiam afferri video, particula, qua Theophrastus IV. 4. 10 utitur, *μάλιστά δέ* defenditur.

348 75 = 7,15.

Hippocrates e clarissimis medicinae scientia.

Cod. a[1] *scientiae*, quem genetivum qualitatis equidem vulgatae praetulerim; inter exempla enim a Grasbergero p. 29 allata etiam duplex genetivus XI. 86 reperitur.

78 = 7,18.

Grano (hordei) ipsi aliquot differentiae; longius 349
leviusque aut brevius aut rotundius, candidius nigriusque vel cui purpura est; ultimo ad polentam, contra tempestates candido maxima infirmitas.

Rerum generumque quae h. l. cumulantur copia librarios perturbatos esse non est quod miremur, at viros doctos post Dalecampium et Pintianum Theophrastum VIII. 4. 2 ad emendandum Plinium non adhibuisse, Silligium vero Ianumque interpunctionem ita mutasse ut vel maior inde oreretur verborum confusio satis mirari nequeo. Atque Theophrastus hordei grana bifariam forma et colore ita distribuit: *καὶ αὐτῶν δὲ τῶν κριθῶν αἱ μὲν στρογγυλότεραι καὶ ἐλάττους αἱ δὲ προμηκέστεραι καὶ μείζους καὶ μανότεραι κατὰ τὸν στάχυν. ἔτι δὲ αἱ μὲν λευκαὶ αἱ δὲ μέλαιναι καὶ ἐπιπορφυρίζουσαι, αἵπερ καὶ πολυάλφιτοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ πρὸς τοὺς χειμῶνας δὲ καὶ τὰ πνεύματα καὶ ὅλως τὸν ἀέρα τῶν λευκῶν ἰσχυρότεραι.* Sequitur, apud Plinium alteram particulam *aut* in copulam *et* mutandam esse; nam adiectivo *longius* Graeca *προμηκέστεραι καὶ μείζους*, voce *leviusque* quam male Strackius voce Germanica ‚glaetter' interpretatus est, proxima *καὶ μανότεραι κατὰ τὸν στάχυν* transferuntur: contra in iis quae sequuntur copulam *que* vitiosam esse quae in codice D solo reperitur, deinde proximas voces ita corrigendas esse ut sublato tertio illo colore alter purpurascere dicatur, quod facili et nulla fere mutatione efficitur, si legimus: *nigriusve velut purpura*. Postremo nigrius hordeum candido duabus rebus praestat, utilitate et firmitate. Alteram Theophrastus voce *πολυάλφιτοι* indicavit, Plinius proximis verbis definivit, quae sic erunt scribenda: *est utilissimum ad polentam*, alteram codices recte describunt. Quibus comprehensis ecce talia Plinii verba prodeunt:

— *longius leviusque aut brevius et rotundius, candidius nigriusve velut purpura: est utilissimum ad polentam, contra tempestates* etc.

350 80 = 7,18.

— quod in Hispaniae Carthagine — collectum est; *in Hispania* cod. a rectissime scribit, qua lectione recepta alter ablativus in appositione accedere putandus est, cuius generis exempla Grasbergeri p. 56 industria collecta reperies.

351 89 = 9,20.

panis vero e modio similaginis CXXII, e floris modio CXVII (iustum est redire).

Ridiculam fere mensuram iis quae praecedunt quaeque sequuntur comparatis corrige in *P* (*i. e.* pondo) *XXII* et *P XVII*. Ceterum quae statim exponitur ,distinctio tempore L. Pauli nata' ad legem Scriboniam alimentariam a. DCCIV pertinet.

352 99 = 10,23.

Et ipsa autem quae evalluntur variam pisturarum rationem habent. Acus vocatur, cum per se pisitur spica, tantum aurificum ad usus.

Nescio cur codicum lectio *pistrinarum* (*pristinarum* a Θ) a viris doctis spreta sit, liberiorem enim genetivi usum Plinium adamasse constat; deinde *tantum*, ut XV. 18 cum vv. *per se* coniungendum est.

353 108 = 11,28.

Cribrorum genera Galli e saetis equorum invenere, Hispani e lino — Aegyptus e papyro rel.

Recte Ianus regionum nomina populis substituit, codicibus obtemperans simulque concinnitati orationis consulens.

Neque tamen pluralem *Galliae* et *Hispaniae* probaverim, cum in re dubia (utrumque enim numerum reperiri constat), meliorum codicum auctoritas valeat: e quibus a *Galliae setis* et *Hispaniae lino* praebet, clarius etiam Θ *Galliae setis* et *Hispaniae lino* exhibebat. §. 114 cum Harduino *annua duoena* legere malo, quo codicum vestigia ducunt; §. 117 vulgatam scripturam *uenalis fabae* probo, ut nimia dativorum multitudo evitetur. Littera enim *s* proxima *f* intercepta esse videtur.

129 = 13,34. (de rapis sermo est) 354

Genera eorum Graeci duo prima fecere, masculinum femininumque, et ea serendi modi ex eodem semine; densiore enim satu masculescere rel.

Quae hac sectione continentur, e Theophrasti libro VII. 4. 3 sumpta sunt omnia atque propterea aliter interpungenda quam vulgo fit. In quibus neque id quod Sill. e cod. a dedit *modi* neque vulgata scriptura *modo* quam e cod. d Ianus servavit, intelligitur. Restituendum est *modum*, qui casus vicino genetivo in archetypo et in a corruptus, in d deinde male correctus est. Item ultima §. 130 verba male vulgo sic distinguuntur: *Palma in Nursino agro nascentibus; taxatio in libros sestertii singuli et in paenuria bini, proxima in Algido natis.* Namque adiectivum *proxima* non ad substantivum *taxatio* sed ad *palma* pertinet, ut XXXIV. 145 *secunda palma* legitur. Sic igitur interpungendum est: *Palma — nascentibus (taxatio — bini), proxima rel.*

133 = 14,36. (de lupino loquitur) 355

Nec ullius quae seratur natura adsensu terrae mirabilior est.

terraeque a, *terraque* T d, unde Sill. vulgatam *terrae*, quae

Pintiani coniectura est, corruptam esse recte intellexit et *caeli* excidisse ingeniose suspicatus est. Oblocutus est Strackius p. VI codicesque T d sequi maluit, Ianus vulgatam scripturam tuetur. At quid scripserit Plinius, e simili codicis a corruptela qua §. 136 *hominique* habet, facile colligitur, scilicet legendum esse: *adsensu terrae quoque.* Non sua tantum natura sed etiam terrae facilitate insigne est.

356 139 = 15,38. (de ervo agit)

— quippe cum divum Augustum curatum epistolis ipsius memoria exstet.

Ianus inseruit *eo* post *curatum*, eleganter sane et ad sensum recte. Sed facilius *cum* proximorum vocabulorum terminationi deberi existimatur et mutatur in *quo.* Vicinum *sati* Strackius p. VII recte in *dati* mutandum esse censet; idem locum corruptum §. 143 egregia patris coniectura sanari animadvertit. Cui in universum assentior. Namque Varronis locum de re rust. I. 31 qui ocinum secari ait ‚antequam genat siliquas' haud dubie Plinius in animo habebat cum scriberet quod nunc ‚antequam gelaret' legitur: ‚generaret' optime Strackius coniecit, neque tamen verbum absolute poni putaverim, quam ob rem vocem ‚*siliquam*' post v. *antequam* quod in eandem syllabam desinit, addi debere arbitror.

357 145. 46 = 16,43. (de medica loquitur)

Opus est densitate seminis omnia occupari internascentesque herbas excludi; id praestant in iugera modia vicena. Movendum ne aduratur rel.

Locum foede corruptum Harduinus, cum probam lectionem *cavendum* quam apud Dalecampium invenerat, contemneret et e MSS. scilicet e cod. a *movendum* scriberet, magis etiam corrupit. Et recte quidem Strackius Ianusque

ad priorem illam scripturam redierunt, nec tamen nihil falsi reliquerunt. Et primum quidem iam in eo libro, unde nostri originem duxerunt, peccatum esse pluribus argumentis demonstratur: *vicena* enim habuit quem numerum absurdum et in *bina vel bini* mutandum esse Schneiderus ad Varr. de re rust. I. 42 monuit. Varro sesquimodium opus esse tradidit, accuratius Columella II. 10. 27, quem Plinius auctorem sequitur tantum seri iussit, ‚ut singuli cyathi seminis locum occup(ar)ent decem pedum longum et quinque latum.' Quum autem singuli modii quadragenis octonis cyathis constent, non vicenos sed binos modios a Plinio numerari consentaneum est. Deinde activum *adurat* quod in codicibus a e legitur, quodque Dalecampius etiam in cod. Θ reperisse putandus est, recte ab Harduino emendatum*) in archetypo scriptum fuisse, interpolata voce *dura* quam T d exhibent, efficitur. Denique aliquot litteras inter numerum et gerundium medias exstitisse quae sensu carerent, et interpolatorum et reliquorum praeter D librorum varietate indicatur. D[1] enim habet *avendum* litteris quae non intelligebantur omissis, D[2] recte *cavendum*. Haec igitur sunt, partim iam correcta, partim corrigenda codicum MSS. monstra: *vicena inmovendam* a, *vicena in movendum* cod. Turnebi qui nescio num ab a diversus fuerit, *vicina vindemia dura* codd. T d foede interpolati. In quibus *avendum* quod in cod. D exstat, fere integrum reperimus; quae praecedunt *vicena inm* orta sunt e mendo codicis archetypi et primum transponendo corriguntur; nam *vina* i. e. *bina* syllaba *ce* inserta discerptum fuit. Iam vero quas sic nanciscimur litteras *vinacenm* e duobus vocibus constant, *vina* seu *bina* et *semen*. Itaque ultima verba sic constituo, neque enim cur neutrum genus *modia bina*, quod ne in codd. T d quidem

*) Etiam §. 150 recte *roboratur* in vett. editt. legitur.

totum mutatur, cum frequentiore masculino commutemus, causa est:

— *in iugera modia bina; semen cavendum ne aduratur* rel.

§. 155 non *tritico* sed *in tritico* legi malim, cf. Theophr. VIII. 8. 3 ἐν ταῖς κριθαῖς rel.

358 159 = 17,45.

Democritus suco herbae quae vocatur aizoum, in tegulis nascens tabulisve, Latine vero sedum aut digitellum, medicata seri iubet omnia semina.

Vocem *tabulisve* bene emendare aggressus est Sill. Qui e codicum scriptura *tabulis aesum* D, *tabulis aesum* Θ a, *caballis esum* T d, egregie refinxit *ab aliis*, cui a Strackio et Iano e prima littera copula *et* additur, nomen ipsum emendandum reliquit. Quod e XXV. 160 *hypogeson, quoniam in suggrundiis fere nascitur*, suppletur *hypogaeson*.— *digitillum* recte ab Iano scribitur.

§. 162 codices non *quinquagesimo*, quod recte in edd. legitur, habent sed *quinto decimo*, deinde iidem non *centesimo* sed *centesimo quinquagesimo*. Apparet igitur in archetypo *quinto decimo* in margine correctum indeque v. *quinquagesimo* in alienum locum receptum esse.

§. 169 nescio cur non cum codd. a T legatur: *hoc fit*.

359 172 = 18,48.

Non pridem inventum in Raetia Galliae ut duas adderent tali rotulas, quod genus vocant plaumorati.

Vocem nescio quam Raeticam a Plinio afferri Sill. putavit, Iani assensum nactus. Verum in ea quae h. l. commemoratur Raetia i. e. in agro Veronensi (cf. III. 130) Plinii aetate Latine omnes loquebantur, Latinum igitur nomen quaerendum est. Quod ab aratri plaustro du-

cendum esse Harduinus egregie animadvertit. ,Currus' enim ,imos' Vergilius Georg. I. 173 dixerat, ,propter morem ,provinciae suae, in qua aratra habent rotas quibus iuvan- ,tur', ut Servius annotat. Neque tamen ipsam quam protulit coniecturam *plaustrarati* (nam *plaustraratri* proponi falso Sill. Ian. retulerunt) probaverim, quum Plinius non de terrae aratione sed de aratri genere agat. Atque genetivum quem quaerimus, duabus litterulis mutatis

plaustrati

esse reperiemus.

176 = 19,49². 360

Sunt et hic suae leges.

Terrae generum varietatem in arando respici debere ait, *suae* autem quo referatur non habet. Itaque scribendum est: *sunt et his suae leges*, item §. 192 e codice a non *et hic leges sunt propriae* sed *et huic l. s. p.*

188 = 22,51. 361

— — fons abundat largus quidem sed et certis horarum spatiis dispensatur inter incolas.

Dittographia expulsa scribe: *sed certis* rel. §. 190 e cod. a *Orge* lego *Orgae*, (nomine) ut fons Orga appellari videatur. §. 191 Strackio assentior *saritur* scribenti loco vulgatae *seritur*.

193 = 23,54. 362

Autumno aliquid saturus Septembri mense fimum inaret post imbrem rel.

Non de inarando sed de disponendo fimo agitur, itaque cum codd. legendum est *inarcuet* i. e. acervatim ponat (*inarguet* litteris c et g, ut fit, permutatis).

Iustum est vehes octodecim iugero tribui, di-

spergere autem prius quam arescat aut iacto semine; si haec omissa sit stercoratio, sequens est, priusquam sariat, aviarii pulvere.

E Columellae loco II. 16 Plinium emendandum esse et Harduinus et nuper Ianus bene intellexerunt, quorum alter quae ad sententiam necessaria sibi videbantur, violento impetu infarsit, alter unum vidit egregie, ab Harduini interpolatione non cavit. Columella auctore Plinius et tempestivam stercorationem et satione iam facta secundam rationem commendat, ‚ante quam sarias more seminantis ex aviariis pulverem stercoris per segetem spargendi.‘ Priorem rationem codicum lectione *ares* significari Ianus optime animadvertit: quae sequuntur ad alteram spectant: *aut* (quod non opus est ut cum Iano in *at* mutetur) *iacto semine*, *si h. o. s. s. s. e. priusquam sariat* (*seriat* a) *ante pulverem.* His ultimis verbis Hard. ad sensum recte (cf. XVII. 50) *aviarii pulvere* substituit, quod ubi admiseris, cum Iano *sarias* scribas oportet. Verum quomodo haec verba construantur nescio, neque quidquam dissimilius reperio vocibus *ante* et *aviarii.* Scilicet eo peccarunt viri docti quod mutarunt, quae supplenda erant. Desideratur enim infinitivus verbi aptus a v. *sequens est*, quo accusativus *pulverem* regatur, intercidit autem uno versu XXVII litterarum omisso. Quem si non vere at probabiliter certe sic restituisse video, cum scribo:

aut i. s. s. h. o. s. s. s. e. priusquam sariatur e x a v i a r i i s s e m i n a r e p a r a t u m ante pulverem.

363 194 = 23,53.

Iustum est singulas vehes fimi denario ire in singulas pecudes minores.

Tricenos dies Columella II. 15 numerat, itaque Pintianus *die triceno* coniecit, Ianus ante v. *singulas* inserere

maluit *singulis mensibus*, *denario ire* autem quasi suppleta v. ‚digito‘ idem quod *computari* esse putat quod idoneis exemplis probari vellem. Interim haec verba ita dividere praestat ut ultimae prioris litterae ad alterum referantur expletaque lacuna scribatur:

diebus terdenis redire.

Contra §. 195 codicum scriptura *et in uno omnium definita generatio est* vulgatae *et — genere ratio est* haud dubie praeferenda est, quippe quae Theophrasti verba VIII. 11. 5 *βίος γάρ ἐστιν ἑκάστοις ὡρισμένος πρὸς γονήν* accurate exprimat. Num tamen omnino sincera sit, dubito et *uno omnium* in *universum omnium* mutari velim.

213. 14. — 25,57. 364

— occasum matutinum vergiliarum — Anaximander vigesimo nono (die ab aequinoctio tradidit fieri), Euctemon XLVIII.

X. XX. a, *XXXI.* schol. German., qui cum optimo codice (si tamen in libro plurimis vitiis contaminato de bonis codicibus loqui licet) nulla fere transpositione facta consentit: itaque numerus *XXXI* vulgata lectione praestat. Ultimorum verborum lacunam Boeckhius in libro doctissimo quo de universo hoc genere egit (über die vierjährigen Sonnenkreise der Alten) p. 86 recte sic explevit: *Euctemon XLIV*, *Eudoxus XLVIII.* §. 220 cum codd. a d *nocte* habeant, singularem *noctem* praefero itemque paulo ante *noctibus* in *nocti* mutandum esse arbitror, depravatum scilicet pluralium vicinitate.

231 = 26,62. 365

Democritus talem futuram hiemem arbitratur, qualis fuerit brumae dies — — item solstitio aestatem.

Verbum post *aestatem* puto excidisse, *declarari* vel *indicari*.

366 233 = 26,63.

— in lucubratione vespertina ridicas V, palos X, totidem antelucana.

antelucanum a, recte *antelucano* d, v. ‚tempore‘ omissa, (cf. §. 236) ut §. 207 e codd. Ianus scripsit *intercalario*. §. 234 cum schol. German. *quando* ante *Aegypto* legi oportet; nam *quo* quod in codd. a d scriptum exstat, ortum est e compendio *quō*, cf. var. lectt. ad §. 239; §. 235 cum codd. vulgata scriptura restituatur *et cum*, item *sentitur* e schol. German. §. 240 *platani* iam a Pintiano correctum est in *fraxini*, cf. XVII. 78, Columella XI. 2. 19 p. 426 ed. Bip. Ex eodem loco p. 426 idem recte §. 241 *trium foliorum* in *quatuor digitorum* mutavit (scriptum erat in arch. || *decorum* unde prava correctione factum est || *foliorum*).

367 243 = 26,65.

Cato verna opera sic definit: scrobes fieri in seminaria, vites propagari, in locis crassis et umidis ulmos, ficos, poma, oleas seri, prata stercorari luna sitiente, quae rigua non erunt a flatu favonii defendi, purgari, herbas malas radicitus erui, ficus interpurgari, seminaria fieri et vetera sarciri; haec antequam vineam fodere incipias, itemque piro florente arare incipias marca harenosaque. Postea uti quaeque gravissima et aquosissima, ita postremo arato.

Talem locum exhibuit Sill. e Schneideri, Pintiani aliorum coniecturis quae tribus Catonis locis cap. 40, 50, 131 nituntur, eumque Ianus in universum secutus est, melius tamen e Catone *seminariis* (codd. *seminaria*) scripsit. Quibus cum in ceteris assentior, tres locos aliter constituendos esse ar-

bitror. Et primum quidem codicum lectionem *interpungari* servari miror, optime a Pintiano correctam. Quod enim Cato cp. 50 ‚ficos' ait ‚interputato', Plinio necessaria emendatione *interputari* redditur. Tum non a flatu favonio defenduntur, sed ‚ubi favonius flare coepit, stercorantur.' Postremo mutata structura *incipias* et *arato*, ita ut Sill. Plinii verba refinxit, quo referantur non habent, recepta codicis a lectione *idemque* sc. ‚Cato ait' optime intelliguntur. Nihil enim saepius fere fit, quam ut insequente auctoris alicuius sententia verba dicendi omittantur, cf. Grasberger p. 17. Legendum est igitur:

Cato v. o. s. d: s. f. seminariis, v. p., i. l. c. e. u. u. f. p. o. s., prata stercorari luna sitiente quae rigua non erunt a flatu favonii, defendi, p., h. m. r. e., f. interputari, s. f. e. v. s; h. a. v. f. incipias; idemque.

247 = 26,66. 368

XIV. kalend. Maias Aegypto suculae occidunt vesperi, sidus vehemens et terra marique turbidum, XVI. Atticae, XV. Caesari, continuo quatriduo significant, Assyriae autem XII. kalend. Mai.

Ultima verba aeque ad praedicatum *occidunt* referri particula *autem* demonstrat. Itaque quae legitimum verborum ordinem interrumpit linea XXVII litterarum suo loco reddetur, cum legetur:

s. v. et terra marique turbidum continuo quatriduo significat singulari numero e codd. recepto, atque re vera XI. kal. Mai. serenitas reddi dicitur proxima sententia, haud dubie a Iano e codd. recte constituta.

249 = 26,66. 369

dedecus — habetur opprobriumque meritum falcem ab illa volucre (cuculum dicit) in vite de-

prehendi, ut ob id petulantiae sales etiam cum primo vere ludantur; auspicio tamen detestabiles videntur.

Nequaquam intelligo cur codicum lectio etiam a Sill. et Iano spreta sit, namque ‚sales qui luduntur' mihi quidem tantopere displicent ut si scriptum in codicibus reperirem, de coniectura cogitarem. At nihil tale in codicibus exstat: ad unum omnes *laudantur*, atque *et ob id* omnes praeter d praebent: idque verissime. Omnis enim vitae lepos et summa hilaritas laborumque requies sales appellantur (XXXI. 88); itaque mirum non est eos statim a primo vere laudari, cum praesertim industriam diligentiamque agricolarum opprobrio merito excitent, quo qui iusto tardius opera faciunt cumulantur. Accedit quod sic tantum adversativa particula in proximo sensu locum habet. Cuculi enim in re rustica laudabiles, in auspiciis detestabiles videntur. Restituta igitur codicum scriptura legimus:

et ob id pet. sal. etiam c. pr. v. laudantur.

370 258 = 28,67.

Prata — — relinqui debent in laeto solo vel umido vel riguo, eaque aqua pluvia rigari via publica.

Via publica aquam pluviam non uti constat, neque ea sola prata rigari, itaque alterum genus aquae ultimis vocabulis describi consentaneum est. Iam vero prata aut siccanea aut rigua esse Columella docuit II. 17, cf. Cato cp. 8. Et siccanea quidem idcirco appellantur, quoniam praeter pluviam nulla aqua opus habent, rigua autem influentes rivos desiderant. Illa Plinius in umido solo collocat i. e. in sucoso, haec in riguo, ubi fenum irrigatum aquis eliciatur: sequitur, ut ad prius genus aqua pluvia referatur,

ad alterum rivi qui ex aquarum ductibus influunt, e castellis privatis, in quibus iure aquae impetratae a privatis colligebantur, de quo iure multa apud Frontinum reperies, ab Iordansio in libello, quo de publicis urbium Romae et Constantinopolis aquaeductibus egit, anno MDCCCXLIV diligenter explicatae. Itaque apud Plinium vitio quod e vicina voce *pluvia* irrepserat sublato legatur oportet:

— *eaque aqua pluvia rigari v e l publica.*

259 = 28,67. 371

Herba — — pessima nummuli — invisa et equisaetis est.

Nostrum locum Plinius XXVI. 132 his verbis respicit: ‚equisaetum hippuris Graecis dicta et in pratis vituperata nobis'; itaque neutrius generis genetivus *equisaeti* restituendus est.

261 = 28,67. 372

Falcium ipsarum duo genera: Italicum brevius — Galliarum latifundia maioris compendii; quippe medias caedunt herbas.

In vulgata lectione et verbum desideratur et genetivus displicet, corruptumque locum esse codicis a scriptura *maioribus conpendia* efficitur. Neque tamen cum Silligio nonnulla verba excidisse putaverim, cum una littera mutata scribi praestet:

Galliarum latifundia maioribus, compend i o quippe, medias caedunt herbas.

Particula enim *quippe* Plinius eodem modo utitur quo fere *scilicet* adhibetur.

262 = 28,67. 373

Itali feniseces una manu secant.

Italii fenum ex dextra una manu secant a, *Italus fenisex*

dextra una manu secat T d quod Ianus recepit, melius Sill., qui glossam verbis inesse vidit, at hanc in substantivo potius quam in adiectivo quaesiverim. *Italii* in cod. a a Plinio *Italici* scriptum esse indicat. Deinde ultima littera *e* vocis *exhalare* emendata scribo *exhalari matutino nebulam — certum est.*

374 263 = 28,67.

— in ipso pabulo non minus emolumenti est quam a feno. Armentorum id cura, iumentorumque progeneratio suum cuique consilium dabit, optimo maxime quadrigarum quaestu.

Verba *id cura* nullam omnino explicationem admittere Sill. animadvertit: quod vero ipse coniecit *fetura* cum praecedente sensu non satis apte coniunctum est. Durius etiam Ianus *armamentariorum id cura* nec satis concinne, quum *hi* vocabulis ‚suum cuique consilium' comprehendantur et de pecudibus, non de pecuariis agatur. Praestat leni remedio scribere:

armentorum i d e o *cura* rel.

§. 265 et 266 Ianus videtur emendasse.

375 288 = 29,69.

Equidem et solstitium VIII. kal. Iulias simili causa duxerim.

Cum a et schol. German. legendum est *in simili*, quo modo eadem praepositio XVII. 222 usurpatur. Alia eius usus exempla Grasberger. p. 60 attulit.

295 = 29,71.

376 Opera rustica huius intervalli . . . . aream ad messem creta praeparare, Catonis sententia amurca temperatam, Vergilii operosius.

ad om. in codd. a d (reliqui quid habeant non constat) de-

est, bene igitur Sill. Ian. *in messem* scribunt. Deinde in cod. a *creta* omittitur, quo errore ad fidem scriptoris vindicandam uti licet. Quum enim Cato op. 129 amurca ut adhibeatur suadeat, Vergilius Georg. I. 179 cretam quae apud illum ne commemoratur quidem, commendet, apparet vocem *creta* in a omissam, in d et qui eius similes sunt codicibus e margine in praeposterum locum receptam esse. Legendum est igitur:

aream in messem praeparare, Catonis sent. am. temp., Vergilii operosius creta.

296 = 30,72.

Galliarum latifundiis valli praegrandes dentibus in margine infestis duabus rotis per segetem impelluntur. 377

Ablativum loci apud quemvis alium scriptorem corrigerem, Plinio relinquo, cf. Grasberger. p. 54, at v. *infestis* minime huic loco aptum et facillima emendatione in *insertis* mutandam esse censeo.

330 = 33,76. 378

Qui feminas concipi voles in hunc ventum spectantes iniri cogito.

De septentrione loquitur ita ut sibi ipse contradicere videatur. Nam VIII. 189 ‚aquilonis flatu mares concipi dixerat, austri feminas‘ idemque §. 336 Aristotele auctore repetit. Quae cum consentiens antiquitatis fama sit (cf. Aristot. hist. anim. VI. 19, generat. anim. IV. 2, Columella VII. 4, Aelian. h. a. VII. 27), hoc quidem loco contrarium adseverari non potuit. Itaque Pintianus et Schneiderus ad Columellae locum *mares* scribi volunt: mihi alia ratio magis arridet. Vix enim mihi persuadere possum, locis tam propinquis eadem a Plinio bis proferri, quae hic leguntur cum iis quae mox sequuntur optime coniungi video. Itaque trans-

positione utendum esse arbitror duosque versus e margine praepostero loco in aliud ac par erat folium transmigrasse. Ita §. 336 de africo dicetur:

Qui feminas c. v. i. h. v. s. i. cogito, in hunc a coitu cum se pecus circumegerit, feminas conceptas esse scito.

379 334 = 34,77.

Praedoctus esto: alia robustis prosunt, alia infantibus.

Praedictos a, *Praedictus* T d. i. e. *praedictum* quod vocabulum non raro apud Plinium reperitur, cum alterum nusquam, nisi fallor, legatur.

380 341 = 35,78.

quamobrem et haec breviter attingimus — primumque a sole capiemus praesagia.

Orationis concinnitas postulat ut scribatur *attingemus.*

381 351 = 35,80.

Si ver et aestas non sine riguo aliquo transierint, autumnum serenum ac densum — facient.

Pro v. *densum* Hoffius in diurn. antiq. 1854 p. 701 recte *tersum* coniecit, *riguo* quod corruptum esse Sill. viderat, Ian. in *rigore* correxit, facilius mutabitur in *frigore*, cuius vocis prima littera ultima proximae *sine* absorpta est, finis in similitudinem in sequentis terminationis abiit. Supra cum ed. Dalec. *quarum* e cod. a lego, §. 337 vulgatam lectionem *etiam*, cod. d confirmatam, probo.

LIB. XIX.

Aliquanto locupletiore et meliore ad hunc librum emendandum instrumento uti licebit. Nam praeter cod. c non parvi faciendum insigni auctoritate Pseudo-Apuleii frag-

mentum de *remediis salutaribus* praecellit, quod litteris uncialibus saec. fere septimo scriptum a Salmasio primum adhibitum, nuper a Silligio vol. V. p. XXII accurate descriptum editum est. Eo autem gravis eius auctoritas constat quod ad alteram codicum Plinianorum familiam pertinet, cuius eximia specimina in Monii palimpsesto et in codice Bambergensi et in cod. A et in D² servata sunt. Maiore tamen cautione opus est, cum et alia interdum quam Plinius epitomator structura verborum utatur et foedissima a librario menda admissa sint. Itaque hoc fragmento in lib. XIX et XX ita innitemur, ut gravissima quae ibi reperiuntur vitia non curemus, ea autem quae a ceteris prorsus diversa praebet, fere praeferenda esse intelligamus, quae in chrestomathia p. 230 excerpta sunt ibi tantum respiciamus, cum meliora nos afferre putemus, quae vel a Sill. vel ab Iano emendata videantur, praetereamus. Ita §. 2 *aliquos* recte a Sill. scribi cod. D² comprobatur, ibidem §. 3 *Marinus* scribendum videri chrestom. p. 230 ego annotavi, numerum *post XV.* vulgatae *proxima* ideo praetuli, quod Valerius Marinus a. DCCCXXII. a Tacito hist. II. 71 commemoratur, itaque quindecim annis post Balbillum, praefectum anni DCCCVIII. i. e. anno DCCCXXIII. (ad Vespasianum) in Aegyptum profectus esse videtur. §. 4 Ianus e codd. c (*procellas ut*) et e T d bene scripsit *procellasve.* At §. 4 ex Apuleio corrigenda est. Legitur ibi

4 = 1,1.

herbam esse quae Gades ad Herculis columnas 382
septimo die Ostiam afferat;

ab Herculis columnis Apuleius multo elegantius habet.

10 = 1,2.

Sed Hispania citerior habet splendorem lini prae- 383
cipuum torrentis in quo politur natura.

Sic Sill. *Et ab his Hisp.* cum T d Ian. Apud Apuleium legitur *Sed in Hispania*, *Et Hisp.* in a, *Et ad Bisp.* in c; scribendum est: *Sed et Hispania* rel. In proximis codices aeque variant: *praecipuam* a c d, *praecipua* Thuan. Apul. legunt, *praecipuum* nullus. Apparet igitur *praecipua* cum *natura* coniungi.

19 = 1,4.

384 (asbestinum) nascitur in desertis adustisque sole Indiae.

Ita vulgo satis inconcinne, cum genetivus ab eo vocabulo quo pertinet altero ablativo separetur. Facilius et melius (glossa expulsa) Apuleius *adustisque Indiae locis.* §. 25 vellem in chrestom. p. 232 scripturam *candore* servassem.

27 = 2,7.

385 (spartum) laboriose evellitur ocreatis cruribus manu textisque manicis convolutum osseis iligneisve conamentis.

Recte Sill. hanc scripturam aperte interpolatam esse pronunciavit, nam quod *manu* cum verbo *vellitur* iungi monuit Ianus, nihil ad rem. Id ipsum est quod merito Sillïgio displicuit, neque enim opus erat ut manibus herba evelli traderetur neque commode fieri poterat ut inter duos ablativos eiusdem generis tertius diversissimus medius collocaretur. Neque tamen Silligio assentior qui v. *manu* delevit, et quia cruribus manus opponi puto, et quia in proxima voce *convolutum* novum mendum deprehendi opinor. Transposita igitur copula lego: *manuque textis manicis convoluta* (cf. XXV. 48) *in osseis* rel. Quae sint *conamenta* nescio: a

coni forma nomen habere videntur. *evellitur* Sill. recte e cod. a recepit.

§. 32 e codd. inserendum est *spatium* cum vulgata, namque apud Apuleium post ‚temporis' punctum ponitur, substantivum propter vicinam vocem ‚spartum' omissum est. §. 37 recte Pint. scripsit *accepta tantum riguis*, quod *οὐ πρότερον πρὶν ἢ γενομένης ἐπομβρίας* Theophrastus apud Athenaeum epit. II. p. 62 dixerat. Vox enim *tantum* in codicum-varietate *acceptam turriguis* vel *accepta turriguis* latet.

38 = 3,14. 386

Sunt et in fungorum genere Graecis dicti pezicae —

πέζις a Theophr. I. 6. 5 cll. Athen. epit. II. p. 61 appellatur, accusativus *πέζιας* apud Athenaeum vulgo legitur, in codicibus *πέζικας* et *πεζικάς* scribitur. E nostro loco apparet *) fungum a nominativo *πέζιξ πέζικα* vocari, itaque apud Plinium *pezices* restituendum erit.

41 = 3,15. 387

(laserpicium) apud auctores Graeciae evidentissimos invenimus natum imbre rel.

Theophrastum III. 1. 6 dicit, qui vetustissimus auctor fuit, evidens appellari nequit. Evidens enim est qui intelligitur non qui intelligit. Itaque *vetustissimos* littera *e* e proxima voce adsumpta corruptum esse affirmarem, etiamsi nulla codicum auctoritas accederet. Quod quum in codd. T d integrum legatur, eo certius recipiendum erit.

*) E §. 37 ‚tonitrua crebra, tunc nasci' colligitur, apud Athenaeum II. vulgatam lectionem *βρονταὶ* p. 62 b *σκληραί, τότε γίνεσθαι* perperam a Schneidero et Dindorfio in *βρονταί, σκληρὰ τότε γίνεσθαι* mutatam esse.

388 **43 = 3,15. (de eodem laserpicio loquitur)**

Post folia amissa caule ipso et homines vescebantur decocto assoque et elixo, eorum quoque corpora XL primis diebus purgante; vitia his omnibus.

Tribus rebus laserpicium utile esse praedicatur, foliis, caule et liquore qui et e radice et e caule capiebatur. Atque de foliis iam locutus erat Plinius Theophrastum VI. 3. 1 secutus, itaque ad caulem liquoremque describendum transit. Illo homines vesci ait ‚decocto assoque', ἑφθὸν ὀπτόν Theophrastus dixerat: consequens est ut proximis verbis de liquore agere videatur. Quod fit copula quae in codicibus non legitur expulsa, *elixo* enim ipse liquor indicatur. Adverbium *quoque* tertio loco movere nolim, quum insolitam verborum collocationem a Plinio adamari cognoverim. Hactenus vindicanda fuit codicum scriptura, in fine sensus corrigatur necesse est. Scilicet ultima vocabula hoc modo scripta exhibentur:

purgant eum his omnibus c.
purgante vitiis omnibus d.
purgante vitia his omnibus a.

Quae vitia inde orta sunt quod in archetypo semel scripta erat syllaba, quum duo inter se similes scribendae essent: *in* et *ui*; qua restituta correctisque iis qui inde ducti sunt errores laudum denique quae laseri in medicina summae XXII. 101 tribuuntur, memores totum locum ita restituemus:

Post f. a c. i. e. h. v. d. assoque, elixo eorum quoque c. XL p. d. purgante in vitiis omnibus.

Proximos sensus Ianus recte sic interpunxit, ut ante Sill. distinguebantur. Vellem etiam §. 44 vulgatam lectio-

nem *color* restituisset, in codd. Θ c e prima sequentis vocabuli littera corruptam.

47 = 3,17. (de rubia sermo est) 389

Spinosus ei caulis — — semen eius rubrum est. Quos in medicina usus habeat, dicemus suo loco.

rubrum Hermolai Barbari est coniectura, codices ad unum omnes habent *rubia*. Magnam autem Sill. collata Dioscoridis III. 150 descriptione corruptelam se reperisse putavit, quam ita fere correxit: *semen eius viride, tum rubrum, postremo nigrum est. Rubia quos* rel. At vero hoc est interpolare, non emendare. Modestius Ianus *rubrum est. Rubia quos* coniecit. At vero non rubrum sed nigrum fructum rubiae perfectum esse traditur a Dioscoride: itaque ante v. *rubia* nonnulla excidisse apparet, quae ad semen i. e. fructum pertineant. Deinde voce *rubia* color diversus contineri putandus est. Neque qualis fuerit difficile inventu erit, cum reputaveris, apud Dioscoridem legi *καρπὸν... πεπαινόμενον μέλανα· ῥίζα.. ἐρυθρὰ κ. τ. λ.* Haud dubie igitur Plinius scripsit:

semen eius nigrum est, radix rubra. Quos rel.

48 = 3,18. 390

(radicula) nascitur sativa ubique sed sponte praecipua in Asia rel.

Contraria sunt verba *sativa* — *sponte*, *ubique* — *in Asia* Itaque scribendum est *praecipue*. — Finem sensus Ianus emendavit.

49 = 4,19. 391

— antiquitas nihil prius mirata est quam Hesperidum hortos ac regum Adonis et Alcinoi, item pensiles, sive illos Semiramis sive Assyriae rex Cyrus fecit.

Quaerentibus nobis, quomodo Plinium ab incredibili errore, quo Cyrus Assyriae rex dicitur, liberemus, unus Apuleius viam monstrat, codices enim nostros e libro hoc quidem loco interpolato descriptos esse sponte intelligitur. Ex his igitur Apuleii verbis:

silue illossemiramis sive assyria ereagin syriis fecit

Sill. egregie quidem elicuit *Assyriae regina*, sed dum codicum et Apuleii lectiones temere contaminare studet, v. *sive* pone v. *regina* transposuit et v. *alius* excidisse ratus *Cyrus* in *Syrus* mutavit. Ianus autem Apuleium neglexit, in codicibus *Cyrus* e *Syrus* corruptum esse arbitratus est, credo, cum Assyriae regem nescio quem Syrum imperasse sibi persuasisset. Nos vero Apuleium summa fide sequemur. Assyriae i. e. Babyloniorum reginam nominasse putandus est (Assyriae enim nomine Babyloniam comprehendi vel VI. 117 et 121 efficitur), eamque nomine appellat, cuius ultima syllaba *ris* etiamnum exstat: reliquum est ut primas indagemus. Itaque neque de Aroite neque de Amuhia cogitari licet, quam e Syncello et ex Armeniaca Eusebii interpretatione novimus (cf. Niebuhr. opusc. I. p. 208), etsi eandem fuisse apparet, quae e Media Babylonem advenerat, Nebucadnezaris uxorem. Nam sive ab illa sive a marito hortos pensiles exstructos esse et Berosus apud Iosephum X. 11 et Diodorus II. 10 Pliniique aequalis Curtius V. 1. 35 tradiderunt. Aliud igitur nomen circumspiciendum erit, quod is qui in indice auctorum enumeratur, Herodotus I. 185 suppeditat, cuiusque prima littera cum praecedente vocabulo confusa exstat. Quid multa? legendum est:

sive illos Semiramis sive Assyriae regina Nitocris fecit.

Ceterum Plinius promissis non stetit, namque XXXVI. 94 de Babyloniorum hortis nihil retulit, scilicet praematura morte quominus opus absolveret praepeditus. Magno igitur argumento Apuleii excerptis, utut corruptis, maiorem in

re dubia fidem habendam esse demonstravimus, neque dubitabimus quin §. 50 *ex horto remisit* et *saturica* legamus. §. 52 Pintianus recte voculam *ne* ante *fabuloso* inseruit. §. 53. Ianus bene *medulla* scripsit.

55 = 4,19. 392

Servatur algor aestibus excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat.

Ferenda videretur molesta eiusdem fere vocis repetitio, si in codicibus reperiretur. Quum vero a *ligur*, o *ligura* d *ligora* exhibeant, necessario scribendum est:
servatur liquor aestibus rel.

56 = 4,19. 393

Nemo sacros Aventinosque montes et iratae plebis secessus circumspexerit: mox enim certe aequabit quos pecunia separaverit. Itaque, Hercules, nullum macelli vectigal maius fuit Romae clamore plebis incusantis apud omnes principes, donec remissum est portorium mercis huius compertumque non aliter quaestuosius censum haberi aut tutius ac minore fortunae iure, cum credatur pensio ea pauperum; is in solo sponsor est et sub dio reditus superficiesque caelo quocumque gaudens.

Sill. bene de loco difficillimo meruit, cum corruptum esse demonstraret eaque verba quae emendatione indigerent, designaret; nam Ianus qui verbi *aequabit* subiectum quod in sensu proximo superiore legitur *herba* esse voluit, quid tandem dixisse ei videretur Plinius, non declaravit. Id quoque praeclare a Sill. factum est quod ante *cum* voculam *quam* excidisse vidit. Cetera quae tentavit, bene a

Strackio refutata sunt. Et Strackio quidem omnino assentior cum *is* in *iis quibus* (seu potius *quis*) mutavit: illud improbo, quod voci *mox* audaci coniectura alteram *lex* substituit. Toto enim loco Plinius Vespasiani censuram laudavit, qua constitutum videtur esse ut levato vel sublato edulium vectigali (cf. Marquardt. antiq. III. 2 p. 208) certum quoddam tributum a soli possessoribus exigeretur, quod quale fuerit et quo usque permanserit ignoramus. Hoc enim tributo effectum est ut ea pensio quae pauperum in macello fuerat ab iis exigieretur in quorum agris olera macelli provenirent. ‚Tutius' enim tum census habebatur, cum ‚in solo sponsor' esset, ‚minore fortunae iure', cum non incerta navigatione sed ‚superficie' contineretur, ‚quaestuosius', cum eorum ‚reditus sub dio' i. e. palam et certo constaret. Quae quum omnia ad censum referantur, illa quoque quae plebei promittitur aequalitas ad censum spectare putanda est. Perficietur igitur huius loci emendatio a Silligio et Strackio inchoata, cum verbo *aequabit* suum subiectum reddideris et scripseris:

mox enim census aequabit rel.

394 58 = 4,19.

Horti maxime placebant, quia non egerent igni — — unde et acetaria appellantur, facilia concoqui nec oneratura sensum cibo et quae minime accenderent desiderium panis. Pars eorum rel.

In initio vocem *horti* genetivum esse Strackius recte animadvertit, ceterum praeter necessitatem *quia* in *quae* mutavit, quum ille genetivus ad v. *caules*, quae in superiore sensu legitur, referatur. Gravius mendum in fine sententiae ab uno Pintiano deprehensum est. Fieri enim non potuit, ut a panis desiderio prisci Romani cave-

rent: nam etsi pulte non pane diu utebantur, cf. Varro L. L. V. 105 et Plinius XVIII. 83, ad compendium quidem nihil intererat, utrum panis an pultis desiderium oreretur. At magnum inter ea olerum genera discrimen intercedebat quae Venerem stimulant, asparagos, raphanos, rapa dico, quaeque eam aut inhibent aut non concitant. Audaciore tamen Pintiani coniectura *veneris* est quam quae probetur: facilius et, nisi fallor, elegantius *desiderium* per se positum intelligetur, ut apud Horatium epod. 17. 80, quod dittographia proximi vocabuli corruptum, tum prava correctione interpolatum est. Legendum igitur esse censeo:

et quae minime accenderent desiderium. Pars rel.

61 = 4,22. 395

Quaedam iacent crescuntque, ut cucurbitae et cucumis; eadem pendent rel.

Recte Apuleius singularem *cucuruita* i. e. cucurbita scripsit, qui altero vocabulo confirmatur. Pluralis ex initio vocis *et* prodiit. §. 64 Ianus bene *olitoribus* non *olitoriis* legit e codicibus, quibuscum consentit Apuleius, cf. Columella XI. 3 p. 461 ed. Bip. In proximo sensu cum Pintiano et Schneidero legendum est *aut mulsa.*

67 = 5,23. (de cucumi loquitur) 396

— nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie —

Infra *colorem* commemorat, quare ex Apuleio inserenda videntur verba *colore aureo.*

71 = 5,24. (de cucurbitis agit) 397

Cortex viridi tener; deraditur nihilominus in cibis. Cibus saluber ac levis pluribus modis, ex his tamen qui perfici humano ventre non queant sed intumescant.

Ita Sill. e codice T, quem tamen in fine *sed non* scriptum habere putaverim. Ceterorum magna est varietas. Habent enim *cibus saluber ac lenis* c d, *saluber hic lenis* Apuleius, *cibos salubres* a c *lenes* a

existimant a c, *sed sexis* Apuleius
non queant a c d, *nequeant* Apul.
sed c *sed non* a d Apul.

Atque vetustum vitium iam in primis exemplaribus fuisse reapse intelligitur: quomodo enim cibus, ,qui perfici nequeat' saluber appellatur? Quem a Chrysippo medico damnari XX. 17 traditur, hoc quoque loco improbari particula *tamen* evincitur. Atque id quidem levius quod v. *non* in plerisque codicibus male inseritur. Nam quae non concoquuntur, intumescunt in alvo' (cf. XXII. 136). Maius autem illud quod relinquitur mendum inde ortum est quod verborum ordinem librarii perturbarunt perturbatumque variis modis restituerunt. Distinguatur enim oportet cortex in re medica utilissimus (cf. Dioscorides II. 161, IV. 185) et cibus ad vescendum plerumque noxius, in medicina non spernendus, cf. XXII. 14. Itaque deleta voce *cibus* vel *cibos* reliqua sic ordinanda erunt:

Cortex viridi tener deraditur (τὸ ξέσμα apud Dioscoridem)
saluber ac lenis pluribus modis; nihilominus in cibis tamen
existimant qui perfici — intumescant.

tamen retinui ex Apuleio, quod cum v. *nihilominus* etiam XVII. 118 coniungitur, *existimant* e melioribus codd. recepi, cum praepositione *in* eodem modo iunctam, quo X. 133 legitur ,existimatus inter raras aves.' Cuius usus similia exempla a Grasbergero p. 12 collecta invenies.

398 **82 = 5,26.** (de raphanis sermo est)

Etiamnum unum silvestre Graeci agrion vocant, rel.

Ita vulgo legitur e Dioscoride II. 138: at vero longe aliud nomen in codicum corruptela *cherain* a c, *cheram* Θ, *ceram* T d latet, non *cherian* i. e. *χηρείαν*, quod Ianus dubitanter proposuit, sed *cerain*. Quippe disertis verbis Theophrastus IX. 15. 5 nominat *ἣν ἐκεῖνοι μὲν ῥάφανον ἀγρίαν καλοῦσι τῶν δ' ἰατρῶν τινες κεράϊν.*

87 = 5,26. 399

— Manium Curium imperatorem quem, Samnitium legatis aurum repudiaturo afferentibus, rapa torrentem in foco inventum annales nostri prodidere.

Prorsus non intelligo, quid Silligium impulerit ut optimam vocem quam in margine annotavit, in Plinii narrationem non reciperet: *hospitium* dico, quam ipsam Θ D[1] c exhibent, leviter T d in *hospitum*, a in *hospitio*, gravius quod mireris D[2] in *ab hostium* corruperunt. Illa enim voce, quam etiam Ianus neglexit, ante v. *repudiaturo* inserta ad rerum quoque memoriam aliquid addere licebit. Apparet enim Curius quum Samnitium quondam hostium tum iam clientium, ut Ciceronis de re publ. III. 28. 40 verbis utar, legatos exciperet in eo fuisse ut hospitium iis renunciaret: propter offensionem, opinor, quam Pyrrhi socii contraxerant. Ceterum paulo post §. 88 verba *staphylinos Graece dicitur* ut in omnibus libris editis reperiuntur, ita in quatuor illis codicibus quos ad hunc librum corrigendum adhiberi licet, desunt. Iidem v. *Graece* vel *Graeciae* alieno loco ante v. *seritur* conservarunt, quo insigni documento edocemur omnes ad unum exemplar idque a lacunis non immune referri. Unde vulgata lectio derivata sit, nescio.

95 = 5,30. 400

Genera Graeci haec fecere: bulbinen — aegilipa —

bolbinen e Theophrasto VII. 13. 9 atque ex eodem capite §. 5 *aegilopa*, quam vulgatam lectionem Sill. Ian. temere contempserunt, restituenda sunt.

401 **98 = 6,31.**

amplissima autem (radix) lapatho, ut quae descendat ad tria cubita; silvestri minor et umida, effossa quoque diu vivit.

Numerum corrigere non ausim, quoniam fieri potuit ut librarii, quibus scriptor ipse utebatur, numerum *τριῶν ἡμιποδίων* qui apud Theophrastum VII. 2. 7 exstat, perperam interpretarentur aut notarent (de quo errorum genere in chrestomathia p. XVIII verba feci)*), alterum tamen errorem eodem Theophrasto auctore interpungendo tollam, ut omnia praeter duas voces recte ad lapathum referantur:

a. a. l. u. q. d. a. t. cubita — silvestri minor — et umida rel.

402 **100 = 6,31.**

Folia — — maxime concava sunt cepae, gethyo.

Non *γήθυον* sed *γήτειον* nominatur a Theophrasto I. 10. 8 et VII. 4. 10, itaque scribendum est *getio* (*getyo* Apul. p. XXXII. ed. Sill. et d); idem valet de §. 105 et 107, ubi *getin* et *Genium* in a, *getyn* et *Gentium* in c d legitur.

101 = 6,31.

403 Cepae genera apud Graecos — Samothracia, Alsidena rel.

---

*) Ita §. 124 Plinius apud Theophrastum VII. 6. 3 non *μανόφυλλον* sed *μονόφυλλον*, §. 125 apud eundem VII. 4. 5 non *ὀπῶδες* sed *ποῶδες* transtulit, item §. 104. VII. 4. 9 non *οἶον* sed *ἴον*. At §. 120 lacuna codicum VII. 3. 3 simili modo expletur, quo Gaza in libro suo suppletam reperisse putandus est.

Alsidena, quod nomen Schneiderus ad Theophr. VII. 4. 7 recte corruptum esse dixit, deleta quae e proximo vocabulo arrepserat littera *a*, altera *n* in suum locum reposita, *l s* correcta in *Cnidia* mutabitur. Ibidem quod vulgo editur *corpus totum pinguitudinis earum cartilagine* praeeunte Sabellico Pintianus, Dalecampius, Schneiderus corrigere coeperunt, nos hisce Theophrasti verbis V. 1. 6: *ἔστι δὲ καὶ πολύλοπον ἡ ἐλάτη καθάπερ καὶ τὸ κρόμυον· ἀεὶ γὰρ ἔχει τινὰ ὑποκάτω τοῦ φαινομένου καὶ ἐκ τοιούτων ἡ ὅλη* comparatis ita restituimus:

corpus totum pingui tunicarum cartilagine.

§. 108. *panem* legere malim.

119 = 7,36. 404

Nudum semen apii, coriandri, aneti, feniculi, cumini.

Translata haec sunt e Theophr. VII. 3. 2 *κορίαννον δὲ καὶ μάραθον καὶ ἄνηθον καὶ κύμινον γυμνοσπέρματα*, ubi nullam apii mentionem fieri apparet. Atqui idem vocabulum ne reperitur quidem in Plinii codicibus uno fortasse Toletano excepto: plane omittitur in d, in c *et fi*, in a *et fit* exstat, quod facillime in *est* mutatur.

120 = 7,36. 405

Nihil ocimo fecundius; cum maledictis et probris serere praecipiunt, ut laetius proveniat; sato pavitur terra, precantibus ne exeat.

Verba Plinii iam in antiquissimis exemplaribus corrupta esse memorabili quae inter Apuleium, qui ita incipit: *ocimū cum*, et codices intercedit differentia comprobatur. Illum Sill. secutus est, ita tamen, ut quod apud eum invenerat, *pręcipium* corrigeret: codices a c d *ut* omittunt, vocis *precantibus* loco integrum sensum, *ad cacuminum qui serunt*,

precantur a d, *ad cauminum* rel. c, exhibent. Ad quos Ianus rediens vocem *ut* et ante v. *laetius* inseruit et ante *cuminum* litteris *ad ca* substituit. Ego vero Sill. eatenus assentior, quod quae in codicibus leguntur, interpolationi deberi arbitror, neque tamen cuminum a Plinio non commemorari putaverim. Scilicet Plinius duos auctores uno sensu imitatus est: Theophrastum qui VII. 3. 3 de cumino et Columellam qui XI. 3 p. 456 ed. Bip. de ocimo egit. Et ille quidem de cumino haec dixerat: *ἴδιον δὲ καὶ ὃ λέγουσι κατὰ τοῦτον· φασὶ γὰρ δεῖν καταρᾶσθαί τε καὶ βλασφημεῖν σπείροντας εἰ μέλλει καλὸν ἔσεσθαι καὶ πολύ.* Quae verbis Plinianis *cum — proveniat*, tam accurate respondent, ut his translata esse videantur. Itaque frequentissimo errore accidisse suspicor, ut propter utriusque vocis similitudinem *cuminum* ante alteram excideret. Columella autem de ocimorum satione haec praecipit: ,quorum cum semen *obrutum* est, diligenter inculcatur pavicula' etc., quae Plinius ita expressit: *sato pavitur terra* simulque superstitiosa carmina quae in hac quoque satione cantari solita esse a Persio IV. 22 docemur, commemorat. Quibus verbis eo quo pertinent transpositis ita cum utroque auctore scriptor conciliabitur:

Nihil ocimo fecundius; sato pavitur terra, precantibus ne exeat. Cuminum cum maledictis — proveniat.

§. 124. Brotierius *latiore* recte scripsit, §. 126 Ianus cum codd. *intubis*.

406 129 = 8,39. (de intubis loquitur) seruntur verno plantae eorum, ultimo vere transferuntur.

Aliquot menses ,inter lactucae semen plantamque' intercedere §. 130 traditur, quod quum etiam de intubo valeat, interpungendum erit:

seruntur verno, plantae eorum ultimo vere transferuntur.

132 = 8,40. 407

Eius (betae) quoque a colore duo genera Graeci faciunt, nigrum et candidius quod praeferunt.

A Theophrasto VII. 4. 4 *εὐχυλότερον τῶν τευτλίων τὸ λευκὸν τοῦ μέλανος* vocatur, itemque a Dioscoride II. 149, itaque quod apud Apuleium scribitur *candidum* recipiatur oportet.

135 = 8,40. 408

Sunt qui betas punica malo florente optime seri existiment — — Mira differentia — cum brassica corrumpatur in dolio vini sapor, odorem betae foliis demersis restitui.

Nihil aliud h. l. nobis agendum est quam ut codicum lectionem restituamus. Nam primum *punico* cum c d legendum est, quum et Plinius ‚punicum malum' semper appellet et Columella XI. 3 p. 458 ed. Bip., quem auctorem sequitur, de punico malo loquatur. Deinde manifesto non *odorem* sed cum Apuleio et c d *eodem* recte scribitur: neque enim sapore corrupto odor restituitur, sed sapor corruptus, cum *eodem* i. e. in idem dolium betae folia demerguntur.

137 = 8,41. 409

cyma a prima sectione praestat proximo vere.

cymam scribe cum Columella XI. 3 p. 453 et ipso Plinio §. 138, deinde ex iisdem locis *satione* quod apud Dalecampium incerta nota K affertur, leviter corruptum in *statione* in a exstat. 410

141 = 8,41. (de brassicae caulibus agit)

Nuper subiere Lacuturres ex convalle Aricina, ubi quondam fuit lacus turrisque quae remanet, capite praegrandes, folio innumeri rel.

Doctiorem quam ingeniosiorem Plinium fuisse non negaverim neque tam subacto elegantique quam probo et gravi iudicio eum polluisse ipse in chrestomathia p. XV sqq. declaravi: at vero tam inepte doctum eum fuisse, ut inter cauliculos turrim cum lacu exstrueret, tam confuse locutum esse ut turrim et fuisse et esse traderet, tam denique illitteratum fuisse ut verbi vim non perspiceret, etiamsi ad hunc diem nemo dubitavit, ego numquam ut credam adducar. Scilicet, ut ab eo, quod ultimum posui disputandi initium faciam, non *Lacuturrenses* (ita enim nomen e corruptela cod. c *Lacuturreses* restituatur necesse est) proprie dicebantur caules sed *Lacuturnenses* a Turni lacu, quem Columella X. 137 nominat, appellabantur. Quis *enim* a nescio qua turri lacum nominatum esse fando audivit, quis autem Turni nomen, Veniliae filii fratrisque Iuturnae cum ad illam regionem tum ad aquas pertinuisse ignorat? Inspiciatur modo, si tanti est, Prelleri liber de mythol. Rom. p. 684. Quod nomen quum vulgi imperitia usuque loquendi in ‚Lacuturrenses' abiisset, quo corruptionis genere etiam Columellae versus in nonnullis libris laborat, a grammatico aliquo male docto ad turres prope convallem Aricinam sitas relatum est, unde mons duarum turrium hodieque appellatur, de quo Nibbius in eo libro egit quem de suburbicariis regionibus scripsit (Analisi.. de' dintorni di Roma I. p. 554). Atque idem videtur fuisse, quem saeculo p. Ch. n. quarto Plinium emendasse et illustrasse subinde indicavimus (cf. n. 42. 116). Minime igitur mirum quod quae ille in margine adscripserat, a librariis in librum ipsum translata sunt. Idem §. 155 in eo codice factum est, quem Apuleius excerpsit. Ubi proverbium, cuius a Plinio mentio fit, hoc exemplo illustratur: *ut puta sic acris est nasturcio* (nam ita corrigi oportet menda librarii *putas* et *acrio*) dimidiato, ut videtur, versu e comoedia petito. Aliud glossema §. 167

ab Iano recte expungitur. Ceterum in fine §. 142 Ianus egregiam Sill. coniecturam *excedentibus* merito probavit. §. 151 *ὅρμινον* non *ὄρμινον* scribendum est. §. 153 Ianus emendavit.

156 = 8,45. (de ruta sermo est) 411

Auctoritas ei [et] peculiaris apud antiquos fuit; invenio mulsum rutatum populo datum a Cornelio Cethego in consulatu [collega Quintii Flaminini], comitiis peractis.

Sic. Sill. vulgatam lectionem *etiam — ei fuit* e codd. emendasse sibi visus est. Qui quum aut *et* (ita a d) aut *et et* (ut c) habeant, hic quoque Apuleii maior auctoritas valebit et dittographia spreta recte scribetur: *ei peculiaris*. Graviore vitio proxima laborant. Cethegi enim a. DLVII collega non T. Quinctius Flamininus fuit anni proximi superioris magistratus, sed Q. Minucius Rufus. Idem igitur h. l. accidit, quod iam n. 36, 58, 160 factum esse monuimus, ut unus consul a scriptore nominaretur, alter ab interpolatore adderetur, qui in illo genere non satis cautum se praestaret.

157 = 8,45. 412

Seritur surculo, — — — serit et se ipsa; — — Eadem et ocimo natura, nisi quod difficilius arescit; sed durata runcatur non sine difficultate, pruritivis ulceribus — — —

Nisi loci Theophrasti VII. 2. 1 et Columellae XI. 3 p. 457 quos Plinius his verbis reddidit, etiamnum exstarent, vix puto nos corrigendis pares futuros fuisse: nunc Sill. et Ianum ne e vulgata quidem ea retinuisse miror, quae cum Graeco auctore egregie consentiunt. Et in initio quidem *et* quod post v. *surculo* unus d omittit, recte ab Iano restitutum est,

tum *seri*, neque enim quod editur *serit* in codicibus reperitur, quippe quod quo referatur non habeat, delendum est; postremo rectissime vulgo ante Sill. edebatur *crescit*, nam *βλαστάνει* — *βραδέως* legitur apud Theophrastum. Gravissimum vero vitium unus Pintianus animadvertit et inemendatum reliquit: quae enim sequuntur non ad ocimum sed ad rutam pertinere hoc Columellae praecepto docemur: ‚Rutam — oportet runcari — — sed velata manu debebit ‚runcari: quam nisi contexeris, perniciosa nascuntur ulcera. ‚Si tamen per ignorantiam nuda manu runcaveris et pru‚rigo atque tumor incesserit, oleo subinde perungito.‘ Itaque in archetypo *rata* scriptum videtur fuisse, quod cum in *ruta* corrigendum esset in *durata* mutatum est. In fine denique quod Harduinus e coniectura novum vocabulum finxit *pruritivis* propterea non probandum videtur, quoniam a Columella inter pruritum, advenientis morbi indicium, et ulcera distinguitur, quae nisi statim ubi pruritum senseris, oleum adhibeas, superventura sint. Itaque hic ut in §. 162 a Sill. recte factum est, lacunam in archetypo fuisse suspicor, eamque e scriptura meliorum codicum *proritiuus* suppleri. Totum igitur locum ita restituo:

Seritur et surculo — — et se ipsa — — Eadem e. o. n. n. q. d. crescit, sed ruta r. n. s. difficultate, pruritu nascentibus ulceribus. —

In §. 159 versus XXVII litterarum, qui ab uno Apuleio servatur, merito a Sill. receptus est.

413 160 = 8,47.

condimentorum tamen omnium fastidiis cuminum amicissimum.

Locum ita mutilatum et corruptum esse pronuntiat Sill., ut ex nostris subsidiis restitui non possit. Scilicet codices habent *omnia que*, unde non id quod Ianus scripsit,

omnium aquae (neque enim aquam fere fastidit nisi qui morbo regio captus fuerit), sed una voce inserta efficitur: *omnium quae fastidiis medentur.* Interciderat enim in codice archetypo verbum, uti in §. 161 v. *prodest* in a c d deest. — §. 163 e variis coniecturis, quae a Strackio proponuntur, eam probo, qua ante v. *post* v. *et* inseri iubet.

166 = 8,51. (lepidium esse dicitur) 414

foliis lauri sed mollius; usus rel.

In a c d legitur *lauribus sed mollius*, unde, quia folia comparantur, conicio *lauri sed mollioribus.* §. 171 editores Harduini emendationem contemnere non debebant, qui *thapsi* e XXVII. 140 rectissime in *thlaspi* mutavit. Idem enim nomen et apud Dioscoridem II. 185 et apud Hesychium reperitur, qui etiam saurium nominat, Pamphilo auctore, ut videtur. Quem Menandri libro *βιόχρηστα* inscripto, inter auctores libri XXVII. commemorato, usum esse putaverim.

174 = 9,56. (de cannabi loquitur) 415

Optima Alabandica, plagarum praecipue usibus; tria eius ibi genera; improbatur cortici proximum aut medullae, laudatissima est e medio quae mesa vocatur, secunda Mylasea.

Mylasea cannabis post Alabandicam secunda est, cuius tria genera mese absolvuntur. Apparet igitur ante v. *secunda* plenius interpungendum esse.

175 = 9,56. 416

Ferulae duo genera in peregrinis fruticibus diximus; semen eius in Italia cibus est; conditur quippe duratque in urceis vel anni spatio. [Duo ea genera caules et racemi]. Corymbiam hanc vocant corymbosque quos condiunt.

Quo pronomen *hanc* referatur, nescio, neque enim ad caules neque ad racemos pertinet et ne ferulam quidem indicare potest, quippe cuius duo genera esse dicantur. Tum illa genera XIII. 123 *nartheca* et *narthecyam* vocaverat, itaque neque caules nec racemi commode appellarentur, etiamsi non absurde unum genus caulium, racemorum alterum distingueretur. Quae cum ita sint, si quid video, importuna scioli grammatici annotatione Plinius liberatur, cum verba illa eiéceris. Tum enim Italicam ferulam corymbiam appellat eiusque semina corymbos. De qua ferula cf. Columella XII. 7.

417 176 = 10,57.

et ocimum senectute degenerat in serpyllum, *et* sisymbrium in mentam, et ex semine brassicae veteris rapa fiunt — et necatur cuminum ab haemodoro.'

Prima verba ab Iano egregie e corruptela codicum *senec degenerat lute* a vel *senec degenerati uti* c d, qua omnes ex uno exemplari descriptos esse luce clarius redditur, restituta sunt; *mentam* Sill. e V. D. coniecturis scripsit, sicuti Theophr. II. 4. 1 εἰς μίνθαν dixerat, Ianus ea verba cum in a omitti, in c *zonnintam*, in d *zmintham* scribi animadverteret, hanc formam servare maluit, recte ut puto: fortasse enim ab eo librario, quem Plinius ipse adhibebat in Theophrasti libro aut legebatur aut audiebatur εἰς σμίνθαν. Proxima verba a Varrone repetita sunt, apud quem Plinius quum I. 40 ‚semen vetus‘ et ‚ex semine brassicae vetere‘ repperisset, et ipse *ex semine brassicae vetere* scripsisse putandus est. Denique *haemodoro* quod Sill. e codicum corruptela *imo dorso* et *uno dorso* sagaciter elicuit, codice Theophrasti VIII. 8. 5 Urbinate qui solus verba a Plinio translata integra vocemque illam bis scriptam exhibet, tam fir-

miter sustinetur, ut nesciam quid Ianum moverit, ut ad **vulgatam** lectionem *limodoro* rediret, cum rursus alter locus **Theophr.** de caus. pl. V. 15. 5 ex illo corrigendus esse **videatur.**

179 = 10,58. 418

remedium est apsinthi sucus .decocti inspersus vel sedi [quam *ἀείζωον* vocant]; genus hoc herbae diximus.

Ex Apuleio, quem codicibus utut vitiosum eo praestare arbitror, quoniam melioris familiae instar est, reponendum est *in remedio est*, quae lectio hic Silligii diligentiam fugit, deinde videndum relativum *quam* quo referatur, nempe ad v. *herbae*, femininum enim genus nusquam praeterea reperitur. Haec igitur verba *quam — vocant* olim super voce *herbae* scripta praepostero loco inserta sunt. Quae quum ad sententiam prorsus sint supervacanea, glossae interlineari deberi videntur, quam librarius non indoctus e XVIII. 159 repetiverit. Vitia proximae sectionis iam Pintianus emendavit.

185 = 12,60. 419

Quae sunt et silvestria, eadem in sativis sicciora intelleguntur et acriora.

Ita Sill. ex a c (et Gelenii codicibus); Ianus ad vulgatam codd. T d confirmatam tacitus rediit voculamque *et* recte omisit. Scilicet virorum doctorum nemo, si illum nescio quem exceperis, qui apud Dalecampium *iisdem* coniecit*), Plinii mentem perspexit. Hoc enim dicit Plinius, cum eiusdem generis et sativae et silvestres exstent, has sicciores et acriores esse. Quod e verbis Theophrasti VII. 6. 1 quae

*) *Veterem* enim Dalecampii codicem qui a Sill. K. nominatur, nullum esse iam I. p. 148 pronuntiavi. *et* autem in *M.* i. e. in cod. Cuiacii (Eos II. p. 356) defuit.

ab Harduino ita laudantur quasi cum eius lectione optime concilientur, manifesto elucet. *πάντα δὲ καὶ ξηρότερα*, inquit, *τῶν ἡμέρων καὶ ἴσως αὐτῷ τούτῳ τά γε πολλὰ καὶ δριμύτερα καὶ ἰσχυρότερα*. Quid igitur fieri oportet ne Plinius illius loci plane contraria dicere videatur? Una littera quae cum semel scribenda esset, levi errore repetita in praepositionem corrupta est, deleta scribatur:

Q. s. silvestria, eadem sativis s. i. e. a.

420 186 = 12,61.

Namque et sucorum saporumque dicenda differentia est vel maior in his quam in pomis.

Qui tandem maior differentia dici poterit quae aliquanto minor est? XIII enim saporum genera dum de pomis agit, XV. 106 enumeraverat, hic V tantum commemorat. Scilicet Plinius non haec scripserat quae vulgo e codicibus leguntur, sed ea quae apud Apuleium, non quem h. l. interpolari a Sill. video, sed verum integrumque vol. V. p. XXXI leguntur:

dicenda differentia est in his sicut in pomis.

421 Sunt autem acres cunilae, origani, nasturtii sinapis. — — acuti thymi, cunilae, acuti et odorati rel.

Cunilae nomen alterutro loco corruptum esse apparet: iniuria tamen priore Sill. sollicitavit qui nomen herbae ignotae latere suspicatur. Nam quae Theophrastus I. 12. 1 dixerat *οἱ δὲ δριμεῖς οἷον ὀριγάνου θύμβρας καρδάμου νάπυος* ea Plinius ad verbum transtulit ita ut thymbram cunilam appellaret, cf. XIX. 165. Contra altero loco non *cunilae* legendum est (*cuniculae* d), sed *cunilaginis*, cuius vocis ultimae litterae cum primis vocabuli *acuti* coaluerunt. Conyzam enim feminam XXI. 58 acutiorem vocat, eandemque cunilaginem esse XIX. 165 tradit. In proximo sensu Apu-

leium cum Sill. sequi malo quam cum Iano codices, item §. 187 *semine* ab Apuleio et Sill. recte omitti censeo.

LIBER XX.

Ad hunc librum emendandum praeter Apuleii excerpta, Θ a Dalecampio, T ab Hispanis collatum, et a d inde a §. 186 codice Vossiano uti licet, de cuius auctoritate Detlefsenius in museo Rhen. XV. p. 273, 373 sqq. accurate egit.

2 = 1. 422

— adamanta opum gaudium —

adamatarum Θ a d, *adamantarum* T, i. e.

adamanta, *r a r u m opum gaudium.*

Rarum enim adamantem fuisse Plinius XXXVII. 55 refert. §. 3 Ianus praeclare emendavit *conditur*, nam *τιθέασι* est apud Theophr. IX. 14. 2.

8 = 1,3. 423

Aliqui etiam scorpionium cucumim vocant, efficacissimo contra scorpionum ictus et semine et elaterio. Ad purgandam utrique alvum modus portione virium — — —; illitum anginas et arterias cum melle aut oleo vetere sanat.

scorpionum a idem. sc. vocabulum quod paulo supra legitur, *scorpionem* recte d; illa enim herba *scorpio* appellatur XXII. 39 et apud Theophr. VI. 4. 2. Proxima verba Ianus recte distinxit copulamque e codd. restituit. Vellem etiam adverbium *utrimque* ex Apuleii scriptura *utrĩq*; recepisset. Elaterium enim a Dioscoride IV. 152 *τὴν κάτω καὶ τὴν ἄνω κάθαρσιν* excitare dicitur. Sequitur, melius cum d et vulgata scribi *efficacissimum.* Ex eodem Apuleio (*proporcionem* habet) praepositio *pro* repetenda est; deni-

que Ianum male ad vulgatam *et oleo* rediisse, quam Sill. Apuleio auctore in *aut oleo* mutaverat, eodem Dioscoridis loco efficitur, ubi *συναγχικοῖς διάχρισμα πρακτικὸν μετ' ἐλαίου παλαιοῦ ἢ μέλιτος* appellatur. Quum igitur ubique Apuleius codicibus nostris praecellere videatur, etiam in iis quae ferri poterant sequendus erit: itaque non *scorpionum ictus* sed *scorpionis ictum* eo magis scribo, quod Plinius l. l. singulari *animal* usus est. Quae cum ita sint, haec a Plinio scripta esse censeo:

Aliqui e. scorpionem cuc. v., efficacissimum c. scorpionis ictum et semine et elaterio et a. p. utrimque alv; m. pro portione v. — i. a. e. a. c. m. aut o. v. s.

Ceterum leviorem minoremque differentiam, quae tum verborum ordine tum particulis vel casuum terminationibus continetur, futuro editori relinquam: equidem non omnem commemorabo, ne mihi et lecturis taedium minutiarum oboriatur: ne in iis quidem locis immorabor, quos Sill. Apuleium secutus emendavit saniore, opinor, sententia quam Ianus, hic enim severius quam par erat de illis excerptis iudicavit. §. 14 e margine codex a inscriptionem capitis ‚de eius medicina' recepit. §. 17 *recentes podagras* cum Sill. etiam invitis codicibus scribendum esse censeo, primus enim impetus morbi indicari videtur, cf. XXVI. 101. §. 21 vulgatam probo. §. 26 *autem et* legi malim. §. 34 cum Brunnio scribo *Ophion*, §. 37 *morbis contritum* e codd. varietate *morbis sit tritum, morbis sic tritum, morbis et contritum* (r) effici suspicor. §. 47 *ebrietatem* cum Apuleio vulgatae *ebrietates* praefero.

424 48 = 6,22.

Capitato (porro) maior est ad eadem effectus.

Ita Sill. e vulgata lectione. Codd. autem ad (nam de reliquis non constat) *maiores* et *effectu* legunt. Quae cum

aperte corrupta sint, quidni Apuleium potius sequamur qui scribit *c. p. maiora de eadem vis est.* atque scribamus:

c. maior ad eadem vis est.

51 = 6,23. (de alio loquitur). 425

Quin et suffitu [eo] evocari secundas partus existimat Hippocrates.

Alium potu cibo illitu vomitu prodesse tradiderat, nunc etiam suffitu utile esse narratur. Molesto igitur pronomine, quo duplices diversi generis ablativi cumulantur, eo facilius caremus, quoniam non alio sed suffitu alii secundae evocari dicuntur. Quod quum apud Apuleium non legatur atque e proximis litteris *euo* in codd. repetitum videatur, omnino delendum erit. Eodem auctore §. 52 passivum *gargarizari* vulgatae activo praefero, item §. 58 *eius* omitto, nam Plinius sicut §. 59 *genus est quod — vocant* scripsit, ita hic *genus quam caprinam vocant* dixisse putandus est.

65 = 7,26. (de lactucis sativis sermo est). 426

Stomachis dissolutis utilissime adiuvantur in eo usu et oxypori obolis.

Ita Silligius vulgatam lectionem *stomachi dissoluti utilissime adiuvantur: in eo usu* rel. e codicibus correxit, unum neglexit. Subiectum enim verbi ‚homines' esse ratus structuram sensus valde impeditam reddidit. Homines enim aegroti nusquam commemorantur, neque ‚utiliter adiuvari' bene dicuntur neque ‚is usus' qui sit intelligitur, contra optime et ipsae lactucae stomachis utiles hic ut §. 67 appellantur et in eo usu oxyporo adiuvari dicuntur. Scribendum est igitur:

Stomachis dissolutis utilissimae rel.

69 = 8,27. 427

candida beta cocta et cum alio crudo sumpta

contra taenias (efficax esse dicitur); nigrae radices ita in aqua coctae porriginem tollunt.

Quomodo tandem? scilicet ita ut candida, in aqua: at hoc non erat cur addita particula declararetur. Itaque in cod. d omittitur, melius in *item* mutatur.

428 Sucus eius capitis dolores veteres et vertigines — sedat.

Cur veteres tantum capitis dolores sedari dicantur, non intelligo neque apud Dioscoridem II. 149 aliud quidquam praeter hoc *καθαίρει κεφαλήν* reperio. Hic quoque cum Apuleio *capitis dolorem et vert.* scribo, dittographia, ad quam substantivi numerus accommodatus est, deleta.

429 72 = 8,28.

Est et beta silvestris quam limonion vocant, alii neuroides, multum minoribus foliis tenuioribusque ac densioribus, undecim saepe, caule lilii.

Talem locum corruptissimum Sill. Ian. dederunt. Et minor quidem ea diversitas est quae nominibus Graecis continetur, etsi equidem non video, cur non e lectione Apuleii et cod. Θ *leumonium limonium* potius quam *limonion* legamus atque e magna omnium corruptela litteram *m* retineamus et *neuroidem* scribamus. Verum multo gravior in proximis verbis error occurrit. Quum enim Dioscorides IV. 16 de eadem herba haec tradiderit: *τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὅμοια τεύτλῳ, λεπτότερα δὲ καὶ μακρότερα καὶ πλείω* (sive potius, ut est in Aldina editione, *δέκα ἢ πλείω*), Plinius eadem folia non potuit *multum minora* appellare. Accusativo enim non offendor simili loco XV. 68 comparato. Atqui apud Apuleium *longe minorib*; scribitur, syllaba *mi* tam obscure ut a Dübnero legi nequiverit, unde *longioribus* efficitur. Deinde idem non *saepe* sed *fe* scripsit cum syllaba iisdem

sordibus oblita, i. e. *fere*. Ultimum vocabulum e codice Murbacensi, de quo cf. Sillig. vol. I. p. XXIV, restitutum est a Cornario, nostri codices *caulium* habent. Legendum igitur esse censeo:

E. e. b. s. q. limonium v., a. neuroidem, longioribus f. t. a. d., u. fere, c. l.

§. 73 haud dubie non *ambulam* sed *ambubaiam* cum Rigaltio scribi oportebat, quum idem nomen et apud Celsum II. 30 et in indice libri nostri leviter corruptum reperiretur.

90 = 9,35. 430

Ex omnibus brassicae generibus suavissima est cyma, etsi inutilis habetur, difficilis in coquendo et renibus contraria.

De usu medicinae, non de culina loquitur Plinius cymamque non propterea vituperat, quod coctu, sed quod concoctu difficilis sit, *κακοστόμαχον καὶ κοιλίας ταρακτικόν* appellatur a Dioscoride II. 146. Sicut igitur XXIII. 151 fructum ‚difficilem concoctioni', vocat, ita hic brassicae cyma est

difficilis concoquendo.

Ibidem:

in vicem psilotri evulsis illitus pilis nasci alios prohibet. 431

Non *in vicem* sed *inter* codd. a d habent, itaque scribendum videtur *instar psilotri*.

93 = 9,36. 432

Folia habet una, rotunda, parva, levia etc.

Ianus *ima* legit, verum omnia brassicae silvestris folia eiusdem generis sunt. Hard., quem Sill. sequitur, vocabulum *una* pluralem numerum esse arbitratur et unius generis esse

vult, de quo pluralis usu dubito. Equidem interpunctione deleta folia una i. e. simul rotunda, parva levia appellari puto.

433 95 = 9,36.

Virium brassicae unum et magnum argumentum addemus ac mirabile.

Codd. T d *ammirabile*, a *admirabile*, quod ab Iano recipitur asyndeto non ferendo; vulgatam scripturam et a codd. MSS. alienam et propter verborum collocationem relinquendam esse apparet. Scilicet voc. *admirabile* nihil aliud est quam vocis *magnum* interpretatio, a sedulo scriba addita. Lacunam §. 97 Ianus bene explevit.

434 98 = 9,39.

Hoc fit ante solstitium diebus XLVIII; gypso deinde oblitus cadus ponitur sub tegulis totius diei solem accipientibus; post eum numerum dierum tollitur vas etc.

Etiam omnibus codicibus refragantibus ordinem verborum res ipsa flagitaret ita restituendum esse, ut dierum numerus qui in fine sensus commemoratur, cum initio coniungeretur. Nunc ipsum cod. Θ secutus lego:

gypso — accipientibus; hoc fit — vas.

435 103 = 9,40.

Lentiginem cum vino aut cum cucumi cocto (illiti emendant bulbi).

Neque cum cucumi neque cum cumino, quod Iano placuit, quidquam illinitur, nisi liquore aliquo adhibito. Cuius nomen e codicum vitiis *cum cucumi cocto* Θ, *cucumi cocto* a, *cum cumino*, *cumino cocto* d tum eruitur, cum deletis quae bis scribuntur litteris eas quae in melioribus corruptae, in deterioribus interpolatae sunt *cumicocto* consideraveris et cum Dioscoridis loco II. 200 comparaveris.

Qui sic scribit: *φακοῦς σὺν μέλιτι ἢ ὄξει* (*καθαίρουσι*). **Pro melle vinum Plinius nominavit, alterum nomen haud dubie restituendum est, et pro *cum icocto* legendum**

cum aceto.

In §. 109 neutrius editoris sententiam totam probo et ab Iano eatenus tantum dissentio, ut *radice — pota* coniungam libero illo ablativi absoluti usu quo Plinius in primis delectatur.

113 = 11,42. 436

non aliud — in maiore sententiarum varietate est. Distinguitur sexu etc.

Ita Sill. Gelenii codices secutus scripsit. Cod. a habet: *auctoritas est distinguitur*, cod. d *varietas distinguitur*. In utroque libro unum vocabulum excidit, nam lacunosos esse codices etiam §. 117 comprobatur, ubi *palmum* in T a d deest. Scribendum erit:

varietate est. A u c t o r i t a s distinguitur —

marem enim innocentiorem esse paulo infra legimus.

113 = 11,44. 437

De apio duorum medicorum, Chrysippi et Dionysii, sententiae exponuntur, quorum alter feminam *vermiculos gignentem* appellaverit. Tum ita pergitur:

ambo neutrum ad cibos admittendum, immo omnino nefas; nam id defunctorum epulis feralibus dicatum esse, visus quoque claritati inimicum; caule feminae vermiculos gigni ideoque eos qui ederint sterilescere etc.

Non idcirco sterilescunt, quia vermiculi gignuntur caule feminae, sed quia eo vesci nefas est. Itaque quae hanc sententiam impediunt verba *caule — gigni*, prorsus illa quidem supervacanea, quippe quae idem repetant quod

iam antea dictum erat, delenda sunt manifesto, e margine olim indicis loco adscripta.

438 120 = 12,48.

De ocimo medici inter se dissentire traduntur, inter quos *Diodorus* in Θ a d r nominatur, idem ut videtur qui XXIX. 142 laudatur. Quem nescio cur vv. dd. *Diodotum* appellent, qui §. 77 commemoratur. Ceterum §. 119 cum Θ *censens* legere malim. §. 122 interpunctione sublata scribendum est: *choleris destillationes stomachi inhiberi*, nam eae cholerae propriae sunt, §. 123 *destillationes capitis* (nec *capiti*) cum a Dioscoride II. 170 *ῥεύματα* vocentur, ut XXII. 35 *destillationes ventris* legimus.

439 127 = 13,50. (de nasturtio). alvum purgat . . . visum compurgat, commotas mentes sedat.

Insolitum vocabulum e proximi initio huc irrepsit, quomodo v. *strumis* paulo supra in a male repetitum erat, et scribendum erit: *purgat*. Contra alterum vocabulum alterius similitudine absorptum est, quo restituto legendum erit: *album alvum purgat*. §. 129 S. l. scripserunt *capitis dolori contra ire*, codices interpolatos T d secuti: *dolore contrite* a exhibet, i. e. *dolorem contrito*. §. 138 *ante successiones quarum frigus intolerabile est* in cod. a legitur, quae *ῥίγη περιοδικά* apud Dioscoridem III. 45 appellantur; male vulgo *accessiones*. Ibidem *et crudam* et *ad cerebrum* e codd. recipiendum erat. §. 148 in corrupta codd. scriptura *impetu* vel *impetum siratione* vel *siriationem* medici nomen latere Hard. intellexit, qui de Sarapione cogitavit, Sill. Dalion coniecit; fortasse Erasistrati nomen restituendum est. § 149 codd. habent *et convulsa eius intus per se*, quae Ian. acute mutavit in *convulsae ius*. Verum *sucus* quod totius enuntiati subiectum est, idem est quod *ius*; tum non de lingua convulsa, sed de convulsis loquitur Plinius. Itaque dativo casu (cf. § 168) scribatur oportet: *et convulsis intus per se*. §. 158 *qualia* quae

est codd. a d lectio et ad nepetam et ad puleium referri videtur, cf. Diosc. III. 30 et 37; itaque nihil mutandum est. Ceterum haec et similia taedii plena si quandoque praetermittentur, non tam negligentiae cuidam meae tribui quam futuro editori relinqui velim. §. 169 Pintiano assentior.

177 = 17,69. 440

Optimum (Heraclium) Creticum; nam et iucunde olet; proximum Zmyrnaeum odorius etc.

Quum odore Creticum praestare dicatur, alterum non *odorius* sed *inodorius* esse sequitur, vocabuli autem initium fine proximi oblitteratum est. Inde a §. 186 magno auxilio cod. Vossianus erit, quo Gronovius optime usus est. §. 193 non *prenderit* sed temporum consecutioni accommodatus *prenderet* legendum esse arbitror.

207 = 19,72. 441

Alterum (papaveris) e silvestribus genus heraclion vocatur, ab aliis aphron, foliis, si procul intuearis, specimen passerum praebentibus, radice in summa terrae cute, semine spumeo. Ex hoc lina splendorem trahunt aestate. Tunditur in pila rel.

Theophrastum IX. 12. 4 et Dioscoridem IV. 67 auctores secutum esse Plinium e vitio apparet quo herbam lanariam *στρούθιον* (cf. XIX. 48) cum passeribus permutavit: reliqua igitur iisdem libris, e quibus sumpta sunt, emendantur. Et primum quidem non *aphron* sed *aphrodes* appellatur, ultima syllaba scripturae codd. V d *aphro* addita. Tum lina non aestate solum lavari constat, neque quidquam nisi haec *ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσι* retulit Theophrastus: itaque post v. *trahunt* distinguendum erit. Nam aestate non lana lavatur, sed papaveris semen colligitur:

ταύτης, Dioscorides inquit, *ὁ καρπὸς συλλέγεται, ὅταν τελείως ἁδρυνθῇ θέρους, καὶ ξηρανθεὶς ἀποτίθεται*; accuratius collectum tundi Plinius narrat. Scribendum est igitur:

— *semine spumeo. Ex hoc lina splendorem trahunt; aestate tunditur in pila* rel.

442 209 = 19,80.

Tertium genus est tithymalon — mecona vocant, alii paralion, — folio lini, albo, capite magnitudinis fabae.

Folia flos caput a Dioscoride IV. 162 plenius describuntur: eadem a Plinio enumerantur omnia. Nam quae *ἄνθη λευκά* Graecus auctor commemoravit, ea in codd. V T d vocabulo *folio* male repetito obscurantur, quo correcto legatur oportet:

folio lini, *f l o r e albo* rel.

§. 210 non *peplin*, sed, ut ante Harduinum legebatur, *peplion* Plinius nominaverat. §. 219 *Pythagorae*, §. 222 cum Salmasio *molochen*, §. 223 fortasse *at aculeos* scribendum est, Apuleius enim, qui paulo ante recte *seruntur* habebat, hic *ad ac.* exhibet. §. 227 vulgatam lectionem *ut* — *tradat* probo, voc. corruptum *curationis* cum editione Parisiensi vetere quam Gronovius inspexit in *cubitali* mutandum esse censeo.

443 231 = 21,85. (de lapatho loquitur)

est autem et silvestre quod alii oxalida appellant, sapore proximum, foliis acutis, colore betae candidae, radice minima, [nostri vero rumicem,] alii lapathum cantherinum, ad strumas — efficacissimum. Est et alterum genus fere, — oxylapathon vocant, — sativo id quidem similius, — sed acutiora folia ac rubriora rel.

Ut a minoribus huius loci vitiis ordiar, bene Ianus v. *fere* interpunctione mutata cum proximis verbis coniunxit; vellem Latinam terminationem Plinio e codicibus reddidisset. Nihil enim inter lapathum et oxylapathum in hoc quidem genere interest. Hoc quoque levius est quod Silligius animadvertit, ex Apuleii loco v. *sativo* restitui debere. Qui quum *saporem satiuu proximum* commemoraverit, haud dubie scribendum est *sapore sativo proximum.* Graviora menda partim idem Apuleius prodit. Meliorem enim ordinem hunc dedit ille: *lappatum siluestre oxallida a (ppυ) nostri rumicem. alicant herinam.* Necessario enim quae post v. *minima* sequuntur post v. *appellant* collocanda sunt. Verum ne sic quidem recte procedit oratio, molesta rumicis appellatione interrupta. Rumicem autem non silvestre lapathum sed sativum vocari Plinius ipse XIX. 184 tradiderat. Quod nomen quum a grammatico illo semidocto, quem iam saepius interpretem non criticum solum egisse vidimus, in margine adscriptum esset, in eo exemplo, unde codices nostri alterius familiae originem duxerunt, loco praepostero, in eo, quod Apuleius secutus est, recto inter scriptoris verba receptum est. Sequitur aliud vitium, in codice personato K ea quam Sill. et Ianus probarunt, interpolatione tectum, quod quomodo tollendum sit, iam Dioscoridis verbis indicatur. Qui quum II. 140 hortense lapathum a palustri oxylapatho diversum esse tradiderit his verbis τὸ δέ τι κηπευτὸν οὐχ ὅμοιον τῷ πρώτῳ, qui tandem fieri potest ut idem a Plinio oxalide etiam similius appelletur? *Sativo idem similius* in cod. a, *sativo item similius* in codd. V T d dicitur, dicendum erat *sativi dissimilius.* Denique ultima verba idem K corrupit: *et acutiora folia ac rubriore* cod. V, — *rudiore* Apuleius habet, unde recte Silligius quid Plinius scripsisse videatur collegit. Locum igitur misere habitum sic restituo:

e. a. e. s. q. a. o. appellant, alii lapathum cantherinum,

sativo sapore proximum, *f. a. c. b. c. r. m. a. s.* — *e. E. e. a. genus*, — *fere oxylapathum vocant*, — *sativi dissimilius et acutiore folio ac rubriore* rel.

§. 232 Apuleius fortasse recte ante v. *silvestria* addidit *sed omnia*. §. 242 idem non *viridis semen* sed *viridem semen* legit, quod cum contritis seminibus §. 241 opponatur, in *viride semen* mutandum itaque recipiendum est. *Nam* §.245 recte ibidem inseritur. §. 252 pro *inlini item*, quo concinnitati consulatur, scribere malim *illitum*.

444 253 = 23,94. (de meo).

nobilius Athamanticum vocant, illi tamquam ab Athamante inventum, hi, quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur.

Macedoniam Dioscorides I. 3 nominat, Athamaniae finitimam. Hanc igitur Plinius commemorasse putandus est. Quodsi Apuleium, qui primum nomen ita scripsit: *adamant. hic cum velata manichu*, ultimum *athamanta* (cf. Sill. V. p. XLI) presse sequimur, legendum esse intelligemus:

n. Athamanticum vel Athamanicum v. i. t. a. A. i. h. q. l. in Athamania r.

Finem sectionis a Silligio mirum in modum corruptum Ianus emendavit, unum praetermisit. Quum enim mei radices a Dioscoride ὑστερικαῖς τε διαθέσεσι καὶ ἄρθρων πόνοις prodesse dicantur, apparet apud Plinium non post v. *vitia*, ut vulgo fit, sed post v. *vulvarumque* sic distinguendum esse:

tormina et vesicae vitia vulvarumque, articulis cum melle rel.

445 254 = 23,95. (de feniculi suco).

Colligitur hic caule turgescente et in sole siccatur inunguiturque ex melle; [— ubique hoc est —]; laudatissimus in Iberia e lacrimis fit et

e semine recenti; fit et e radicibus prima germinatione incisis.

Primum insulsum descriptionis additamentum non a Plinio profectum esse vel grammatica necessitate evincitur. Namque neutrum genus quo referatur non habet, nisi forte de melle cogitaveris, quod a plantae descriptione alienissimum esse quis non intelligit? Tum a molesta verbi *fit* repetitione unus Apuleius cavit. Reliqua ex hoc Dioscoridis loco III. 74 non tam emendanda quam distinguenda sunt: *χυλίζεται δὲ καὶ τὸ σπέρμα — χλωρὸν ἔτι —— καὶ ἡ ῥίζα κατὰ τὴν πρώτην ἐκβλάστησιν. Ἐν δὲ τῇ πρὸς ἑσπέραν Ἰβηρίᾳ καὶ ὀπὸν ἀνίησιν ὅμοιον κόμμι.* Eodem Graeco auctore (nam Iberiam nominat) usus Plinius haec scripserat:

— — — *ex melle*, *laudatissimus in I. e lacrimis; fit et e s. r. et e radicibus* rel.

De proxima sectione Ianus bene meruit, in duobus tamen locis viri doctissimi iudicium probare nequeo. §. 256 ex Apuleii lectione *totu* restituo *potu*, §. 257 putidum glossema *venerem stimulant* quo proxima verba explicantur a Sillígio ex Apuleio receptum Ianus delere debebat.

263 = 23,99. 446

ita enim Glaucias scripsit rel.

ita enim cereae Glaucias adscripsit V.

ita et cerea Glatias adscripsit a.

Finem sententiae Sill. correxit dittographia *as ascripsit* deleta, initium facili mutatione emendare poterat:

ita certe Gl. a. (cf. XIX. 184, XXV. 9).

LIBER XXI.

In hoc libro cod. a destituti codice R denuo nos uti posse laetamur, cuius cum Vossiano excellentia ita certat,

ut neuter alteri praestare videatur nobisque e re ipsa liberum iudicium relinquat.

447 §. 1 et 2 mala vulgo interpunctione laborant. Quum enim cola *inenarrabili florum* — *subtilitate* et *sed ne pictura quidem sufficiente* rel. responsione cohaereant, sequitur quae media intericiuntur parenthesis loco prolata et uncinis includenda esse. §. 3 nescio cur S. I. bonam codd. optimorum scripturam *stroppos* reliquerint. — §§. 3—13 in chrestomathia p. 209 sqq. tractavi. Quod ibi omisi §. 12 initium ante Sill. emendatius scribebatur: unum addo, e *cod.* R. lectione *scripserem et* (*scripsere et* V) restituendum esse *scripserunt* *).

448 28 = 6,15.

Proxima ei (Calatinae violae) caltha est concolori amplitudine, vincit numero foliorum marinam rel.

concolori R., *et conculcari* V, unde Gronovius *et cochleari amplitudine*, quasi de remedio medicorum ageretur, Ianus novo vocabulo *conchulari amplitudine* elicuerunt, obliti scilicet coloris, qui praeter amplitudinem et folia ad comparationem pertinet. Deleta dittographia *cocolori* legendum esse apparet:

colore, *amplitudine.*

449 29 = 6,16. (de baccare).

quidam errore falso barbaricam eam appellabant.

Cur quaeso? quoniam apud Aristophanem tale unguentum commemoratur. At idcirco *barbarica* non est baccaris radix, *baccharica* esse potest, *βάκχαρις* enim a Dioscoride III. 44 vocatur.

---

*) Eandem coniecturam Mayhoffius p. 110 ann. 64 paulo dubitantius protulit.

30 = 6,16. 450

Simillimum ei combretum appellatur,

quod *brentum* appellandum erat, *βρενθίον* enim Athenaeus XV. 690 mentionem fecit. Scribe: *eidem brentum.*

haec sunt tantum; 451

Inter vocabula *sunt* et *tantum* litterae nonnullae propter similitudinem exciderunt, quibus restitutis scribendum est: *haec sunt unguenta tantum.*

36 = 7,18. (de rosis). 452

Acerrimus tamen odor omnium aestate media.

Post novellas vetustasque rosas non aestatem, sed aetatem mediam commemoravit Plinius; quod Sill., si Theophrasti quem laudat locum caus. pl. VI. 17 perlegisset, haud dubie intellexisset. *ἐν ταῖς ἀκμαῖς εὐοσμότατα* appellantur §. 3.

37 = 7,18. 453

— — ut buceros quod est fenum Graecum. Acutus odor non omnium sine suco est, ut violae, rosae, croco; quae vero ex acutis carent suco rel.

Emendationem huius sententiae Ianus inchoavit, codicibus et Theophrasti loco caus. pl. VI. 14 diligentius usus. Recte enim non de acutis sed de aquatis floribus Plinium loqui animadvertit. Tamen uterque editor quaedam praetermisit, satis inventu illa quidem facilia. Namque quod XXIV. 184 *buceras* nominatur, a Theophrasto §. 10 *βούκερας*, hic quoque restituatur oportet. Deinde vocabula *non omnium sine suco* proximis *quae carent suco* contraria esse apparet: itaque transpositione corrigenda sunt. Casuum varietate delectatus, ut solet, Plinius scripsit:

u. buceras q. e. f. g. Aquatis odor omnium non sine suco est, u. v. r. c. q. v. e. aquatis c. s.

Leve vitium §. 38 codd. R V sanatur, qui non *ut* sed *sicut cotonea* habent, ut paulo post *sicut tura*. Item §. 40 cum V scribendum est *odoratorum* sc. florum, cf. §. 45.

454 42 = 7,19. (de iride).

Effossuri tribus ante mensibus mulsa aqua circumfusa hoc veluti placamento terrae blandiuntur: circumscriptam mucrone gladii orbe triplici, cum legerunt eam, protinus in caelum attollunt.

Recte Ianus vulgatam lectionem *et fossuri* quae optimis codd. fulcitur retinuit, recte idem particulam *et* quae in codd. ante *cum* legitur, alteri respondere intellexit vocemque *eam* a codd. alienam expulit. Male tamen *circumscriptam* quae codicum lectio est cum ablativo commutavit. Nam et obiectum desideratur et necessaria cum Theophrasto congruentia. Scilicet ille IX. 8. 7 non terram sed iridem circumscribi dixerat: *τέμνειν δὲ ἀμφήκει ξίφει περιγράψαντα εἰς τρίς*. Quid multa? non mutatione sed transpositione verborum opus est hunc in modum:

Et fossuri t. a. m. m. a. c. h. v. p. t. b., et circumscriptam m. g. o. t. cum legerunt p. i. c. a.

In loco difficillimo §. 45 pro v. *nihil*, quod inutili coniectura in *mire* a Strackio mutatum est, syllaba quae in proximo vocabulo *cocco* latet, addita *conchylii* scribo. Conchylii gratia quem conchylii fucum Catullus appellat, omnino color purpureus est, a quo quod ‚proprie conchylium‘ dicitur §. 46 ut species a genere differt.

455 51 = 9,27.

Et fere peractis colorum quoque celeberrimis transit ratio ad eas coronas.

Non *ratio* transit sed *oratio*, quae XXVIII. 87 ‚festinat ab homine fugere‘.

§. 57 *docuimus* et *cum* scribendum esse conicio.

62 = 11,36. 456

(Nyctegreton — Democritus) praecipuam in Gedrosia narrat, erui post aequinoctium.

Plenius etiam interpunxit Ianus, puncto post v. *narrat* posito. At Plinius continua oratione dixerat:

p. i. G. narrat erui p. a.

64 = 11,38. (de violis). 457

proxime flammeum quod phlox vocatur, silvestre dumtaxat.

flox sos R (Omitt. V d). Loco XXVII. 44 ‚flos quem Iovis flammam appellavimus' (sic recte vulgo legitur) collato scribendum est: *phlox Dios.*

65 = ibidem. 458

e ceteris hyacinthus maxime durat et viola alba et oenanthe, sed haec ita si devulsa crebro prohibeatur in seminibus; renascitur locis tepidis.

Ita Sill. Ianus post v. *semine*, quod e codd. V d recepit, leviore signo apposito *haec* cum v. *renascitur* coniunxit. De oenanthe Theophrastus ita locutus est: *ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ οἰνάνθη — ἐάν τις ἀποκνίζῃ καὶ ἀφαιρῇ τὸ ἄνθος καὶ μὴ ἐᾷ σπερματοῦσθαι καὶ ἔτι τόπον εὔειλον ἔχῃ*, de renascente flore loqui neque ille potuit, quoniam non durat qui renascitur, neque qui eum ad verbum fere expressit Plinius quidquam dixisse putandus est. Immo contrarium protulit quod uno eoque facillimo errore correcto e cod. V restituere licet. In archetypo enim infinitivus verbi quo Graecum *σπερματοῦσθαι* circumscriptum erat, cum praepositione proxima ita coaluerat ut tertia praesentis persona existeret. Nam ita haud dubie Plinius scripsit:

— *s. h. i. s d. c prohibeatur in semine renasci, in locis tepidis.*

eodem verbo in re simili usus XIII. 42, XVII. 149. §. 66 cum cod. R. *coronari* legendum est.

459 67 = 11,39. (de potho).

duo genera huius: unum cui flos hyacinthi est; alteri candidus qui fere nascitur in tumulis, quoniam fortius durat.

Recte Ianus e codd. *alter* scripsit, ita enim Theophrastus VI. 8. 3 loquitur *ὁ δὲ ἕτερος ἄχρους λευκός* sc. pothos. Acute idem voc. *in* delevit, faciliore tamen et verbi quo Theophrastus utitur *χρῶνται* similiore coniectura *noscitur in* lego, quo sensu infra §. 92 *urtica maxime noscitur* reperitur idque eo confidentius, quod ibi quoque cod. V *nascitur*
460 habet. §. 68 vulgatam *liniae* corruptum esse librorum MSS. lectione *liliae* comprobatur: legendum est *laureae*; chamaedaphnes enim folia cum lauro comparantur XXIV. 132.

461 79 = 14,46.

(In Creta) mons est Carma VIIII M passuum ambitu.

Carma R d *Carina* Θ V, quod Ianus probavit. At vero talem montem eumque amplissimum aliunde non novimus, in orientali parte e Ptolemaeo III. 17. 5 et Stephano Byzantio urbem Camaram, in Geoponicis XV. 7 montem melle nobilem eumque alio modo *ἀκραμαμμωρίον* corruptum invenimus. Legendum est igitur:

mons est Camara

Chersonesi ut videtur vicinus.

462 80 = 14,47.

Alvos optimas e cortice, secundas ferula, tertias vimine, multi et e speculari lapide fecere etc.

Ita S. I. e Gronovii coniectura: at perfecto in descriptione alvorum locus non est, cum bene de rebus usurpetur

quae nonnumquam factae sint. Quidni igitur v. *est* suppleamus et in re universa singularem numerum e codicibus recipiamus:

Alvus optima e (*optime* codd.) *cortice, secunda f., tertia vimine; multi* rel.

90 = 15,53. (de cneco). 463

Differentia prima silvestris et mitior. Silvestrium duae species, una mitiore, simili caule, tamen rigido.. semen eius candidum,

mitiore S. I. e cod. R recepere, vulgo ut in cod. V legebatur *mitior est*: utrumque falso. Theophrastus enim, quem Plinius hic quoque interpretatus est, VI. 4. 5 *τὸ μὲν προσεμφερὲς σφόδρα τῷ ἡμέρῳ πλὴν εὐθυκαυλότερον* appellavit. Itaque perlevi aut nulla, si Salmasius e codicibus suis vera retulit, mutatione facta scribatur oportet:

— *una mitiori similis, caule tamen rigido.*

Candidum semen etiam Dioscorides IV. 187 vocavit, apud Theophrastum *μέλανα* legitur.

102 = 17,62. (de perdicio). 464

Crassas plurimasque habet radices, item ornithogale caule tenero, candido, semipedali radice, bulbosa, molli, tribus aut quatuor agnatis; coquitur in pulte.

Turpia aliquot vitia quae nullo negotio e Dioscoridis descriptione corrigi poterant, S. I. in hoc loco reliquerunt. Et Dioscorides quidem II. 173 haec habet: *ὀρνιθόγαλον καυλίον ἐστὶ τρυφερὸν, λεπτὸν, ὑπόλευκον, ὡς δισπιθαμιαῖον, ἄνω παραφυάδας ἔχον τρεῖς ἢ τέσσαρας* — — — *ῥίζα δὲ βολβώδης, ἐσθιομένη κ. τ. λ.* Vides igitur non radicis, sed caulis mensuram indicari, eamque trium dodrantium (cf. VII. 26) modum explere; tum eundem caulem

mollem dici ad eundemque *παραφυάδας* illas pertinere. Itaque triplici mutatione opus est: interpunctione correcta, emendato numero et unius versus XXVIII litterarum, quo fere ambitu archetypi singulae lineae continebantur, transpositione:

— *item o. caule tenero, candido, sesquipedali, molli tribus aut quatuor agnatis; radice bulbosa* etc.

120 = 18,72.

465 Obiter et odorati iunci medicinae dicentur, quoniam et in Syria Coele, ut suo loco retulimus (XII. 104), nascitur. Laudatissimus ex Nabataea cognomine teuchitis, proximus Babylonius, pessimus ex Africa ac sine odore, est autem rotundus, vinosae mordacitatis ad linguam. Sincerus in confricando odorem rosae emittit, rubentibus fragmentis.

Argumentationem merito a Sill. reprehensam neque quam idem proposuit coniectura emendari apparet — nam dum ut *qui in India et in Syria Coele* legatur suadet, novum errorem Plinio, qui calamum utrique regioni, iuncum uni Syriae attribuit, obtrusit — neque vocabulo *unguentis* quod Ianus inseri voluit — nam non de unguentis sed de medicina agitur. Immo ordine verborum restituto et hoc et quae praeterea huic loco vitia insunt corrigentur: quem mire perturbatum esse Dioscoridis descriptione comprobatur. Ille enim I. 16 *σχοῖνος*, ait, *ἡ μέν τις γίνεται ἐν Λιβύῃ, ἡ δὲ ἐν Ἀραβίᾳ, ἑτέρα δὲ ἐν τῇ Ναβαταίᾳ λεγομένῃ, ἥτις ἐστὶ κρατίστη· δευτερεύει δὲ ἡ ἀραβικὴ, ἣν ἔνιοι βαβυλώνιον καλοῦσιν, οἱ δὲ τευχῖτιν. Ἡ δὲ λιβυκὴ ἄχρηστος· ἐκλέγου δὲ τὴν πρόσφατον, ἔμπυῤῥον, πολυανθῆ, σχιζομένην δὲ ἐμπόρφυρον καὶ λευκὴν, καὶ ῥοδίζουσαν τῇ εὐωδίᾳ, ἐπειδὰν τρίβηται ταῖς χερσὶ, καὶ δάκνουσαν τὴν γλῶσσαν*

μετὰ πολλῆς πυρώσεως κ. τ. λ. Qua cum Plinii verbis comparata primum Syriacum iuncum non commemorari, deinde non Nabataeum sed Babylonium teuchitin vocari intelliges. Syria autem latiore sensu priore Plinii loco intelligitur, ubi Theophrastum IX. 7 auctorem sequitur, nostro loco Nabataeorum finitimae gentis nomen ei substituitur. Itaque eundem utrumque iuncum non diversum esse sententia illa quae post Nabataeorum nomen inserenda est, significatur. Deinde teuchitis necessario cum Babylonio iunco coniungitur. Postremo Plinius sinceri signa sapore odore colore contineri monuit: itaque quae apud Dioscoridem commemoratur mordacitas, apud Plinium vinosa non est sed acerrima i. e. virosa. Totum igitur locum in archetypo sententia quae ad v. *Nabataeam* pertinebat e margine ad v. *dicentur* male translata corruptum sic restituendum esse censeo:

— *dicentur. Laudatissimus ex Nabataea, quoniam — nascitur, proximus Babylonius cognomine teuchitis, pessimus — odore: e. a. rotundus, virosae mord. a. l.* rel.

In proximo sensu verba *et sanguinem* a codd. aliena e Dioscoride interpolata sunt.

139 = 20,82. (de crocomagmate). 466

— Magis excalfacit quam crocum ipsum; optimum quod gustatu salivam dentesque inficit.

Codicum scripturam qui voci postremae *magis* (VTd) vel *maxime* (R) praemittunt, immerito a Sill. spretam Ianus recte secutus est: eatenus ab eo dissentio quod non idem quod paulo supra legitur vocabulum *magis*, sed *maxime* (ἰσχυρῶς apud Diosc. I. 26) recipio.

145 = 20,84. (de polio). 467

Polio Musaeus et Hesiodus perungui iubent; — polium tractari — — portari, in vino decoqui

recens vel aridum illinique. Medici vel splenicis propinant ex aceto etc.

Ita Sill. voce *medici* e cod. R. recepta sed suo loco mota: illic enim ante v. *in vino* legitur. Ianus ad vulgatam rediit vocemque *vel* ante *splenicis* quae in omnibus codd. reperitur, omisit. At rectissime a Sill. intellectum est, medicos post poetas nominandos fuisse. Id quoque recte egit quod novum inde sensum incepit, at voce *vel* etiamsi id quod *adeo* significet inepte gradationem fieri ab insolito herbae usum ad vulgarem i. e. a maiori ad minus quis est qui neget. Scilicet quum vox *medici* in archetypi margine ad v. *vel* adscripta esset, a plerisque omissa, a cod. R librario pravo ordine addita est. Scribendum est igitur: *vel recens vel aridum illinique. Medici splenicis.*

146 = ibidem.

468 — Stomacho tamen inutile esse — — aliqui negant. Et religionem addunt etc.

Lacunam a Sill. deprehensam ita expleo:

allegant, aliqui negant et rel.

Ceterum in fine huius sensus *attingant* optime omnes libri MSS. habent de iis intelligendum qui polium invenerunt.

469 151 = 20,87. (de meliloto).

Idem effectus et ad vulvas; testes vero et sedem prociduam quaeque et alia ibi sint vitia recens ex aqua decocta vel ex passo.

Ut structurae labanti succurreret, Sill. varia mutavit, Ianus eum e parte secutus *ad testes* et *recente — decocta* scripsit. At vero codd. et accusativum praebent, utrumque V, priorem R, et vocem *ad* ignorant. Itaque multo tutius erit verba quae excidisse putanda sunt, tali fere modo supplere:

— *testes vero — vitia recentem — decoctam — sanare aiunt.*

§. 156 cum V² *olfactu* scribendum est (*olfactus* R d, *olfacto* V¹), ibidem *anhelatoribus* cum Pintiano; cf. Diosc. III. 38. §. 166 non *eo* quod fateor me non intelligere sed *in* scripserim, et Gronovio auctore *quiddam* e codicibus recipio.

179 = 31,105. 470

Innocentissimi auctores simpliciter dorycnion appellavere —; quo parcius insectabantur, manicon cognominavere; qui nequiter occultabant, erythron.

Primum cum Barbaro *qui* lego, cum nescio cur codicum lectionem *parcius*, cui Gronovius egregiam verbi proximi emendationem *insectabantur* accommodavit, S. I. spreverint. Et Sill. quidem gradationem quae Plinii verbis inest, omnino non comprehendit, quod autem Ianus acute coniecit *opertius* quodque corruptela pronominis *quo* commendatur, ferri quidem potest sed est librorum MSS. scriptura aliquanto debilius. Innocentes auctores strychnum simpliciter dorycnion i. e. venenum aliquod appellant, itaque nihil occultant; qui erythron vocarunt omnia celant; qui manicon nominant, insectantur quidem vim veneni, sed non satis acerbe, quum insaniam fateantur, mortem sileant.

Sed haec minora sunt, gravius corrupta aut interpolata quae proxime sequuntur: §. 180 medici vituperantur qui quum alterum strychni genus halicacabum, quo dentes colluerentur, commendarent,

180 = 31,105. 471

exceptionem addidere ne diutius id fieret, delirationem enim gigni eodem; monstranda remedia quorum medicina maioris mali periculum afferat.

Ita Sill. e T d; facillima mutatione e codd. R V qui *eodemonstranda* habent fiet via ab Iano monstrata:

— *gigni eo, demonstrando remedia* etc.

Quod quum improbet Plinius, ne de eo quidem genere loqui se velle profitetur quem innocentissimum et salubrem cibum Xenocrates laudaverat, qui *στρύχνος ἐδώδιμος* et *ἀξιαφθὴς πρὸς γεῦσιν* a Dioscoride appellatur IV. 71 et a Theophrasto quoque VII. 15. 4 e tribus generibus primus commemoratur. Hoc Xenocrates tertium genus vocasse putandus est; Plinius et ipse *tertium genus* appellat veneni horrore perturbatus, etsi a dorycnio, quod §. 178 *tertium* dicitur, diversissimum. Obiter moneo §. 177 fortasse ante v. *frutex* v. *alterum* excidisse. Hoc se Xenocrati relinquere ait §. 181 verbis quae a Silligio et Iano ita eduntur:

472 181 = 31,105.

Commendatur ergo in cibis tertium genus; licet autem praeferatur hortensiis saporibus et nil sit corporis malorum cui non salutares trychnos Xenocrates praedicet, non tamen auxilia eorum tanti sunt ut ideo plura de iis commemorare fas putem etc.

Quae cum praecedente sensu nullo modo cohaerent et partim coniectura nituntur. Codd. enim vocem *autem* non habent e corruptela cod. R *apraeferatur* a Sill. effictam. Pro indicativo in T d subiunctivus legitur, quo probato initium loci ita constituo:

commendetur ergo — genus licet ac praeferatur etc.

Finis egregie a Dalecampio emendatus est, codd. habent *id pitura non* R, *id pletura nos* V T d, *id pleiura nos* Θ, ut pronomen *nos*, quod Xenocrati opponitur, promptum ac paratum nobis offeratur. Haud dubitanter igitur lego:

ut ideo plura nos rel.

Neque hic corrigendi vel potius vindicandi finem licet facere. Quod enim §. 182 apud Sill. Ian. legitur:

Halicacabi radicem bibunt qui vaticinari callentesque vere ad confirmandas superstitiones adspici se volunt 473

id neque facile est ad intelligendum et a libris MSS. alienum, qui magno consensu *gallantes quo vere* habent, egregiam vocem reique quam maxime accommodatam. Qui vaticinari volunt et vere gallantes videri cupiunt, bibunt halicacabi radicem. Itaque lego: *gallantesque vere.* Iam vero manum de tabula!

LIBER XXII.

§. 1 cum Strackio *illarum* scribere malim.

24,25 = 8,11. (De glycyrriza sermo est). 474
praestantissima in Cilicia, secunda Ponto, radice dulci, et haec tantum in usu. Capitur ea vergiliarum occasu, longa ceu vitium; coloris buxei melior quam nigri etc.

Levius vitium S. I. codices plerosque secuti admiserunt, cum *hac* quod cod. R. exhibet in *haec* mutarunt: gravior est inepta glycyrrizae cum vitibus comparatio eaque uberiore Dioscoridis descriptione III. 5 corrigenda. *ῥίζαι*, ait, *μακραί, πυξοειδεῖς, .. γλυκεῖαι, χυλιζόμεναι, ὥσπερ τὸ λύκιον*, unde Plinio restituo *longa ceu lycium.* Scripturam *nigri* S. in V T d reperiri retulit, Gronovius Vossianum *nigra* habere testatur, quod etiam cod. R auctoritate confirmatum I. recte recepit, scripturae differentiam afferre neglexit. In fine §. 26 cum R scribo: *Sunt qui et calculos* etc.

29 = 12,14. 475

Hippophyes neque hippophaes e codicum corruptelis (*hippophes* R. *hippopes* Θ V d, *hippophyes* Murbac.) hoc loco eliciendum esse §. 30 demonstratur, ubi ab equorum

natura nomen accepisse dicitur. Neque obstat quod XXI. 91 *hippophaes* in R d et *hippo hae* in V reperitur: utrumque enim vocabulum de eadem planta usurpabatur, cf. Dioscor. IV. 159.

476—77 33 = 13,15.

difficilem ventrem tostum cibo emollit.

Scribere malim: *in cibo emollit.* Item §. 44 copula deleta legendum esse puto: *Hic est vernula cuius effigies ex aere fusa est nobilis ille splanchnoptes*, cf. XXXIV. 81; neque enim verna ipse sed effigies eius nobilis appellatur. §. 50 *echium et doris* scribo.

478 53 = 21,26. (de anthemide loquitur).

Genera eius tria flore tantum distant, palmum non excedentia, parvis floribus rutae, candidis aut malinis aut purpureis.

Talem locum S. I. exhibuerunt, a vulgata scriptura eo tantum diversum quod ante v. *rutae* particulam *ut* a libris MSS. praeter d alienam recte omiserunt. Vellem etiam in reliquis verbis optimos codices secuti essent. Nam ne sic quidem ut e cod. d restituuntur prorsus cum Dioscoride III. 144 consentiunt. Sic enim ille: *ταύτης εἴδη τρία ἄνθεσι μόνον διαφέροντα . . . φυλλάρια μικρὰ . . . ἔνδοθεν μὲν χρυσίζοντα ἄνθη, ἔξωθεν δὲ περίκεινται κυκλοτερῶς λευκὰ ἢ μέλινα ἢ πορφυρᾶ, κατὰ μέγεθος πηγάνου φύλλων.* Cuius descriptionem sive potius eius auctoris quem uterque secutus est orationem Plinius in brevius non satis accurate contraxit: itaque non est cur *fronde* (ita Θ R V) cum d in *flore* mutemus; difficilius de extremis verbis iudicium est. Nam *floribus* d *foliis* Θ R V habent, nos autem neutro vocabulo carebimus cum lacunam expleverimus: apparet enim florum colorem, foliorum formam et diligentius a Dioscoride et a Plinio festinantius describi. *Parvis foliis* respondet Dioscoridis ver-

bis *φυλλάρια μικρά*, *ἄνθη floribus* codicis d, neque hoc nos morabitur quod folia floris cum ramorum foliis a Plinio permutantur. Sic igitur Plinium scripsisse arbitror:

G. e. tria fronde tantum d. p. n. e., parvis foliis rutae similibus, floribus candidis etc.

Similem lacunam in proximis verbis deprehendere mihi videor.

54 = 21,26. 479

pellunt.. menstrua in potu et urinam calculosque. Inflationes, iocinerum vitia, bilem suffusam, aegilopia commanducata, ulcerum eruptiones manantes sanat.

θεραπεύουσι δὲ καὶ αἰγιλώπια καταπλασσόμεναι, διαμασσώμεναι δὲ καὶ ἄφθας ἰῶνται, Dioscorides l. l. Sequitur interpungendum esse post v. *aegilopia*, quo facto prima verba cum prioribus coniungenda erunt, quibus potus efficacia describitur, voci autem *aegilopia* v. *illita* quo *καταπλασσόμεναι* exprimatur addendum esse:

pellunt . . m. i. p. e. u. calculosque; inflationes i. v. b. suffusam, aegilopia illita, commanducata ulcerum e. m. sanant.

§. 59 pro *quod siriasim vocant* lege: *quam s. v.* §. 67 cum Harduino lego *heroion.*

69 = 22,32. (de asphodelo). 480

Fere in quocumque morbo magis decoctis utuntur.

Magis quam qua re? nonne etiam aliis modis egregio effectu asphodelum adhiberi ipse Plinius refert? Legendum est *magi*, quorum in his libris quibus de medicina herbarum agitur, frequens est mentio.

Ibidem:

Sucus quoque . . . utilis fit corporis dolori cum melle, idem odorem corporis iucundum affectantibus etc. 481

Nonne omnes dolores ad corpus pertinent? Scilicet ita ut non *odorem* optimi libri sed *dolorem* e proximis verbis male repetitum exhibent, sic v. *corporis* bis posuerunt quae priore loco e Dioscoridis loco II. 199 in *aurium* mutanda est.

482 76 = 22,34. (de acantho loquitur).

Huius radices . . podagris quoque illinuntur tritae et calefactae calidis.

Calidis qui morbus significetur, nemo nos docuit, neque contra inflammationes calefacta emplasmata adhiberi putaverim. Quare potius eiciendum illud esse vocabulum censeo quam in *calculis* mutandum, nam calculis remedia intus pota prosunt potius quam imposita.

483 78 = 22,36.

Buprestim magna inconstantia Graeci . . remedia tamquam contra venenum prodiderunt, et ipsum nomen indicio est boum certe venenum esse.

Inconstantia Graecorum eo proditur quod veneno bupresti contra venenum utuntur. Atqui venenum esse e vulgata lectione non elucet, qua correcta restituo:

etsi ipsum nomen etc.

484 82 = 22,39.

Et iasione . . . florem fert candidum, concilium vocant.

Plantam *iasinen* potius nominari cum Salmasio arbitror, quum littera *o*, quam sane habet Theophrastus I. 13. 3, caus. pl. II. 18, ubique in Plinii libris desit, florem confidentius Graece *conchylium* appello, i. e. parvam concham, nam *concylium* in R V legitur. §. 83 omnino ex iisdem optimis codd. restituendum est v. *commodatus* in locum eius quod vulgo legitur *commendatus*.

84 = 22,41.

(sium) . . dysintericis prodest infusum, item illi- 485
tum lentigini et mulierum vitiis in facie noctu illitum momentoque cutem emendat.

Mirum sane uno temporis momento (ita enim recte Strackius ‚in einem Augenblicke' vulgatam lectionem interpretatur) cutem emendari et incredibile. Quid Plinius dixerit Martialis me docuit qui III. 42 Pollam ita alloquitur: ‚Lomento rugas uteri quod condere tentas.' Scilicet reponatur oportet: *lomentoque*. §. 88 e R V *soncos* quod nomen a Theophrasto quoque VI. 4. 3 usurpatur, scribendum est. Verba corrupta *qui e lacte nitor* emendare nondum mihi contigit: *qui e lacte coquitur* in mentem venerat. Item §. 91 *feminis* displicet, quod fortasse in *feminibus* mutandum erit.

92 = 22,46. 486

Inter ea quae temere manduntur et boletos merito posuerim, opimi quidem hos cibi sed immenso exemplo in crimen adductos.

Ferri quidem haec posse concedo, nego a Plinio scripta esse. Nam primum *adductus* libri omnes MSS. habent, tum *his cibus et* V T d, *his cibus sed* Θ, deinde *opimis* V T, *optimi* d, *optimus* Θ. Quum igitur in nominativo *adductus* omnes consentiant, praeterea V Θ contra R conspirent, quidni facillimam structuram ex eorum consensu eliciamus?

optimus hic cibus sed — adductus.

§. 93 Gronovio assentior *rarumque* scribenti: codex enim K, e quo *raro umquam* S. recepit inter libros MSS. immerito refertur.

94 = 22,46. (de boletis sermo est). 487

Origo prima causaque e limo . . . mox partus,

ut diximus; illa pernicialia, prorsus improbanda; si caligaris clavus ferrive aliqua robigo aut panni marcor adfuerit nascenti, omnem illico sucum alienum saporemque in venenum concoquit; deprehendisse qui nisi agrestes possunt atque qui colligunt? Ducunt ipsi alia vitia, et quidem si serpentis caverna iuxta fuerit . .; itaque caveri conveniet prius quam se condant serpentes.

Ita Harduino auctore Silligius, qui quum in loco ,mire corrupto' ,sine meliorum codicum auxilio vix aliquid profici posse' putaret nihil temptavit praeter unam eamque satis debilem coniecturam: post v. *concoquit* inseruit *quod*. Egregie Pintianus verbum *ducunt* ,desecandum' esse e codd. animadvertit, proxima verba sic constituit: *alia etiamnum quidem* etc. Unum mendum Gronovius sustulit, quum quod nunc legitur *qui* post ,deprehendisse' e vulgata scriptura *deprehendisseque* elicuit, quae emendatio cod. R confirmata est. Ceterum virum summum opera fefellit, dum proponit: *Illa pernicialia quae probandi alea?* et: *Aliqui colligunt ipsi alia vitia*, *in quibus* vel: *atque qui colligunt? Ducunt ipsi alia vitia*, *e quibus*. Nuper denique Ianus scripsit: *illa perniciali iamque probandi alea . . . possunt? atque quae colligunt ipsi alia vitia? ne quidam* rel.

En librorum MSS. optimorum lectiones:

probandi alia R *quod probandi alia* V ϑ

clavos *ferri vel* — *deprehendisse* R (*deprendisse* V) — *quae* V.

nisi — *atque qui* om. R, unum versum XXVII vel XXIX litterarum, quales pleraeque eius codicis lacunae forma archetypi explicantur — *nigunt* R — *ducunt* om. R V T d — *ne quidem* omnes et Θ, de quo praeterea nihil comperimus.

Plinius pericula a boletorum venenis imminentia more

suo i. e. oratorie ita descripsit ut a minoribus ad maiora gradatim ascenderet summamque noxios distinguendi difficultatem exornaret. Et illa primum quidem certis quibusdam notis indicantur quae §. 92 descriptae a convivis eorumque ministris facile animadvertebantur. Has prima verba brevi repetunt:

Ut diximus, illa pernicialia probant talia,

quod e codd. corruptela *probandi alia* nullo negotio efficitur. *Talia* i. e. notae illae probant vel redarguunt perniciales cibos sc. dilutus rubor, rancidus aspectus et similia. Iam ad ea progreditur quae domus urbanae dominos familiamque necessario latent, ea signa dico quae etiam a Dioscoride IV. 83 indicantur his verbis: *ἢ γὰρ ἥλοις κατιωμένοις ἢ ῥάκεσι σεσηπόσιν... παραφύονται.* Sequitur haec a rusticis solis ibi tantum ubi boleti provenerunt deprehendi posse. Quae maior difficultas interrogatione exprimitur, cuius vis abrupta oratione augetur: *deprehendisse qui nisi agrestes possunt?* qui nisi quae viderunt accurate nuntiarunt, futurum est ut convivae nobilissimi misere occidant. Tertium idque maximum restat: quaedam enim vitia (*ἢ ἑρπετῶν φωλεοῖς παραφύονται,* ait Dioscorides) tam recondita sunt ut etiam rusticos illos in ipso solo fugiant. Atque Plinius quid scripsisse putandus sit, vides — iam, quaeso adverte animum quid scripserit. Scilicet verbum ad quod *deprehendisse* cogitatione suppletur, in litteris *ne quidem* latet *nequeunt.* Atque ita duabus litteris *di* in *t*, quattuor *idem* in *eunt* mutatis talis locus prodibit:

Ut diximus, illa pernicialia probant talia; si caligaris clavus — concoquit: deprehendisse — colligunt? Ipsi alia vitia nequeunt: si serpentis rel.

97 = 23,47. (de arboribus noxios fungos gignentibus) 488

non item fago, robore, cupresso, ut diximus.

Nescio cur optimorum librorum lectionem *taxo* (ita R *saxo* V) spreverint editores. Fagum enim ne altero quidem loco XVI. 31 reperies sed pinum, primam eius generis arborem, cuius sexta XVI. 50 taxus describitur.

489 100 = 23,48.

Imbribus proveniunt omnia haec, imbre et silphium. Venit primo e Cyrenis, ut dictum est; ex Syria nunc maxime importatur, . . exstincto omni Cyrenaico, ut diximus.

Ne hic quidem putidam interpolationem editores sustulerunt. Vocabulis enim *e Cyrenis* quae neque in R V neque in d inveniuntur ut par est omissis non XIX. 38, quem locum Sill. attulit, sed XIX. 41 respici intelligitur, ubi silphium ‚natum imbre piceo' dicitur. Scribendum est igitur: *I. p. o. h., imbre et silphium venit primo, ut dictum est; e. S. n.* etc.

§. 107 codicis V lectionem *desperantia cicatricem* iam olim Gronovius recte sed frustra probaverat.

490 110 = 24,51. (de aqua mulsa).

Repentina — praeclaram utilitatem habet in cibo aegrotantium levi hoc est alicae elutae, viribus recreandis, ori stomachoque mulcendo, ardori refrigerando.

ore boni codices, *ardore* R, *ardores* V T d, quod etsi minus concinnum Iano placuit. Tertium his casibus ablativum addo: *alica eluta* cll. §. 128; genetivum enim post v. *hoc est* vix ferendum esse putaverim.

§. 134 *infundantur* quod exstat in R V d retinendum et ad pastillos referendum est.

491 136 = 25,66.

Tisanae quae ex hordeo fit laudes — condidit

Hippocrates, quae nunc omnes in alicam transeunt, quanto innocentior alica.

Ad hiulcam mancamque orationem explendam non sufficit quod Ianus post extremum vocabulum posuit exclamandi signum. Comparativo enim comparationem alicae et hordei factam esse comprobatur voce *contra*, quae in cod. R legitur. Itaque aut lacuna indicetur aut locus quaeratur oportet, quo talis quae sententia flagitatur utriusque generis comparatio instituta esse videatur. Qui re vera exstat ibi, ubi verbum *vetuit* in libris R V d legitur, ab editoribus ideo deletum est, quod paulo ante scriptum repererant. Ita enim pergit Plinius: *Hippocrates — sorbitionem tamen dari totam vetuit aliudve quam sucum tisanae, contra quanto innocentiore alica! Item vetuit quamdiu pedes frigidi essent* etc.

160 = 25,77. 492

Ratio haec: aceti sextario uno dilui mellis uncias duas iustum est; ita temperatis sextariis tribus, decocta farina lolii sextariis duobus usque ad crassitudinem calidumque imponi dolentibus membris.

Rationem non constare Pintianus animadvertit neque tamen probabilem emendandi viam ingressus est. Sill. ut solet de loci salute nisi meliores libri inveniantur desperavit, cautius Ianus lacunae signum apposuit. Nobis ante omnia quid scriptum libri MSS. habeant, videndum est. Ad unum omnes legunt: *diluuntur mellis unciae duae — decoctae farinae — sextarios*, omnia rectissime, nam hoc perleve vitium est quod ante v. *usque* littera *u* i. e. II excidit. Tres igitur sextarii ita temperantur ut uni aceti in quo duae unciae mellis dilutae sunt duo lolii addantur: sequitur nulla mutatione opus esse sed transpositione, qua numerus ternarius duos illos farinae lolii sextarios non antecedat sed sequatur. Sunt autem XXVIII

litterae i. e. unus archetypi versus quae praepostero loco insertae turbas illas concitarunt; atque restituto ordine scribendum erit:

Ratio haec: aceti sextario uno diluuntur mellis unciae duae; iustum est decoctae farinae lolii sextarios duos usque ad crassitudinem calidumque ita temperatis sextariis tribus imponi dolentibus membris.

LIBER XXIII.

Ad hunc librum proximumque emendandum codicibus a V praesertim utendum est, nam cod. R a libri demum XXV §. 30 rursus incipit. Qui quamquam sunt inter se bonitate fere pares, tamen cod. a in re dubia maiorem fidem habeo, atque propterea saepius vulgatam scripturam recipiendam esse statuo, nisi et ea familia quae codd. T d repraesentatur et cod. Θ qui ad Vossianum propius accedit huius lectionem comprobaverit. Eos autem locos, ubi a reliquis editoribus vel antiquioribus vel nuper ab Iano rectius quam a Silligio iudicatum esse censeo, qui quidem non pauci sunt, sciens praetereo.

493 4 = 3.

Cinis sarmentorum vitiumque et vinaceorum condylomatis et sedis vitiis medetur.

De vitibus omnino agitur, itaque non possunt vites ut pars a genere distingui, atque ἡ ἐκ τῶν κλημάτων καὶ στεμφύλων τέφρα sola commemoratur a Dioscoride V. 1. Neque tamen vocabulum ipsum delendum erit, nam de vite alba Plinius proximo sensu locutus erat. Copula deleta scribendum videtur:

Cinis sarmentorum vitium et vinaceorum.

494--95 10 = 1,6. uvae

recentes stomachum et spiritus inflatione alvum turbant.

ἐκταράσσει κοιλίαν καὶ ἐμπνευματοῖ στόμαχον, Dioscorides ait V. 3 i. e.: *rec. stomachum spiritus inflatione et alvum turbant.* (*spiritum* male codd. habent) §. 21 non *ampeloleucen* sed *ampelón leucen* scribendum est, quod cod. a *a. leuchen*, incorruptum d praebet et quod in indice huius libri ablativis a R divisim scriptis et loco Diosc. IV. 188 probatur. §. 26 *uret* (*uretet* a) non *vitiet* cum V legendum videtur. §§. 37—42 in chrestomathia p. 234 sqq. tractavimus, ubi §. 38 *posse* casu omissum est.

44 = 1,23. 496

Utiliter et fovetur vino calido virilitas iumentis; infusum autem cornu iis lassitudinem aufert.

Interpolatum locum Sill. dedit, namque codices haec habent: *infusa cornu* (*cornus Θ*) *lassitudinem auferunt* (sic Θ, *aut peri* V *auferri* d), quos accuratius secutus Ianus *infuso cornu lassitudinem auferri* scripsit, ita scilicet ut infinitivus a proximo verbo *negant* regatur. Atqui ‚adipem vino mixtam in fauces infusam' lassitudini remedio esse Columella VI. 30 diserte tradidit. Interpunctione mutata, nam virilitas hominum est, non iumentorum, scribe:

u. e. f. v. c. virilitas, iumentis infusa (sc. *vina*) *cornu lassitudinem auferunt.*

47 = 1,24. 497

Ad omnia haec utilius id quod sponte naturae suae piceum resipit picatumque appellatur; helvennaco tamen nimio caput temptari convenit.

Codd. *Θ* V T *piceum* d et Barbarus *picem* — *Helven cypacro cotamen* V *helven cypacro quo tamen* d, unde recte Ianus *in agro*, *quo tamen* elicuit, in quam emendationem et ipse olim incideram. Minus felix est altera v. d. coniectura, qua *Helvetico* legi voluit. Helvetici enim vini nulla fere virtus laudatur, at summis laudibus ea vina

picem (ita hic quoque Ianus scribendum esse vidit) resipientia XIV. 18 (cf. ib. 43) celebrantur quae Viennensem agrum nobilitabant, Arverno Sequanoque et Helvico generibus distincta. Helviorum igitur agrum h. l. commemorari apparet: de nominis forma dubitari licet: *Elvinco* libri XIV. 18 *helven cy* nostro loco. Helvii igitur, qui a Ptolemaeo II. 10. 18 Ἐλύκωκοι appellantur, etiam Helveni nominati fuisse putandi sunt, unde et supra et hic legendum est: *Helvenico.*

498 49 = ibidem.

minime vero oculis rigentibus et genis stantibus aut defectis [gravibus].

Ultimum vocabulum ad explicandum vicinum appositum neque ab ipso auctore scriptum esse iam copulae absentia efficitur; fateor me etiam de altero *et genis* dubitare. Nam et Plinius palpebras non coeuntes statim commemoravit, et in V d, qui soli a Sill. h. l. collati sunt, *egentis* scribitur litteris, falso, ut videtur e proximo verbo *rigentibus* repetitis. — §. 50 scribo: *unicam spem hanc vini.*

499 51,52 = 1, 25,26.

si dissolutio sit stomachi, largius dandum, et si cibus non descendat. Inter vini genera quae fingi docuimus, nec fieri iam arbitror, et supervacuum est eorum usum docere rel.

Laudabili severitate Ianus vv. *largius* et *docere*, quae Sill. e K, quem nihil esse quam coniecturas a Dalecampio collectas saepius monui, recepit, simulque verbum *est* quod ex ingenio Sill. addiderat, postremo *et* quod abest a libris MSS., omisit: rectissime idem structuram sententiae praepositione *inter* impediri intellexit. Quod vero *inter* in *mitto* mutavit, sollertius quam accuratius fecit. Quod enim *mit* in V exstat, haud dubie *miter* i. e. *inter* quod

vulgo et in d legitur illo compendio, non mitto exprimitur. Ne hoc quidem probaverim quod p. VI fortasse *omnia* inserendum esse propter locum XIV. 111 pronuntiavit. *Fieri* enim non ad *vini genera* sed ad *usum* referendum est. Gravius in priore sententia mendum remanet; aegre enim copula caremus, nisi verbis illis *si cibus non descendat* nova quaedam cardiaci morbi species et repetita curatio significatur. Atque id omnino ita se habere Celsi loco III. 19 quem Hard. attulit, docemur. Qui postquam aegros ,post vomitum cibum sumere' iussit, ,si ne id quidem', inquit, ,manserit, sorbere vini cyathum, interpositaque hora sumere alterum.' Quocum ut Plinius consentiat, vocabulo *inter* in *iterum* mutato sic scribe:

si d. s. stomachi, dandum (sc. quem modo dixerat, vini cyathum),
si cibus non descendat, iterum. Vini genera q. f. d. nec fieri tum arbitror et supervacuum eorum usum, i. e. eorum usum nec fieri et supervacuum esse.

91 = 4,46. (de cypro loquitur). 500

odor floris olet, qui somnum facit.

Verba *olet qui* interpolationi deberi ait Sill., transpositione corrigere conatus est Ianus *qui olet*. Quodsi reputaveris non tantum florem sed etiam oleum ,odoris suavissimi' esse (cf. XII. 109), facillima mutatione Plinii verba emendari intelliges: *odor floris oleique somnum facit.*

99 = 5,53. 501

Vulvae ac ventris fluctiones sistit decoctum eius (palmam elaten dicit); item cinis ad tormina potus in vino albo, in vulvarum vitiis efficacissimus.

Pluribus verbis deperditis hanc enuntiationem inquinari

conquestus est Sill., scilicet libris MSS. temere spretis. Qui quum non *ad* sed *et tormina* habeant, scribendum est:

V. a. v. f. s. d. eius, item cinis et tormina; potus in vino albo in vulv. v. e.

502 109 = 6,58.

punica acida multa tunduntur.

Vocabulorum *acida multa* quae non reperiuntur in cod. a, alterum non necessarium est, nam de acerbo malo tantum agitur, alterum ineptum esse iam Sill. animadvertit: itaque optimo libro auctore expungenda esse arbitror.

503 113 = 6,60.

tosti tunsique stomachum iuvant cibo aut potionibus inspersi; bibuntur ex aqua caelesti ad sistendum alvum.

Non *inspersi* codices habent, sed *per se*. Contraria sunt acini in cibo aut potione sumpti iis qui *per se* bibuntur. Itaque scribendum est:

t. t. s. i. c. a. potionibus, per se bib. e. a. c. a. s. a.

504 122 = 7,63. (de fico sicca loquitur).

Utile et decocto fovere earum feminas. Decoctae quoque eaedem cum feno Graeco utiles sunt et pleuriticis et peripneumonicis. Cum ruta coctae torminibus prosunt, tibiarum ulceribus cum aeris flore etc.

Locum satis impeditum Ianus interpunctione mutata correxit laudabili ille quidem instituto, eventu improspero. Dum enim Plinii verba sic ordinat: *u. e. d. f. earum, feminas quoque decocto eodem c. f. Graeco. utiles s. e. p. e. peripleumonicis* (ita enim scribit) *cum ruta coctae et omnibus prosunt, tib.* etc., Dioscoridis auctoritatem immerito videtur neglexisse eaque primus addubitasse quibus reliquorum

verborum emendatio tamquam stabili fundamento inniti debebat. Quae enim ille I. 133 sic elocutus est: *σὺν πηγάνῳ δὲ ἀφεψημένα στρόφων ἐστὶν ἔγκλυσμα,* ea Plinius ad verbum eodem auctore usus expressit: *cum ruta coctae torminibus prosunt.* Vocem *torminibus* Graeco *στρόφων* respondere intelligitur, iam a Barbaro nescio an e suis codicibus receptam; *cocta et omnibus*, quod libri nostri habent, Ianus maluit in *coctae et omnibus* mutare, quam ad sententiam apte, non diiudico, unum moneo *coctae tomnibus* vix difficilius in *coctae torminibus* corrigi. Ita hoc Plinii cum Dioscoride consensu restituto alterum initio loci anquirere lubet. *καὶ εἰς τὰς ὠμηλύσεις δὲ μίγνυνται καὶ εἰς γυναικείας πυρίας μετὰ τήλεως ἢ πτισάνης* Dioscorides scripsit: apparet feni Graeci mentionem a Sill. recte ad feminas referri, Ianum librorum MSS. scripturam *feminas quoque* recte quidem restituisse sed male a feno Graeco seiunxisse. Sequitur tertius utriusque scriptoris consensus. *τοῖς περὶ πνεύμονα χρονίοις πάθεσι* quae sunt apud Dioscoridem Plinius pleuritin addidit. Itaque voce *et* quae ab a abest in *est* mutata levique transpositione facta legimus:

Utile est dec. fovere earum feminas quoque cum feno Graeco; decoctae eaedem utiles sunt e. p. e. p. Cum ruta rel.

132 = 7,67. 505

Utiliora persica sucusque eorum etiam in vino aut in aceto expressus. Qui alius eius pomis innocentior cibus?

Commotae orationi locus non est, quae suppleta ante v. *que* (hoc enim in libris reperitur) syllaba emendatur: *expressus, neque — cibus*, cf. §. 135. 136. §. 141 cum libris *cerasia* ut apud Dioscor. I. 157, non *cerasa* scribo.

142 = 8,74. 506

Nuclei nucis pineae — — fauces videntur ex-

asperare et tussim; bilem pellunt poti rel.

At quid ait Dioscor. I. 88? nempe *ἁρμόζουσι παλαιαῖς βηξί*; itaque copula transposita scribendum est: *tussim et bilem pellunt* rel.

507 144 = 8,75.

Nuces ipsae (amygdalae amarae) — — sanguinem sistunt cum amylo et menta, lethargicis et comitialibus prosunt, capite peruncto epinyctidas sanant, e vino vetera ulcera putrescentia, canum morsus cum melle et furfures ex facie ante fotu praeparata rel.

Plura in hoc capite menda Pintianus deprehendisse sibi visus est, ita tamen ut de suis ipse dubitationibus dubitaret. Is autem quem adscripsimus locus interpunctione correcta cum Dioscoride facillime conciliabitur. *βοηθεῖ*, ait I. 176, . . . *πρὸς ἐπινυκτίδας σὺν οἴνῳ· πρὸς δὲ σηπεδόνας καὶ ἕρπητας καὶ κυνόδηκτα σὺν μέλιτι.* Haud dubie igitur scribi oportet: *N. i. . . s. s. c. a. e. menta, lethargicis e. c. prosunt c. perunclo, epinyctidas sanant e vino vetere* (ita recte Ian. ex optimis libris), *u. putrescentia, canum morsus cum melle, et furfures* rel.

508 150 = 8,78.

Nuces abellanae ... corpori et pinguitudini conferunt plus quam sit veri simile. Hae tostae rel.

corpori et pinguitudini a T d, *corpori et in pinguitudini* V i. e. *corpori et in pinguitudinem*, quod iam Gronovio videtur placuisse (nam utrum *et* deleat an retineat e verbis ipsius non constat). Tum *sunt verisimile est est ortae* V, *verisimile. Tostae* a, *sit verisimile. Hae* (*haec* d) *tostae* T d, unde codd. a et V inter se comparatis efficitur: *plus quam veri simile est. Tostae* rel. — §. 153 cum a V scr. *potu*, §. 159 alterum

item, ut nescio quis apud Dalec. qui K codicis nomine designatur, omittendum esse censeo. §. 160 lepidum Sillígii operarum vitium *sucus feminis* Ianus servavit, Strackius felici audacia in *sucus seminis* correxit: Harduini librum neuter inspexit.

161 = 9,81. 509

Lenius suco oleum est ex eadem myrto, lenius et vinum quo numquam inebriantur.

Dioscor. I. 155 . . ὁ ἐξ — αὐτῆς δὲ γινόμενος οἶνος ἀκραιπαλός ἐστι προπινόμενος. Apud Plinium aliquot verba exciderunt, veluti ‚quo qui se ante confirmarunt.‘

LIBER XXIV.

Qui ad hunc librum a Sill. excussi sunt libri MSS. V a d lacunis mendisque deformati magnum libri R quo hic quoque deficimur desiderium movent. Pleniore libro Barbarus usus videtur esse, cuius copiis caute adhibitis nonnulli loci probabili certe modo restituuntur; atque haud raro vulgatis potius quam Silligii lectionibus recte adsensus est Ianus. Ceterum cod. a Vossiano meliorem esse censeo: r i. e. Dalecampii *M.* vel *Man.* interdum secutus est Sill., affinem Luciliburgensem codicem E esse nuper in ephemeridibus a me editis (Eos II. p. 357) exemplis probavi, optimi codicis a ita similem ut nonumquam praeferendus eidem esse videatur.

9 = 4,5. 510

(gallae illinuntur) ulceribus manantibus, condylomatis, ulceribus quae phagedaenica vocantur.

Ita Sill. e r, cui nunc E adiungitur, rectissime; *vulneribus* e V a d et vulgata lectione Ianus. At non vulnerum sed ulcerum nomen phagedaenas esse Plinius XX. 27

tradidit. Distinguuntur autem manantia ulcera a putrescentibus, quae §. 38 appellantur. Transpositis igitur ultimis verbis scribendum esse censeo:

ulceribus manantibus quae phagedaenica vocantur, condylomatis, vulneribus.

511 39 = 7,23. (de pice sermo est).

Rhagadas sedis et pedum panosque et ungues scabros emendat, vulvae duritias et conversiones odore, item lethargicos; strumas cum farina hordeacia . . . decocta ad suppurationem perducit.

Omnino Dioscorides I. 94 cum his verbis conspirat: *κηρῷ δὲ,* ait, *ἴσῳ μιγεῖσα λεπροὺς ὄνυχας ἀφίστησι, φύματά τε ὑστέρας καὶ σκληρίας δακτυλίου διαφορεῖ· σὺν κριθίνῳ δὲ ἑψηθεῖσα ἀλεύρῳ . . χοιράδας περιῤῥήσσει.* Vides de solis lethargicis eum tacere quos Celsus III. 20 picis odore recreari tradidit. Quocum Plinius consentiet, cum ita verba eius distinxeris:

. . *conversiones, odore item lethargicos.*

512 41 = 7,25.

Est et pissasphaltos mixta bitumini pice naturaliter ex Apolloniatarum agro. Quidam ipsi miscent praecipuum ad scabiem pecorum remedium.

Non ea tantum pissasphaltos quae arte fit, sed etiam ea quae nascitur remedii usum praebet. Distinguendum est: *ex Ap. agro; quidam ipsi miscent; praecip.* etc.

513 47 = 8,32.

Umor e cavis populi nigrae effluens verrucas papulasque ex attritu obortas tollit.

Gronovium S. I. secuti sunt qui *ortas* scripsit: codices a r E et Dioscoridem I. 110 sequi oportebat. *εὐώδες ἐν τῇ παρατρίψει* umidum illud appellatur; *et attritu* (*ex atrita*

Θ V) *odoratas* in cod. a, *et attritu odoratus* in r E legitur. Scribendum est igitur verbis recte ordinatis: *u. e. c. p. n. effluens et attritu odoratus verrucas pap. tollit.*

Ibidem. 514

Populi ferunt et in foliis guttam ex qua apes propolim faciunt; gutta quoque aeque ac propolis ex aqua efficax.

aquae propolis V T d, in a lacuna videtur inesse, si modo recte d, quod est apud Sill., in a muto. Scribendum est igitur: *gutta quoque atque prop. e. a. e.* Ita *turae* pro *ture* in V §. 102.

67 = 9,41. 515—18

Myricen, quam ericam vocant, Lenaeus similem scopis Amerinis.

Orationem ita non cohaerere ipse Sill. sensit, Ian. *iam* coniecit, facilius ad sensum et libris MSS. aeque accommodatum (nam *camericam* habent Θ V T d, *eam ericam* a) erit: *Myricen etiam e. v.* §. 68 ceteri codd. habent *gravis autem auctor*, a *gravis auctor*, nomine quippe proprio non intellecto. Scribo *gravis Erasistratus auctor.* §. 83 Sill. interpolavit, non correxit Ianus: mutilam esse orationem apparet. Talem lacunam §. 92 inesse editores perspexerunt, quam equidem non post v. *vocant* sed post v. *aceto* ita fere explendam esse e Dioscoridis loco I. 147 arbitror: *trita cum melle et illita cum aceto pterygia gangraenasque cohibent* uno versu XXIX litterarum restituto. §. 94 obiter moneo non *erythrodanus* sed *erythrodanum* scribendum esse: hoc enim genus et Dioscorides III. 150 et nostro loco libri MSS. praebent.

99 = 11,59.

Ros marinum est. Duo genera eius rel. 519

Primo vocabulo Ianus lacunae signum prudenter ap-

posuit quae e proximi enuntiati fine in *cibo datum* facillime sic expletur: *Dictum ros m. e.* rel.

520 105 = 11,64. (de cummium generibus agitur) ... urinam cient, amaritudines hebetant adstrictis ceteris; quae ex amygdala amara est spissandique viribus efficacior, habet excalfactorias vires. Praeponuntur prunorum autem et cerasorum ac vitium; siccant illitae et adstringunt, . . . prosunt et tussi veteri quatuor obolis in musto potis.

Talem locum si libri MSS. exhiberent, remedium e coniectura petendum videretur: neque enim quae ‚amaritudines' neque quae ‚cetera' sint, facile intelligitur: tum vocabuli ‚vires' repetitio valde displicet. Atqui non *viribus* habent codices sed *visceribus*, e quibus ‚iecoris amaritudine' XXIII. 12 vulgo legi et cod. a auctoritate confirmari meminimus, ‚adstringi' autem ‚viscera' XXIII. 139 legimus. Hoc igitur dicit Plinius, renes solvi, cetera viscera adstringi, vocabulumque *visceribus* transponendum est ita ut pone *ceteris* legatur. Prunarum autem cummim amygdalae praeponi quis non miretur, qui XIII. 66 pessimam cummim e prunis dici reputaverit? Omnia quae a medicis *proponuntur* genera commemorantur, atque hanc ipsam vocem quae eodem sensu VI. 175 usurpata est libri praeter T omnes exhibent. Quorum mentione facta scriptor ad amygdalas redit, quas tussi prodesse tradit quatuor obolis *in mixto potis*, (sic enim vulgo et in codicibus legitur). De musto cogitari nequit, ne de mero quidem, quae facillima emendatio Dioscoridis auctoritate commendatur. At vero quod apud illum I. 176 recte ex optimis libris legitur *μετ᾽ ἀκράτου ποθέν*, in editionibus Aldi et Asulani *μετὰ κράματος* scribitur. Manifestum est igitur, in eo Graeci scriptoris libro quem Plinius in

manibus habebat eandem scripturam fuisse. Quapropter scribendum est:

— *adstrictis ceteris visceribus; q. e. a. a. e. spissandique efficacior, h. e. vires autem prunorum* (sic r E) proponuntur autem prunorum; *e. c. a. vitium — siccant i.... in mixto potius.*

107 = 12,65. 521

Spinae [Aegyptiae sive] Arabicae laudes in odorum loco diximus.

Unam spinam Arabicam Dioscorides III. 13 nominat, item in indice libri nostri boni codices R V a de *spina Arabica* sola loquuntur: verisimile est igitur, hic quoque de eadem spina agi: atque re vera *spinae Arabicae* genetivo casu V a d habent, additis verbis *spina Aegyptia* V a, *spinae Aegyptiae* d, v. *sive* utrum in cod. Murbacensi fuerit an a Cornario ad Diosc. l. l. suppletum, nunc diiudicari nequit. Scilicet idem veteri alicui grammatico acciderat quod nuper Silligio. Neque enim Plinius h. l. XIII. 63, ubi de spina Aegyptia verba fecerat, sed XII. 67 et 72 respexisse putandus est, ubi murram et mastichen in Arabia e spina nasci dixerat. Illius *δένδρου γενομένου ἐν Ἀραβίᾳ ὁμοίου τῇ αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ* etiam Dioscorides I. 77 mentionem facit. Superscripta igitur in archetypo libro sive glossa sive potius correctura *spina Aegyptia* fuerat, quae inde in contextum nostrorum librorum irrepsit.

109 = 12,67. 522

Et acacia e spina fit in Aegypto alba nigraque, arbore item viridi, sed longe melior est prioribus.

Nescio cur librorum MSS. lectio *Et acaciae . . meliore* (*melior e* a d *meliorem* V) ab editoribus spreta sit.

Ibidem. 523

Semen . . . colligitur autumno, ante collectum nimio validius. Spissatur sucus ex folliculis aqua

caelesti perfusis, mox in pila tunsis exprimitur organis, tunc densatur in sole.

Ne hic quidem intelligo cur activum *spissat* ab editoribus neglectum sit, quod in omnibus libris MSS. reperitur. Fieri enim nequit ut sucus spissetur, postremo densetur: at optime spissandi vires habere dicitur. Itaque legendum est: *Semen . . . validius spissat. Sucus* rel.

524 121 = 14,74. (de cynosbato s. neurospasto).

Fert et uvam nigram in cuius acino nervum habet, unde neurospastos dicitur, tota alia quam cappari.

V. *tota* cum a, saepius mutilo, non quidem omiserim, sed cum verbo proximo superiore coniungo. Scilicet nervum qui in solo acino insit, toti frutici nomen dedisse ait Plinius.

525 162 = 17,102. (de achaemenide)

hanc autem a regibus Persarum [comedi aut] bibi etc.

Vv. *comedi aut* desunt in codd. V a A, deesse debebant in editionibus. Item

526 163 = 17,102.

v. *autem* in libris iisdem MSS. non reperitur, itaque expungendum erit.

527 177 = 19,117.

Tordylon alii semen silis esse dixerunt, alii herbam per se.

‚Hoc est sesilis‘ recte Harduinus, cf. Diosc. IV. 161. Nescio quidni *sesilis* (*seseleos* iam K) in textum recipere dubitaverit: sil enim herba non est.

528 179 = 19,118. (de gramine).

In vicem eius — succedit decoctum ad vulnera

conglutinanda — adicitur decocto vinum ac mel . . rursusque coquitur in aereo vase ad dentium dolores . .

ἀποτίθεται δὲ ἐν χαλκῇ πυξίδι Diosc. IV. 32, atque hoc ipsum *cogitur* i. e. coagitur vel colligitur (cf. XX. 3) in cod a reperitur. Neque enim vereor, ne v. *rursus* vulgata lectio defendi videatur.

186 et 187 = 19,120. 529

nihil emendandum, sed librorum MSS. auctoritas vindicanda erit. Ac primum quidem *feni Graeci* editores, *foeni* vel *faeni* codices dederunt. De Graeco quidem loquitur Plinius, sed id cognomen, quod §. 184 apposuerat, et hic et proximo enuntiato brevitatis studiosus omisit. Deinde *Timon* quod in omnibus libris legitur (*tymon* E) ab editoribus in *Damion* mutatum est, quoniam illud nomen in indice auctorum non invenerant. Nescio cur *Theodori* nomen in sensu proximo superiore et XX. 103 illacessitum reliquerint: nam ne hic quidem inter auctores commemoratur. Scilicet medici fuerunt, quorum remedia Plinius e libro nescio quo cognoverat.

LIBER XXV.

In hoc libro emendando ad eos quos supra memoravimus libros inde a §. 30 cod. R, qui in hoc quidem libro codici a interdum posthabendus videtur; in paucis capitibus cod. palimpsestus Sessorianus accessit. §. 4—15 in chrestomathia p. 236 sqq. tractavi, in quibus nunc §. 8 cum Iano scribi malo *fors*, ib. cum S. I. *quadripertitis*, §. 14 cum Sill. *ballim.*

21 = 3,6. 530

.. nisi forte confines oceano Britanniae velut propinquae dicavere.

veluti propinquo (vel *propinque*) Sessor. i. e. *velut e propinquo*, ut XXX. 7, recipiendum haud dubie. §. 23 cum V d *ac praesens* non *ad praesens* lego.

35 = 4,17.

531 **Herculi eam quoque adscribunt, quae Apollinaris, apud Arabas altercum [sive altercangenum], apud Graecos vero hyoscyamos appellatur.**

Tribus vitiis locus laborat: est enim et mutilus et corruptus et interpolatus. Primum igitur vocabula *sive altercangenum* quae et hic et in indice libro I. ab omnibus libris MSS. absunt e Murbacensi Cornarii ad Dioscor. IV. 49, de quo nihil omnino constat, male Sill. et Ian. receperunt dudum ab Harduino expulsa. Nam ne Latina quidem videntur esse. Tum initio quaedam intercidisse Pintianus rectissime animadvertit: *apud nos* ille inseri voluit, ut XXIV. 142. At sic v. *Apollinaris* nude posita non intelligitur; quae cum Herculis contraria esse videatur, tutius erit praepositione repetita secundum cod. r scribere *apud alios*, *apud nos*. Postremo Arabes Latine loquuntur ineptissime. Vocabulum enim *altercum* ab altercando duci Scribonius Largus compos. 181 ab Harduino laudatus his verbis luculenter nos docet: *Altercum — qui biberunt . . mente abalienantur cum quadam verborum altercatione: inde enim hoc nomen herba trahit altercum.* Itaque non Arabas sed Romanos nominari apparet, neque praeter cod. d, cuius nulla est prae reliquis auctoritas, libri nominaverunt. *Arbilis* habet a, *Arabilis* V R — i. e. in negotiis agendis quasi rabiosos sive causidicos pugnaciter loquentes, ut Festi verbis utar. Haec igitur Plinius scripsisse putandus est:

H. e. q. a. quae Apollinaris ***apud alios***, ***apud nos a rabulis*** *altercum*, *apud Gr. v. h. a.*

532 37 = 4,17.

Quippe etiam foliis constat mentem corrumpi, si plura quam quatuor bibant; etiam antiqui in vino febrim depelli arbitrantur.

bibantur deinde *arbitrant* a, *arbitrantes* V R d. Lacunam Ianus participio recepto recte indicavit, vocabulo *biberunt* non satis veri similiter explevit. Quid desit, Dioscoridis verbis IV. 69 demonstratur: *τρία δὲ ἢ τέτταρα ποθέντα σὺν οἴνῳ ἠπιάλους πυρετοὺς θεραπεύει* scilicet numerus foliorum. Itaque Plinii verba talia fere fuisse arbitror:

. . *bibantur*, *et iam antiqui damnarunt*, *tribus in vino f. d. arbitrantes.*

§. 42 cum a (ut est in *β*) scribo *pingitur ex cuspide decutiens eam gladio.*

43 = 5,19. 533

hanc etiam praecisos nervos glutinare faciunt.

Leve sane vitium nec tamen praetermittendum, cum codices V R *hac*, *Θ hae*, a *haec* habeant, scribendum esse *hac — glutinari.*

47 = 5,21. 534

.. ab hoc (Melampode vate) appellatur unum hellebori genus Melampodion. Aliqui pastorem eodem nomine invenisse tradunt capras purgari pasto illo animadvertentem datoque lacte earum sanasse Proetidas furentes, quamobrem de omnibus eius generibus dici simul convenit.

Nescio cur de omnibus hellebori generibus simul agendum propterea videatur, quoniam unum a Melampode repertum sit. Scilicet unus versus excidit cuius hoc fere argumentum fuerat:

quamobrem regni portione illum donatum esse.

48 = ibidem. (de hellebori generibus) 535

Utraque caule palmi ferulacio rel.

Caulis palmi non est *καυλὸς παλαιστιαῖος* (Diosc. IV. 148): scribatur oportet *palmari.*

536 49 = ibidem.

plurimum autem nascitur in Oete monte et optimum uno eius loco circa Pyram.

Post v. *monte* Ianus, nusquam Sill. interpunctionis signum apposuit, debebat post *optimum* collocari: *μοναχοῦ δὲ φύεται τῆς Οἴτης περὶ τὴν Πυράν*, Theophrastus inquit hist. pl. IX. 10. 2. Ibidem *in vitibus* mutare non audeo, poterat enim Plinius apud Theophrastum pro *ἐν ἀμπελῶσι* legere *ἐν ἀμπέλοις*.

537 82 = 8,42.

quidam cachlam, vocant (sc. buphthalmum).

Codices MSS. et hic et in indice aut *calcham* aut *chalcan* appellant, de qua litterarum transpositione Schneiderus v. *χρυσάνθεμον* docte disputavit: *cachlam* vitiose Dioscorides III. 146. Quam corruptelam non erat cur editores probarent.

83 = 8,45.

538 Ischaemonem Thracia invenit.

Scr. *Ischaemon*, ischaemos enim et apud Theophr. IX. 15 et in indice (*schemos. shemos*) appellatur.

91 = 8,51.

539 Invenerunt et canes qua fastidium vincunt.

Sic rectissime ante Sill. legebatur, qui praesens tempus *inveniunt* e codd. plerisque scripsit. Miror ne Ianum quidem intellexisse perfectum, ubi de inventione semel facta sermo est, desiderari quod ipsum in optimo cod. a reperitur.

Notata est haec eius malignitas in alia herba maior.

Recte v. *animalis* quam a Pintiano deleri falso Sill. retulit, Ian. e codd. restituit, *eius* in *eiusdem* mutare neglexit.

§. 103 vereor ne Plinii ipsius error quo *Galliam* pro

Galatia nominavit, ab editoribus correctus sit, cf. XVI. 33. §. 105 *hiera botane* divisim scribenda erat.

116 = 9,68. 540

Acini (cyclamini) tantum in usu, gustu acri sed lenti; siccantur etc.

acre V R *sed lenti* V R a² d *scelenti* a¹; scribendum est: *acres et lenti*, sicut XXVII. 22 *acre gustatu ac lentum* et hic apud Dioscor. II. 194 δριμὺς . . καὶ γλισχρός legitur.

132 = 11,83. 541

Alopecias emendat nymphaeae Heracliae radix, si una tritae illinantur.

siueua V¹ R d E² *sive* V². Siccam picem i. e. tritam contra alopecias valere XXIV. 39 traditur, sc. cum Heracliae radice, cf. Dioscor. III. 138. Apparet igitur picis in lacuna mentionem factam esse, nam nonnulla excidisse vel prava correctione codicis V² indicatur; quodsi codice a hic uti liceret, nihilo magis fortasse coniectura opus esset, quam §. 147, ubi cod. V² *medicatur*, V¹ R *medicetur*, a d recte *medicamentis miscetur* habent. Nunc illam lacunam proximo vitio §. 133 expleri arbitror. Vocabulum enim *admixta* quod voci *radix* male in libris MSS. additur, Pintianus ferendum non esse animadvertit, transponendum esse ad alterum v. *radix* non vidit. Scribendum esse arbitror:

si una admixta pici tritae illinantur (sc. alopeciae).

133 = 11,84. 542

item lingulaca . . cuius radix combusta teritur cum adipe suis nigrae; id quoque excipitur ut eius sit suis quae numquam peperit.

Verbum *sit* abest a libris MSS. qui *eius uis* vel *eius suis* habent, recte et ei qua Plinius in verborum ellipsi utitur libertati accommodate. Cf. Grasberger, de usu Plin.

p. 11 sqq. Obiter moneo §. 135 e bonis libris scribendum esse *iuncis tenuissimis*, (*iunci* R) §. 140 omnium librorum scripturam *chrysallion* vel *chrysalion* quae indice confirmatur, ab editoribus, male in *crystallion* mutatam rectissime ab I. restitui. Quidni enim in nothis Dioscoridis IV. 70 errari potuit? Atque ut omnino in his nominibus corrigendis summa cautione opus est, ita ne in §. 144 quidem bonum vocabulum *acoron*, quod in indice repetitur, mutaverim.

543 **145 = 13,92.**

ea (asyla) a nostris ferus oculus vocatur.

feris oculis codd. Iidem in indice *felix*, *fetis*, *fellis*. Scribendum est igitur *felix oculus*.

544 **148 = 13,94.**

Huius folia alba, alterius latiora ut lapathi sativae.

Mandragorae feminae vel nigrae folia angustiora quam lactucae folia appellantur §. 147, *στενώτερα καὶ μικρότερα* a Dioscor. IV. 76; candidi *μεγάλα, λευκά* ab eodem. Nunc igitur, ubi de mare sermo est, scribatur oportet:

Huius alterius folia alba, latiora etc.

545 **149** = ibidem.

odor gravis ei, sed radicis et mali gravior. Mala matura etc.

Ita Sill., Ian. *gravior*, *et albi mala matura*, uterque male. Codicis enim a scriptura, modo vulgatam interpunctionem mutaveris, cum Dioscoridis loco IV. 76 optime conciliatur. Candidi tantum mala *εὐώδη μετὰ δὲ βάρους τινός* esse tradit. Quod Plinius ita expressit:

odor gravis eius, *et radicis et mali gravior ex albo. Mala matura* etc.

Proximus sensus qui nunc vulgo legitur a Barbaro interpolatus est:

Folia servantur in muria efficacius, alias recen- 546
tium sucus pestis est; sic quoque noxiae vires.

Scilicet quae in libris MSS. reperiuntur *albus rore tantum sucum* (*succus* a) ita sunt corrupta ut sucum sole densandum, a rore cavendum esse declarent. Plinius enim sicut XVI. 193 sq. materiam rorulentam, XVIII. 315 uvam rorulentam legi non oportere praecipit (cf. XVIII. 330), ita hic mandragorae rorulenti sucum noxium esse indicat, album autem nigro esse efficaciorem. Scribendum est igitur:

Folia servantur in muria, efficacius albi. Rorulenti sucus pestis est etc.

§. 159, 160 vulgata lectio *Aizoi duo genera* praeferenda est.

160 = 13,101. 547

alterum (aizoum) minusculum, quod erithales vocant . . . aliqui isoetes, sed aizoum utrumque, quoniam vireat semper.

Locum corruptissimum talem exhibent codices MSS.:

aliqui semitalia sedum qui aizoum utrumque vireat semper a, *aliqui sempervivum* a²

aliqui is (*h is* V) *is et similia sedum sed qui aizoum utrumque quoniam vireat* (*virerat* R) *semper* fere consentientes VR.

Itaque v. *sedum* quod etiam in indice legitur a Sill. spretum recte ab Iano restitutum est. Tum v. *isoetes* post v. *aliqui* truncatum indice comprobatur. Quae proxime sequuntur litterae *semitalia* vel *et similia* mea quidem sententia non v. *Italia*, quemadmodum S. I. statuerunt, continent, sed adverbium *similiter*, sc. ac maius aizoum. Deinde *qui* expulsa duorum librorum dittographia *sed* ac suppleta syllaba facile in *aliqui* corrigitur, tota denique sententia e cod. a²,

ubi v. *quoniam* proximis litteris *que* absorptum fuit, ita optime finitur:

aliqui isoetes et similiter sedum, aliqui aizoum utrumque, quoniam vireat semper, sempervivum.

Quae enim in a² inseritur *aliqui* correctio ad v. *qui* refertur.

Proximus sensus ante Sill. emendatius scribebatur.

§. 161 *palmo* in *palmum* corrigendum erat, ut factum est XXVI. 39.

§. 168 lego: *roboris sed minora*; §. 171 *nectitur.*

548 172 = 13,109.

alterum (ranunculi genus) . . altis caulibus

alitus V R, *altius* a d quod recipi oportere verbo Dioscoridis II. 206 *μακροκαυλότερον* demonstratur.

LIBER XXVI.

§. 1—20 in chrestomathia p. 241 sqq tractavimus. §. 24 haud dubie *circumfossa*, ut vulgo ante Sill. Ian., scribendum est. Plinius enim de tempore loquitur, quo planta effossa erat. §. 28 nescio quidni codicum scriptura *drachma ponderis* recepta sit, cf. XI. 184. §. 40 Ianus scripturam librorum *sillybus* recte secutus est, vellem etiam *densatur* ex optimis libris scripsisset, quo verborum facilior structura redderetur. §. 42 *geminos* scripserim.

549 47 = 8,30.

Et ladano sistitur alvus utroque, quod in segetibus nascitur.

Ladanum caprarum barbis villisque inhaerescens inter segetes nullo modo nasci potuit. Immo frutex *κατὰ τὰ αὐτὰ φυόμενος τῷ κίστῳ* appellatur a Dioscoride I. 128 scilicet *ἐν πετρώδεσι τόποις* ib. 126, in *silvestribus et montuosis*, ut clymenus apud Plin. XXV. 70. Atque non segetes

sed *silvas Arabum pastu caprarum infringi* idem retulit XII. 74. Itaque h. l. non *segetibus* scribendum esse apparet sed *silvestribus.*

Ibidem.

Ledon appellatur herba ex qua fit (ladanum) in Cypro . . nobilius in Arabia 550

τὸ μέντοι ἀραβικὸν καὶ λιβυκὸν εὐτελέστερον Diosc. l. l. *verum* — *ladanum Cypri insulae esse* Plin. l. l. Itaque h. l. non *nobilius*, sed *vilius* legi oportet.

§. 58 scr. *filiculam*, cf. Diosc. IV. 185 et *filicis*.

65 = 8,39. 551

est enim tam ferventis naturae ut per se extra corpori impositum pusulas — faciat.

Sive de suco tithymali sive de ipsa herba accipias, masculino genere opus est scribendumque haud dubie *impositus.*

67 = 8,40. (de tithymalo myrtite) 552

minus hic vomitionibus quam superior, ceteri item.

Dativum etsi vix puto exemplis vel ellipsis vel casuum constructionis a Grasbergero p. 7 sqq. 34 collectis ita defendi ut adiectivo *idoneus* carere possimus, tamen istud medicorum dicendi genus confidentius emendare non audeo. Id vero non dubito affirmare, eundem dativum ‚ceteri' vocabulo necessario restitui. Neque enim cetera tithymali genera cum myrtite, sed vomitiones cum reliquis morborum remediis comparantur. Nam, ut cum Dioscoride loquar IV. 162, *δύναμιν ἔχει . . ὁμοίαν τῷ πρὸ αὐτοῦ· ἐμετικώτερος μέντοι ἐκεῖνος τούτου ἐστίν.* Itaque scribendum esse censeo:

minus hic vomitionibus (idoneus) quam superior, ceteris item.

§. 70 non *cyparissian* sed ex omnibus libris *cyparittian* scribo.

553 79 = 8,49.

Xiphii quoque radix superior urinam ciet infantibus, enterocelicis datur ex aqua et illinitur vesicae vitiis; peucedani sucus infantium ramici et umbilicis eminentibus psyllion illinitur.

Locus interpunctione mutata sanabitur. Nam psyllion, ut ait Dioscor. IV. 70, *ἐντεροκήλας τε τὰς ἐπὶ παίδων καὶ ἐξομφάλους ὑγιάζει*, peucedani sucus *πρός τε πόνους καὶ διατάσεις κύστεως καὶ νεφρῶν πινόμενος ποιεῖ* (III. 82). Distinguendum est igitur hoc modo:

— *illinitur; vesicae vitiis peucedani sucus; infantium ramici — illinitur.*

Quod clarius etiam ex haec cod. Luciliburgensis lectione elucet: *sucus ramiti infantibus.*

554 82 = 8,50. (de crethmo)

est autem inter eas quae eduntur silvestrium herbarum — speciesque batis hortensiae.

batis Barbar. *plantae* Ian. E scriptura librorum MSS. *elatae* facile elicitur syllaba suppleta *elatinae hortensiae*, cf. Dioscor. IV. 40.

86 = 8,54.

555 Vis semini excalfactoria et ideo inflationem facit.

Calida seminis vi, non inflationem sed *inflammationem* effici consentaneum est: atque sic in cod. R scriptum exstat.

556 89 = 8,58.

Ischiadici — sanantur, panace poto et infricata polemonia rel.

infricato libri MSS. ad unum omnes habent, prorsus ut

est apud Dioscor. III. 48 *ἔστι δὲ καὶ σύγχρισμα ἰσχιάδος* panaces et IV. 8 *ταύτης* (polemoniae) *ἡ ῥίζα πίνεται . . πρὸς . . . ἰσχιάδα μεθ' ὕδατος.* Sequitur, verba sic esse distinguenda:

panace poto et infricato, polemonia etc.

90 = 8,58. 557

Sedis vitia . . celerrime sanat plantago, condylomata quinquefolium, sedem conversam cyclamini radix ex aceto.

sedeam (*sed eam* V) *conversam* V R[1]. *sedeam calumniam conversam* a, *sedeam calumniam* R[2]. Vocabulum *calumniam* quod codicum a R[2] consensu satis munitur, ab editoribus male neglectum est, e descriptione quinquefolii apud Dioscoridem IV. 42 *τραύματα — ἰᾶται* nullo negotio emendabitur ubi scripseris:

condylomata quinquefolium *a c v u l n e r a*, *sedem* etc.

Obiter moneo §. 98 *etiam si* separatim scribenda esse, *m a g i s* post v. *adeo* probabilius inseri quam ante eandem, quum particulae *si* vicinia absorptum esse videatur.

108 = 11,68. 558

Geranion aliqui myrrin, alii myrtida appellant; similis est cicutae, minutioribus foliis et caule brevior, rotunda, saporis et odoris iucundi.

Foliis et caule descriptis quid tandem restat? Nempe radicem loco simillimo Dioscorides IV. 114 ita describit: *ῥίζαν δὲ ἔχει — περιφερῆ, εὐώδη, ἡδεῖαν βρωθῆναι.* Manifestum igitur vitium corrigo scribens

r a d i c e rotunda saporis etc.

110 = 11,68. 559

Phagedaenis [quod nomen sine modo esurientium est, alias ulcerum] tithymali medentur.

Quam uncis inclusimus sententia ferri fortasse posset, si nunc primum phagedaenae mentio fieret. Nunc vero, quum Plinius iam XX. 27, XXIV. 110 ulcera esse monuerit, alteram autem significationem verbi nusquam attigerit, interpretamentum hominis non indocti delendum esse censeo.

560 116 = 11,71.

Buglosso inarescente, si quis medullam e caule eximat dicatque ad quem liberandum febri id faciat et alliget ei septem folia — aiunt febri liberari; item Vettonicae drachmam in aquae mulsae cyathis tribus etc.

In aqua mulsa nullum medicamentum fieri potest ut alligetur: apparet accusativum casum voce *dedere* regi quae in proximo superiore sensu legitur, atque verba *buglosso — liberari*, a Plinio ut videtur margini addita non media inter medicamentorum ordinem collocanda sed in fine totius loci verbis *aristolochia perfrictionibus resistit* adiungi debere.

561 121 = 11,74.

Igni sacro medentur aizoum... mandragorae radix, — secatur in asses ut cucumis primumque super mustum suspenditur, mox in fumo, dein tunditur e vino aut aceto seqq.

Leve vitium interpunctione mutata corrigitur. Nam e vino radix non tunditur sed medetur, cf. Theophrastus hist. plant. IX. 9. 1. Itaque post v. *tunditur* est interpungendum itaque finita parenthesi voce ,tunditur' continuanda est oratio: *tunditur — e vino.*

562 127 = 12,79.

item quae contunsa sint duritiasque et sinus corporis illecebra (sanat).

Rectissime Pintianus ,sinum corporis' malum non esse vidit, recteque idem *sinus ulcerum* XXVII. 63 commemorari

monuit. Quum autem *sinuosa corporis ulcera* coniecit, Plinium interpolavit magis quam sanavit. Scilicet *corporis* e proxima voce *corpori* male huc translatum est. Quo expulso scribo:

duritiasque et sinus ulcerum.

Etiam ‚duritiae in alto ulcerum‘ XXX. 114 reperiuntur.

151 = 15,90. 563

Muliebribus morbis medetur maxime in universum paeoniae herbae semen nigrum ex aqua mulsa; eadem et in radice vis menses ciet, panacis semen cum absinthio menses et sudores, scordotis potu et illitu.

herbae Gronovius in cod. V legi negat, Sill. Nauta auctore affirmat, itaque vocabulum supervacaneum cum Pintiano expungere non audeo. Reliqua ut nunc leguntur usui scriptoris repugnant; nusquam enim remedii ‚vis‘ cum verbo transitivo coniungitur. Accedit quod paeoniae radice plura mulierum mala sanari dicuntur a Dioscoride III. 147: *δίδοται δὲ ξηρὰ γυναιξὶν ἡ ῥίζα ταῖς ἐκ τόκου μὴ καθαιρομέναις· κινεῖ δὲ καὶ τὰ καταμήνια* . . . Tum aliquid in archetypo codice erratum esse libri a vitiis docemur qui nihil nisi haec habet: *meses ciet panacis se meses.* Quum igitur verba *semen cum absinthio* e margine archetypi, ut videtur, a scribis repeterentur, contigit ut v. *menses* bis non semel scriberetur. Recte omnia ita procedent:

eadem et in radice vis; *menses ciet panacis semen cum apsinthio et sudores*, rel.

LIBER XXVII.

In hoc quoque libro emendando codicem a prae ceteris sequendum esse existimo, lacunosum illum quidem et plurimis vitiis inquinatum, sed qui verae plerumque scrip-

tarae vestigia conservaverit. Velut §. 25 vulgo recte *Syriae* legi Dioscorides III. 140 auctor est. *Histriae* reliqui libri exhibent male correctum, *istoriae* a, e quo ubi syllabam *is* e proximo vocabulo *maritimis* male repetitam deleveris *sriae* facile restituitur.

564 2 = 1,1.

Scythicam herbam a Maeotis paludibus et euphorbiam e monte Atlante ultraque Herculis columnas et ipso rerum naturae defectu rel.

Ablativum nullo modo explicari posse, defectu naturae deserta Atlanti vicina significari apparet, cf. V. 15 sq. Itaque scribi oportet:

ex ipso — defectu. §. 4 *Caelius* recte Ruhnkenius.

565 5 = 2,2. (de aconito).

Ea est natura ut hominem occidat, nisi invenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur veluti pari intus invento; sola haec pugna est, cum venenum in visceribus reperit rel.

(R deficit) *velum parte intus* V[1] *veluti presentius* V[2], *velut praesentius* a, haud dubie recipiendum. *Praesens* enim sive remedium sive venenum saepissime Plinius non id tantum appellat, quod statim, sed quod omnino vim suam praestat. Cf. XVI. 51, XXI. 118, 149, XXIII. 149, XXIV. 2, XXVI. 38, XXVIII. 53, XXIX. 50, XXXII. 46.

566 14 = 4,5.

Aloe scillae similitudinem habet, maior et pinguioribus foliis, ex obliquo striata; caulis eius tener est . . radice una . . ., gravi odore, gustu amara.

Non radix tantum odore gravis est, nam *βαρύοσμος δὲ* Dioscorides ait III. 22, *ὅλη καὶ ἀπογευομένῳ πικροτάτη*

ἔστι δὲ μονόρριζος etc., atque hoc ipsum *gravis* in codicibus legitur. Scribe: *Aloe n. s. h. m. b. p. f. e. o. striata — caulis eius t. e. . . . r. u. ceu palo in terram demissa — gravis odore, g. a.*

Ibidem. 567

mirifice enim conglutinat vel suco; ob id in turbinibus cadorum eam serunt.

In turbinibus quos nos Spunde dicimus herba seri nequit, sucus inseritur i. e. imponitur optime. Itaque praepositionem *in* verbo suo sic reddo: *ob id turbinibus c. eam inserunt.*

16 = ibidem. 568

Erit ergo optima pinguis ac nitida, rufi coloris, friabilis et iocineris modo coacta, facile liquescens.

Quid tandem sibi vult ‚iecur coactum'? *ὑπόξανθον, εὔθρυπτον, ἡπατίζουσαν, ῥᾳδίως ὑγραινομένην* Diosc. III. 22 vocat i. e. cuius sucus in pastillos coactus (XX. 3 al.) facile liquescat. Levi igitur transpositione locus Plinii sanatur: *rufi coloris et iocineris modo, friabilis coacta, facile liquescens.*

33 = 5,16. 569

Arction — similis est verbasco foliis — caule longo — semine cumini; nascitur in petrosis, radice tenera, alba dulcique.

Descriptio speciei loci indicatione moleste interrumpitur: versu XXVI litterarum transposito scribe: *cumini, radice — dulcique, nascitur in petrosis.*

Ibidem. 570

Decoquitur in vino ad dentium dolores ita ut contineatur ore decoctum.

dolorem vulgo recte scribebatur e Ra; *ore* codd. secutus recte Ianus omisit; *ita ut* Sill. *ut ita* Ian., codd. *ita*: scribe *ut*.

571 38 = 5,21.

Aphaca tenuia admodum folia habet, pusillo altior lenticula; siliquas maiores fert, in quibus terna aut quaterna semina sunt nigriora et madidiora et minora lenticula.

Primum *pusilla* e codd. a Vr restitui debet: Plinius enim nusquam huius adiectivi ablativo in comparatione utitur. Deinde non erat cur S. I. v. *est* post *lenticula* codd. R a invitis omitterent; denique non vv. cum Iano *et minora* quae in V^2 a r desunt, sed vv. *et madidiora* expungendae erant, ut Plinii locus cum descriptione Dioscoridis II. 177 *περιεκτικὰ τῶν σπερματίων τριῶν ἢ τεσσάρων μελάνων καὶ μικροτέρων φακοῦ* conciliaretur. Quae enim sunt ,madida' semina?

572 46 = 7,28. (de absinthio)

vetus sine usu est.

a quocum R^2 ut plerumque consentit *vetustissime usu est* spatio unius vel duarum litterarum vacuo. Collatis quae §. 48 sequuntur verbis ,Antiqui — databant' scribendum est: *vetustissimum usu est.*

573 47 = ibidem.

iterumque percolatum lente coquitur ad crassitudinem mellis, qualiter ex minore centaurio quaeritur sucus.

lente vulgo. Ad vitiosas codicum lectiones *herbae lecta* V *herbae leciti* R *herbae ita* a via et ratione emendanda Dioscoridis descriptio adhibenda est qui de centaurio minore III. 7 haec habet: *ὑλίζεται δι' ὀθονίου θλιβείσης τῆς πόας* i. e.:

herba elisa.

60 = 8,38. (de circaea). 574

…itur in vino bibiturque ad dolorem vulvae …itia; macerari oportet in sextariis tribus qua…ntem radicis tunsae nocte et die. Trahit eadem …io et secundas; semine lac minuitur in vino rel.

…libri MSS. *minuit;* rectissime dummodo Dioscoridis …omparato (III. 124: ἡ ῥίζα ἀποκαθαίρει· ὁ δὲ καρπὸς κατασπᾷ) verba ita distinguas: *die; trahit — secundas.* …*e lac minuit* (sc. circaea).

63 = 8,40. 575

…albentes mulieres.

… *mulierum* a R^2 recte, sc. Graece dictum, sicut §. 87 …*escentibus ulcerum.*

64 = 8,41. 576

…(Crocodilei radix) pota sanguinem per nares pellit copiosum crassumque atque ita lienes consumere dicitur.

Itane vero? sanguine per nares pulso? Ἰσχύει δέ, Dioscorides inquit III. 10, ἡ ῥίζα ζεσθεῖσα ἐν ὕδατι καὶ πινομένη ἄγειν πολὺ αἷμα διὰ ῥωθώνων· δίδοται δὲ καὶ σπληνικοῖς ἐναργῶς ὠφελοῦσα. Voce igitur *ita* quae in bonis codicibus a R V sola reperitur, cum *atque* ex c d tantum afferatur, correcta scribendum est: *crassumque, item lienis* rel.

75 = 9,51. 577

Empetros quam nostri calcifragam vocant nascitur in montibus maritimis, [fere in saxo]; quae propius mari fuerit salsa est rel.

Non in maritimis montibus nascitur sed in maritimis et montibus, ἐν παραλίοις καὶ ὀρεινοῖς Diosc. IV. 178. Facile autem copulam inseri licebit quum primum glossam ineptam removerimus. Nam verbis *fere in saxo* quae nunc

quorsum referenda sint non invenio, vocem *empetros* in protarchetypi margine explicatam fuisse apparet. Quibus deletis locus ita persanabitur: *maritimisque; quae propius.* Atque re vera non *quae* sed *que* legitur in a R V.

578 76 = 9,53.

Epimedion caulis est non magnus hederae foliis denis atque duodenis, numquam florens, radice tenui, nigra, gravi odore; in umidis nascitur.

Hic rursus addendum aliquid, non expungendum est. Particulam enim *ac* quae in a una cum praepositione *in* deest, in V T d exstat, in R *hac* scribitur, Sill. temere neglexit, Ianus male in *at* mutavit. E loco Dioscoridis IV. 19 *ῥίζαι δὲ λεπταί, μέλαιναι, βαρύοσμοι, γευσαμένῳ μωραί· φύεται ἐν τόποις ὑδρηλοῖς* supplendum est:

odore ac gustu fatuo; in rel.

579 78 = 9,55. (de filice).

ex una radice complures exeunt filices bina etiam cubita excedentes longitudine, non graves odore.

Diosc. IV. 183 folia *ὑποδυσώδη* appellat, Plinius sicut XXXIV. 173 *modice graves odore* appellavit.

580 79 = ibidem.

Pellunt interaneorum animalia, ex his taenias cum melle, cetera ex vino dulci triduo potae. Utraque (filix) — alvum solvit primo bilem trahens, mox aquam; melius taenias cum scammonii pari pondere. Radix eius pondere duum obolorum ex aqua — bibitur melle praegustato contra rheumatismos. . . . .

Locum perturbatum esse vv. *pari pondere* evincitur. Par enim pondus tum tantum quid sit intelligitur, quum quae nunc sequuntur verba *duum obolorum* praecesserunt.

Itaque locis Theophrasti IX. 18. 7 et Dioscor. IV. 183 comparatis levi transpositione Plinii verba ita ordinentur oportet: *aquam. Radix — rheumatismos, melius (contra) taenias cum se, pari pondere.* Praepositio enim ab ipso auctore omissa videtur esse, quum hunc sensum margini postea adscriberet.

§. 81 *ipsis* corruptum esse video, corrigere in re incerta non audeo.

91 = 10,65.

vulnera quoque conglutinat (holosteon herba); 581
nam et carnes coguntur addita.

Diosc. IV. 11 *δύναται δὲ καὶ αὐτὴ κρέα συνάγειν συνεψομένη. dum coquuntur* a r, *cu cocuntur* R[1] *tum cocuntur* R[2]. Scribe cum a *dum coquuntur* sc. conglutinat, de qua verbi ellipsi diligenter, ut solet, egit Grasberger de usu Plin. p. 14. Verba *sicut fel dulce* merito a Pintiano damnantur.

93 = 11,69.

Idaeae herbae folia sunt quae oxymyrsines; ad- 582
haerent iis velut pampini, in quibus flos. Ipsa alvum mensesque — sistit rel.

Quaenam est ipsa herba a foliis et flore distincta? De radice sermonem esse Dioscorides IV. 44 indicat his verbis: *ταύτης ἡ ῥίζα στυπτικὴ σφόδρα κ. τ. λ.* Quae ex optimarum membranarum a R[2] *floremque ipsum, flos remque ipsi* vitiis sic restituitur:

in quibus flos. Radix ipsa etc.

97 = 11,73.

Lycapsos longioribus quam lactuca est foliis cras- 583
sioribusque, caule longo, hirsuto, adgnatis multis cubitalibus, flore parvo purpureo; nascitur in campestribus.

Ita ut vulgo Sill. libris MSS. neglectis, in quibus non

vitiosum locum esse sed mancum Dioscoridis verbis IV. 26 efficitur. Plinii enim libri a R V d *caulem longum* et *hirsutis* legunt; *lactuce* a R d. Dioscorides autem *καυλὸν*, inquit, *ἀνίησι μακρὸν, ὀρθὸν, τραχὺν, παραφυάδας ἔχοντα πολλὰς, πηχυαίας, τραχείας· καὶ ἐπ᾽ αὐταῖς ἄνθη μικρὰ, πορφυρίζοντα.* Facile igitur intelligitur, et verbum quo accusativi reguntur, et alterum adiectivum *τραχύν* excidisse: quibus suppletis scribendum est: *L. l. q. lactucae foliis* (sic recte I.) *c. caulem longum emittit* (cf. XVIII. 57, XXI. 97) *hirsutum*, *hirsutis* rel.

584 98 = 11,74.

alii diospyron, alii Heracleos.

Scr. *alii Dios pyron*, *alii Heracleus*, ut est in a R V.

585 102 = 11, 77. (de leucade).

Speciem eius auctores non tradunt, nec aliud quam silvestrem latioribus foliis esse efficaciorem, hanc semine acriorem.

Dioscor. III. 103: *λευκὰς ὀρεινὴ πλατυφυλλοτέρα τῆς ἡμέρου ἐστὶ, δριμύτερόν τε καὶ πικρότερον ἔχουσα τὸν καρπὸν καὶ ἀστομώτερον· δραστικωτέρα μέντοι τυγχάνει τῆς ἡμέρου.* Itaque non *hanc* sed *ac* scribatur oportet, *acriore* e codd. recipiatur.

586 109 = 12,85.

Othonna in Syria nascitur, similis erucae, perforatis crebro foliis, flore croci, quare quidam anemonen vocaverunt.

cocti a, *cocci* reliqui codices rectissime. Anemone enim ‚aut phoenicium florem habet, quae et copiosissima est, aut purpureum aut lacteum‘ (XXI. 164); coccum autem (cf. XXI. 45) a phoenicio colore non abhorrere Dioscorides II. 207 confirmat, secundum quem anemone sativa *ἡ μὲν φοινικᾶ φέρει τὰ ἄνθη, ἡ δὲ ὑπόλευκα, ἡ γαλακτίζοντα, ἢ πορφυρᾶ,*

silvestris *ἄνθος φοινικοῦν* est. Itaque fortasse apud eundem IV. 213 *ἄνθος κρόκινον* in *κόκκινον* mutare quam apud Plinium optimorum librorum auctoritatem spernere praestat.

119 = 12,93. 587

Peplis . . ex una radice tenui fruticat foliis rutae, paulo latioribus, semine sub foliis rotundo, minore quam candidi papaveris. Inter etc.

Ita vulgo, nec sane Dioscorides repugnat IV. 165: *καὶ ὑπὸ* (sic enim recte vulgo legi Plinii loco efficitur) *τοῖς φύλλοις καρπὸς μικρὸς, στρογγύλος, ἥττων τῆς λευκῆς μήκωνος*. At vehementer repugnant Plinii membranae e quibus d ultima vocabula haud dubie interpolata talia exhibet: *minus candido quam papaveris,* optimae R V (nam a hic nos deficit), *minos candido papaver*, quod Plinius ex eodem libro qui a Dioscoride usurpatus est ad verbum recte, ad sensum fortasse mutata structura ineptius transtulisse putandus est. Nam: *ἥττων τῆς λευκῆς μήκωνος* nihil aliud est quam:

m i n o r c a n d i d o p a p a v e r e. Ultima enim vocalis proxima littera *i* absorpta est.

124 = 12,98. (de phalangitide). 588

Flos candidus, lilio rubro similis.

Diosc. III. 112: *ἄνθη λευκὰ, παραπλήσια κρίνῳ*. Flores lilii rubri candidi non sunt, itaque v. *rubro* aut prorsus delenda, aut, quod magis placet, cum *lilio* coniuncta in *liliaceo* mutanda videtur esse.

125 = 12,100. (de phyllo). 589

Femina magis herbacei coloris, caule tenui.

Herbae quacum phylli feminae color comparatur, nomen excidit, quod e Dioscoridis III. 130 verbis *ἔχον χλωρότερον ἐλαίας τὸ φύλλον* facile ita suppletur:

femina o l i v a magis herb. col.

590 **126 = 12,102.**

Et hoc (semen phaleridis) calculos frangit potum ex vino vel aceto cum melle et lacte.

Nescio quod medicamentum aceto, melle et lacte misceri commode possit; atque ex optimis libris a R scribendum esse censeo; *vel cum melle et lacte*, item §. 128 e codd. a Θ V R cum Iano *rhe coma* (*rhecoma* Ianus).

591 133 = 13,109 (de smyrnio).

radix quoque odorata gustu acri mordet, sucosa, mollis; cortex eius foris niger, intus pallidus; odor murrae habet qualitatem.

Non odor radicis murrae similis est secundum Dioscor. III. 72, sed seminis sapor. *σπέρμα*, ait — *ὅμοιον τῷ τῆς κράμβης, μέλαν, δριμὺ, γευομένῳ ὡς σμύρνη.* Plinius idem etsi non eodem loco sed absoluta herbae totius descriptione addiderat; postea autem, quum prima vocis *sapor*, quae utique restituenda est, littera extrema vocabuli *pallidus* absorpta esset, *apor* male mutatum est in *odor*.

592 142 = 13,117. (de tragopogone).

nascitur in asperis sine usu.

ἔστι δὲ ἡ πόα ἐδώδιμος Diosc. II. 172, loco, ubi provenire dicitur, omisso. *manditur sine usu* R², *manditurque sine usu* a, quos codd. ut optimos auctores secutus scribo:

nascitur in asperis manditurque; sine usu (sc. in medicina).

Nam vv. *in asperis manditurque* in reliquis libris V R¹ d temere excidisse scriptura *nasciturque* i. e. ‚nascitur manditurque‘ demonstratur.

LIBER XXVIII.

Ad hunc librum emendandum quoniam optimo libro a uti non licet, prae reliquis R² sequendum esse arbitror; illius enim codicis alteram manum ad a proxime accedere

intellexi. Neque tamen cod. V ac ne ipsum quidem cod. d contemnendum esse inde apparet, quod in nonnullis locis veluti §. 50 omnes libri erroribus ex archetypo repetitis inquinati sunt. Adhibui etiam libri Lucilliburgensis (quem E appello) eam partem, quam v. d. Michel in programmate Athenaei Lucilib. a. 1865 edito diligenter contulit, etsi ad eandem fere familiam referendum esse intellexi, ad quam T d pertinent, cf. Eos II. p. 354.

4 = 1,2. 593

Incipiemus autem ab homine ipsum sibi exquirentes.

Quorsum v. *ipsum* referenda sit, non video, nisi participii casum in *exquirente* mutaveris. §. 5 *usque* quod in libris a Sill. collatis non reperitur non a Plinio brevitatis studiosissimo scriptum esse sed interpolatione ortum videtur. — §§. 10—29 in chrestomathia tractavimus.

34 = 4,6. 594

Elide solebat ostendi Pelopis costa quam eburneam affirmabant.

ostilia ni R, *ostiliam* VT, unde Gronovius eleganter *scapula* coniecit, cuius tamen nominis singularis casus in usu non est. *os*, *ulnae eius* Ianus, quod et durius dictum et ab ipsa fabula alienum est. Humerus enim fieri potest ut per metonymiam brachium vocetur, sc. totum pro parte, neque tamen ut una brachii pars alterius locum usurpet. Ὀστοῦν et ὀστᾶ Pausanias commemorat V. 13. 4, VI. 22. 1: negligentius Plinius miraculum costam appellavit. Itaque scribendum est *costa illa.*

36 = 4,7. 595

Eadem ratione terna despuere praedicatione in omni medicina mos est.

Scribe: *precatione.*

596 39 = ibidem.

Nos si haec, et illa credamus rite fieri, extranei interventu aut si dormiens spectetur infans a nutrice terna adspui, quamquam illos religione tutatur et fascinus imperatorum quoque, non solum infantium custos qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus invidiae, iubetque eosdem respicere similis medicina linguae, ut sit exorata a tergo Fortuna gloriae carnifex.

Locum misere corruptum talem Sill. exhibuit, e libris MSS. ii quos prae reliquis sequi par est R V alio modo sanandum esse demonstrant. Ac primum quidem in utroque non *nos* quod in d interpolatum esse videtur sed *eos* legitur, referendum haud dubie ad Marcionem, Opilium, Salpen, qui sputi efficaciam celebrasse sensu proximo superiore dicuntur. Neque tamen Gronovius qui pronominis rationem optime intellexit, *eos* in *eis* recte videtur mutasse. Nam lacunosum potius locum esse verbumque quo infinitivi regantur, desiderari voce *fieri* indicatur, quae in V d legitur, a R abest. Quam lacunam in codice archetypo latius etiam patuisse primum verisimile fit voce *mutuatur* vel ut est in R[1] *utuatur*, in R[2] *mutatur*; tum vocabulo *terna* quod solum neutro casu cum verbo proximo commode coniungitur. His accedit quod quia ab eorum tantum maleficiis nutrici cavendum erat qui malignis fortasse oculis infantem dormientem spectarent, quum contra a parentibus nihil mali expectare liceret, particula *aut* ubi nunc legitur ferri nequit. Quodsi igitur reputaveris, singulos archetypi codicis versus litteris vicenis septenis aut octonis fere constitisse, quibus

verba quae postea exciderunt in margine addita videantur esse, haec fere in eo olim scripta extitisse concedes:

SVPERIOR PALPEBRA SALIVA TANGAN
TVR EOS HAEC CREDAMVS RITE FIERI iubere aut
EXTRANEI INTERVENTV SI DORMIENS
SPECTETVR INFANS A NVTRICE TERNA precatione
ADSPVI QVAMQVAM ILLOS RELIGIONE mutua tuea-
TVR.

Quam interrogationem indignantis scriptoris esse Ianus animadvertit. At *illos* i. e. non infantes, de quibus ne cum Gronovio cogitemus vel numero prohibemur, sed auctorum superstitiones defendi Plinius fascini religione ait qui non infantes tantum sed etiam triumphantes tueri credatur; et *mutua* quidem religione, ita ut si illi fascini vim pueris salutarem admittant, ne sputi quidem efficaciam qui fascinum colant, negent. V. *religio* similiter usurpatur §. 65. Particula autem *quamquam* verbi *tueatur* coniunctivum regi non est quod mireris, cf. XVI. 161.

Reliqua praeter v. *recipere* quam Sill. inutili coniectura (Prellero placuisse mythol. Rom. p. 205 satis mirari nequeo) *resipiscere* tentavit, quasi insanirent triumphatores, nescio quis ante Dalecampium, Rhodiginus, ut Sill. refert, recte in *respicere* mutavit, non tam corrigenda quam e libris MSS. restituenda erunt. Praepositione *a* quae in d solo legitur expuncta fascinum non a virginibus Vestalibus sed festis Vestalium diebus coli solitum esse discimus, ad quorum laetitiam concelebrandam quum etiam aselli admitterentur, suum fascino locum fuisse intelligitur. Tum e cod. R lectio *eodem* recipiatur oportet. Nam *medicina linguae* quum fascini *similis* vocetur, signum et ipsum fuisse debuit, lingua, puta, Medusae exserta quae posticae currus parti affixa triumphantem *eodem* i. e. pone se respicere iuberet.

Quae si recte hactenus disputata sunt, Plinius satis quidem obscuram, sed non inelegantem hance sententiam scripsisse putandus est:

11

Eos haec credamus rite fieri iubere, aut extranei interventu — adspui? quamquam illos religione mutua tueatur et fascinus, imperatorum — custos qui deus inter sacra Romana Vestalibus colitur et — invidiae, iubetque eodem respicere similis medicina linguae rel.

597 40 = 4,8.

Morsus hominis inter asperrimos quoque numeratur.

Scribe: *inter asperrimos quosque.*

598 41 = 4,9.

Virorum — capillus canis morsibus medetur — et capitum vulneribus — a revulso cruci, quartanis, combustus — carcinomati.

hoc revulso R *ac revulso* V d, rectissime, i. e. *ac revulso cruci* (si cruci revulsus fuerit vir) *quartanis.*

43 = 4,10.

599 si pollices pedum pungantur eaeque guttae referantur in faciem.

seferantur R. *se ferantur* V. Scribe: *si ferantur in faciem.*

600 51 = 4,13.

Excedit fidem — cura qua sordes virilitatis contra scorpionum ictus singularis remedii celeberrimi auctores clamant; rursus in feminis, quas infantium alvo editas in utero ipso contra sterilitatem subdi censent; meconium vocant.

Meconium non ante partum in utero sed statim post partum edi constat, cf. Aristot. H. anim. VII. 10 p. 587 Bek. Itaque turpem errorem et paene ridiculum ne Plinius commisisse videatur, suppleta quae excidit vocula scribendum est: *paene in utero ipso.*

61 = 6,17. 601

(Prodest) extremitates corporis velleribus perstringi contra horrores [corporis] sanguinemve narium immodicum, lino vel papyro principia genitalium, femur medium ad cohibenda urinae profluvia.

Mancam orationem esse et imperfectam apparet, nam cuius mali remedium lino genitalibus alligato contineretur prorsus legentem latebat nisi a veteribus medicis qui ab Harduino laudantur edoceremur contra sanguinem naribus profluentem valere. Cf. Marcell. Empir. X. p. 86 alios. Idem igitur usus fuit lini ac vellerum lanaeque licet alio modo impositorum, nam haec quoque sanguinem in naribus et auribus sistunt, cf. XXIX. 31, 32. Accedit optimorum librorum auctoritas. Alterum vocabulum *corporis* non legitur in V R^1, in iisdem non *sanguinemve* scriptum exstat sed *sanguinem vel;* denique *velleribus* recte quidem a Sill. receptum est, sed vulgata lectio *vel aurium* codicis R^2 scriptura *vel auribus* commendatur, quae quum *vel aurium* esse deberet, e margine archetypi loco praepostero inserta est. Itaque omissa altera voce *corporis* ne usui quidem scriptoris consentanea (nam voce ‚horrores' in re medica sola utitur) lacuna ita expletur facillime:

contra horrores, contra sanguinem v e l a u r i u m *vel narium immodicum lino vel papyro pr. gen.* rel.

74 = 7,21. 602

peculiariter valet (lac mulierum) potum contra venena quae data sint e marino lepore, bupresti, ut Aristoteles tradit, dorycnion.

sunt R^2 *bupresti* R^2 *bupraesti* V^2, *prestimutatim* R^1 *praestimutatim* V^1, *bupresti mutatim* d; unde Ianus *praesertim, ut*

alii elicuit, satis quidem ille sagaciter, sed eatenus falsus quod buprestim omisit. Nam et eo Scribonii Largi loco quem Hard. attulit comp. 190 lac ad buprestim valere dicitur et a Plinio XXIII. 30, XXIX. 105 inter venena buprestis enumeratur. Quum praeterea plurimum codici R^2 tribuendum esse videatur, scribendum est haud dubie:

buprestim, ut alii (sc. tradunt), *ut Aristoteles, dorycnium* (sic recte Ian. e codd.).

603 76 = 7,22.

Mulieris quoque salivam ieiunae potentem diiudicant cruentatis oculis.

Nescio cur librorum MSS. scriptura *ieiunam* (*ieiuna* R^1), ab editoribus spreta sit loco simillimo §. 35 corroborata.

604 79 = 7,23.

sementem (*sementim* recte Ianus, *sementia* codd.) enim arescere, item novellas [vites] eius tactu in perpetuum laedi, rutam et hederam, res medicatissimas, ilico mori.

De mulieribus menstrualibus loquitur, quae ,nudatae segetem ambiant', ,per media arva' in Cappadocia eant, vineas non commemorat. Neque in libris MSS. nominantur, e quibus V R e vocis proximae initio *novelle*, Td *novella* exhibent, quod ipsum recipiendum erat. Ut enim §. 124 *de novellis* sc. pratis legimus, ita hic quoque omisso illo quod codd. auctoritate destituitur, vocabulo *vites* legendum est:

item novella eius rel.

605 83 = ibidem.

Sotira obstetrix tertianis efficacissimum dixit (sanguine menstruo), plantas aegris supterlini multoque efficacius ab ipsa muliere et ignoranti; sic rel.

Structuram verborum ita demum emendari apparet, cum e R d cum vulgatis editionibus genetivum *aegri* restitueris atque littera *s* e proxima voce repetita scripseris:

aegri supterlini — et ignorantis.

91 = 8,26. 606

Urinam (cameli) fullonibus utilissimam esse tradunt; — barbaros servare eam quinquennio rel.

Infinitivum alterum bene quidem verbo *tradunt* regi non nego, sed optimis codd. R^2 V^2 in libro sat multis lacunis inquinato obtemperandum scribendumque ut erat ante Hard., reor: *barbarôs constat.*

95 = 8,27. 607

eiusdem dentes, si de sinistra parte rostri eruti sint.

rostri eruti sint reliqui codices omittunt, R^2 verba tantum *eruti sint. si* e terminatione *dentis* male repetitam recte Dalecampius omisit, idem reliqua quoque expunxit. At v. *rostri* cod. R^2 auctore retinendam esse censeo.

100 = ibidem (de hyaena). 608

superioris dextrae partis rostri dens.

Ita Sill. Ian.: *e superiori dextra parte rostri dens*, impeditissima uterque structura. R^2 *superiori dextrae partis rostri* R^1 V T *superiori dextra parte rostri* i. e. littera *i* correcta:

superior e dextra parte rostri dens.

111 = 8,28. 609

Sanguis utriusque (crocodili) claritatem visus inunctis donat et cicatrices oculorum emendat.

Leve vitium ex archetypi ea specie, qualem animo informavi, corrigendum est. Sc. vv. *donat et* in libris MSS. non leguntur, in quorum archetypo duo versus XXVI litterarum ita scripti fuerunt:

CLARITATEM VISVS INVNCTIS DAT
CICATRICES OCVLORVM EMENDAT.

Nihil igitur facilius fieri potuit quam ut ex hac syllabarum congruentia altera omitteretur. Qua restituta scribatur oportet: *dat*, *cicatrices* — *emendat*.

610 116 = 8,29. (de chamaeleone).

Armum dextrum ad vincendos adversarios vel hostes valere, utique si abiectos eiusdem nervos calcaverit; sinistrum etc.

Quis calcat nervos? is haud dubie qui armo utetur. Itaque scribe: *calcaveris; sinistrum.*

117 = ibidem.

611 Idem praestare narrant iocur . . . melancholicos autem sanari si ex corio chamaeleonis sucus herbae tepente bibatur.

Per totum caput ea quae a Democrito de chamaeleonis efficacia tradita erant exponuntur: de cuius praecepto hic quoque agi lectione cod. V *narratio cur* indicatur, itaque scribendum est: *narrat iocur.* Herbae nomen corruptum Ianus collatis locis XXI. 159, XXV. 12 emendare recte aggressus est. Quum tamen in librorum optimorum corruptelis *debente, bebente* eadem terminatio reperiatur, non *Heleniae* sed *nepenthae* legendum esse arbitror.

612 121 = 8,31.

— in inguina adalligata —

in agmina VR d, unde constantem Plinii structuram dativi sic restituo *inguini adall.* §. 126 *ne* recte vulgo legi Dioscoridis loco II. 77 efficitur.

613 127 = 9,33.

Bibitur autem (lac schiston), efficacissime heminis per intervalla singulis diebus quinis; melius rel.

Ceteri codices pro *singulis* exhibent *salis*, R[2] *salis in*,

pro *quinis* R d, *melius quine* V *quinae illius* unde Ianus eleganti coniectura effecit *satis diebus quinae* (cf. Diosc. II. 77); at tum aut e Plinii usu *in die* dicendum aut numerus adiciendus erat. Certum numerum dierum ei curae e morbi ratione attribuendum, et per singulos dies certum numerum heminarum bibendum esse ait Plinius. Quae sententia verbis R^2 duce ita mutatis prodibit:

statis in diebus quinis.

131 = 9,34. 614

Stomacho utiles (casei) qui non sunt salsi, id est recentes; veteres alvum sistunt corpusque minuunt, stomacho utiliores.

ὁ δὲ νεαλὴς . . πρὸς καθαίρεσιν σαρκὸς ἐπιτήδειος, κακοστόμαχος. Dioscorides inquit II. 79; neque omnino fieri potest ut duo genera aeque utilia sint; itaque legendum est haud dubie: *stomacho inutiliores.*

136 = 9,27. (de axungia seu adipe suillo). 615—16

quamobrem non de alia loquemur sue, multo efficaciore femina et quae non peperit; multo vero praestantior in apris est.

Diversa suium genera Pl. quoniam non distinguit *aliam suem* nescio cui opponere non potuit, potuit axungiam suillam reliquis animalibus praeferre. Itaque lacunam sic expleo *quam e sue*; proximum sensum partim codd. Ianumque secutus ita constituo: *multo efficacior e femina est, q. n. p.* §. 139 cod. V^2 habet *capillis*, R^2 *fluentibus*, unde efficio *capillis fluentibus.*

146 = 9,40. 617

praestantisimum in effectu fel est.

praestantissima in effectu R^2, i. e. *praestantissimum effectu.* Ablativus enim solus eidem adiectivo additur II. 110, XXVII. 144.

618 **158 = 10,45. (inter venena nominatur) pharicon aut dorycnium.**

Ita Barbarus, at *ph* litteras codices non exhibent: *carice*, *carie*, *tarice* scribitur, i. e. *agaricum*, cf. Diosc. de venenis I. p. 14 ed. Sprengel.

619 **169 = 11,47.**

utrumque [vero] sero

vulgo et cod. d e dittographia: VR *vero* recte omittunt.

620 **170 = 11,47.**

et quoniam noctu quoque cernant, sanguine hircino lusciosos sanari putant nyctalopas a Graecis dictos.

Uno archetypi versu transposito apparet legi debere: *et sanguine hircino lusciosos sanari putant, quoniam noctu quoque cernant, nyctalopas a Graecis dictos.*

621—23 **174 = 11,48.**

si maior sit gravitas aurium, fel cum murra — infundunt.

Deest nomen animalis, sc. vaccae quam nominat Habdarrhamanus ab Harduino laudatus, quod e proximis litteris *tasaurium* facile restituitur, sc. *taurinum fel.* Eodem modo §. 176 in plerisque membranis *efficaciora,* in R^2 solo *esse efficaciora* legitur, haud dubie recipiendum. Contra §. 181 non *emortui* sed rectius *mortui* legitur, nam in V *det e mortui* R *dente mortui* exstat.

624 183 = 12,50.

Cutem in facie erugari et tenerescere candore custodito lacte asinino putant notumque est quasdam quotidie septingenties custodito numero facere. Poppaea hoc Neronis principis instituit rel.

Vix credibile videtur, neminem *custoditum lac* quale

fuerit, explicuisse, nam vocem *candorem* cum verbo *tenerescere* coniungi simili loco §. 184 demonstratur, ubi Plinius *candorem cutique erugationem* laudavit. Nempe nullum est, neque toties in die mulctis asinis lac aliud quam recens fuisse putandum est. At numerum custodiri sane consentaneum est. Turpe vitium tertio protarchetypi versui prava repetitione adhaesit. In quo quum singuli versus ita essent divisi

TENERESCERE CANDORE CVSTODITO
LACTE ASININO PVTANT NOTVMQ. EST
QVASDAM COTIDIE SEPTINGENTIES

factum est ut e primo versu ultima vox male repeteretur. *Septingenties* scripsi ex archetypo, *quingenties* a Plinio scriptum est, cf. XI. 238, Dio C. LXII. 28. Denique non *fovere* sed *foveri* legendum esse et res ipsa et Iuvenalis versus VI. 468 *illo lacte fovetur* demonstrat.

184 = ibidem. 625

Fimo taurino malas rubescere aiunt, non ut crocodileam illini melius, sed foveri frigida — iubent. Testas et quae decolorem faciunt cutem fimum vituli cum oleo et cummi manu subactum emendat.

Duobus vitiis laborat locus, quorum alterum leni medicina sanabitur hace: *melius sit: foveri.* Alterum gravius est; quae enim testae emendantur? Quasi vero testae faciei aut cutis morbus essent! Scilicet una syllaba interciderat, qua suppleta legatur oportet: *cicatrices quae* rel.

219 = 16,62. 626

Podagris medetur ursinus adips taurinumque sebum pari pondere et cerae; addunt quidam hypocisthidem et gallam. Alii hircinum praeferunt

sebum cum fimo caprae et croco sinapive vel caulibus hederae tritis rel.

Primum copulam ante v. *cerae* ineptam et e proximis litteris dittographia ortam deleamus, tum ultima verba quae ita ut eduntur in nullo Silligii libro leguntur (*sinapi vel* V) e codd. R d restituamus: *croco, sinapi cum caulibus* rel.

627 223 = ibidem.

verrucas vero aufert fimi vitulini cinis ex aceto, asini urinae lutum.

Quid sit lutum urinae, ignoro, urinam asini cum luto illitam Marc. Emp. c. XXXIV commendat. Plinium igitur scripsisse consentaneum est:

asini urina et lutum.

628 226 = 16,63.

Comitialibus datur et lactis equini potus lichenque in aceto mulso bibendus.

lichen equi Plinius codd. V R auctoribus scripsit, non magis ille quidem elegantiae consulens quam cum §. 227 *sanguinem asinini pulli ex vino*, *item fimum asinini pulli* commemoravit.

629—30 232 = 17,68.

Hydropicis auxiliatur urina apri.

E Diosc. II. 99 *αἰγὸς δὲ* (*οὖρον*) *ὕδρωπα κ. τ. λ.* scribendum est *urina capri.* §. 235 non *vel* sed *fel tauri* lego melioribus codicibus obtemperans.

631 239 = 18,73.

Sanguinem sistit . . . e fimo asini cinis illitus. Efficacior vis e maribus aceto admixto et in lana ad omne profluvium imposito, similiter ex equino capite et femine aut fimi vitulorum cinis rel.

capitis V R, *feminum* R² *feminam* V R¹ d, unde conse-

quitur genetivos a v. ,cinis' aptos esse, post v. *equino* autem v. *genere* excidisse. Ceterum verba *efficacior — aceto* uncis includenda sunt, post v. *illitus* minori interpungendi signo posito.

243 = 18,74. 632

Feminum vituli cinis sordida ulcera — sanat.

Marcellus Emp. c. IV ,Ulcera' inquit, ,quae sordidata sunt, fimi vitulini cinere — purgantur'. Itaque e codicum MSS. vestigiis (*femininum* V *vitulini* RV) necessario legendum est:

Fimi vitulini cinis. 633

244 = 18,75.

Scabiem hominis asininae medullae maxime abolent et urinae eiusdem cum suo luto illitae.

Iterum urinarum lutum purgandum erit, idque facillime fiet his Q. Sereni versibus quos Hard. attulit diligentius consideratis: ,Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis, Quod facit ex asino saccatus corporis humor. Nec pudeat tractare fimum quod sucula fudit'. Quid igitur Plinius praecepisse putandus est, nisi idem? Lege: *cum suillo luto illitae.*

§. 249 *coagulo* codices omnes, *sanguine* d, quae structura quum ut fortasse rarior non insolita tamen sit (cf. §. 257), nescio quidni eum Iano librorum MSS. auctoritatem sequamur.

263 sq. = 20,81. 634

Mira — traduntur in iisdem animalibus . . . Animalium vero medicinas: si sanguis rel.

medicina R[1]. *medicin* V. Accusativum Ianus ita defendit ut cum proximo superiore sensu ,adeoque nihil omissum

est, ut leporem surdum celerius pinguescere reperiamus' coniungeret. At alienissima nova quae iam incipit rerum series ab altera illa est quae modo absolvitur, neque eadem structura includenda. Restituendus est nominativus *medicinae* cuius praedicatum e primo capite cogitatione repetitur sc. ‚traduntur.'

LIBER XXIX.

Ad hunc quoque librum emendandum quoniam cod. a collatus non est, praecipue R^2 sequendum esse arbitror, ita tamen ut in magna verborum corruptione non modo ceteris ΘR^1 utar, sed ne a cod. d quidem abstineam, qui §. 22 solus recte *Notum* exhibet atque nonnumquum cum cod. R^2 solus conspirat. Nonnullos locos libris nostris emendatiores Herm. Barbarus in suis codicibus legit veluti §. 52, nobis autem eos quos Sillligii Ianique diligentia accuratius novimus sequi quam incertis vestigiis insistere praestabit. Atque ad cetera vitia hic praeter rerum obscuritatem lacunis haud paucis foliorumque perturbatione accedentibus non pauca intacta aut imperfecta relinquenda erunt. — §§. 2 ad 21 in chrestomathia tractavimus.

635 24 = 1,8.

Theriace vocatur excogitata compositio luxuriae; fit ex rebus sexcentis, cum tot remedia dederit natura, quae singula sufficerent.

Fabricii coniectura a S. I. recepta caremus egregie, nam de *externis* seu peregrinis mercibus Plinius loquitur, ita ut naturae excogitatam luxuriam, singulis remediis compositionem opponat. Quod autem in codd. legitur *fixit* e proximi vocabuli *compositio* (nam *luxuriae* in plerisque omittitur) fine corruptum est. Scribo: *compositio luxuriae ex rebus externis.*

29 = 1,9. 636

Ordiemur autem a confessis hoc est lanis ovisque obiter ut rebus praecipuis honos in primis perhibeatur.

Vocem *obiter* honori rerum praecipuarum repugnare apparet, scilicet e sequentibus male repetitam. Namque quod in archetypo tertio ab hoc versu exeunte scriptum exstitit *obiter* scribae oculis aberrantibus huc retractum est, quomodo post unum versum librarius codici R *fidem* repetivit. Itaque molesto additamento expuncto scribendum est *ovisque*, *ut rebus* rel.

47 et 48 = 3,11. 637

Cibo quot modis (ova) iuvent notum est, cum transmeent faucium tumorem calfactuque obiter foveant. Nullus est alius cibus rel.

Cibo stomachus iuvatur corpusque alitur neque propterea quod fauces fovet sanas nedum tumidas. Apparet igitur verba *cum* — *foveant* ad morbum aliquem referri faucium quem luculenter Dioscorides II. 55 his verbis demonstrat: *ἀκροχλιαρὸν δὲ πρὸς — τραχυσμοὺς τραχείας ἀρτηρίας — ἁρμόζει.* Quem morbum paulo supra Plinius quum commemorasset, factum est ut unus versus XXVIII litterarum intercideret, quae autem illum excipiebant verba sedem mutarent. Quibus §. 47 additis Plinium sic scripsisse coniicio: ‚Dantur et tussientibus cocta et trita cum melle et cruda cum passo oleique pari modo, *item cocta arteriis exasperatis*, cum transmeent faucium tumorem calfactuque obiter foveant.‘

55 = 3,13. 638

De anserum ovis . . . dicturi . . . debemus honorem et Commageno clarissimae rei. Fit ex adipe

anserum alioqui celeberrimi usus, sed in hoc in Commagene Syriae parte cum cinnamomo, casia rel.

Verba *sed in hoc* quomodo interpretatus sit Sill., equidem non divino, neque Ianum interpunctione mutata ,anserum — alioqui c. usus, s. i. h. i. C. S. parte —' quidquam effecisse puto. Quod autem vulgo *ad hoc* legebatur, a libris MSS. alienum est. E quibus R haec habet: *Commagenorum — aliqui c. u. sed in hoc Commagene*, V: *cum magnae — aliqui c. u. sed in hoc in Com.* R² autem ante v. ,sed' *est* addidit. Incerta igitur praepositionis semel aut bis positae sede definita scribo *hoc in C.*, tum vv. *sed* et *est* quam e copula ortam esse puto transpositis lego:

fit ex adipe anserum et alioqui, sed celeberrimi usus hoc in Commagene.

Quodsi nos in folio misere corrupto versari (quid enim lectione §. 52 in nostris libris inquinatius exstare censes?) fortasse reliqua quoque, quae sane ferri possunt, e codicis R vestigiis ita mutari praestat: *Commagenorum clarissimo remedio.* Ceterum omnes libri recte *Suriae* exhibent.

639 56 = 3,13.

Fit et in Syria alio modo, adipe avium .... phoenice elate, item calamo.

Ita editur e coniectura Barbari, quod cur fiat nescio. Quod enim elates nomen ad palmarum genus et unguenta a Plinio refertur (XII. 134, XXIII. 99) eo ad librorum MSS. lectionem *phoenice tunso* deserendam minime adducimur, nempe eodem iure etiam *spathae* nomen interpolare licet. Immo de omnium palmarum fructu intelligendum esse vocabulum Dioscoridis praeceptis I. 148—150 docemur. — In fine huius sectionis vv. *in capris* Silligius lectionem codd. V R² *in capris* rectissime probavit, quam ab Iano re-

lictam esse miror, cf. XXVIII. 153. §. 68 VR *referret*, *referet* recte Gronovius.

74 = 4,23. 640

(Cetera venenata) perire conscientia dicuntur homine percusso neque amplius admitti ad terras, salamandra rel.

Pluralem numerum ineptum esse et re ipsa et loco simili II. 155 docemur: *terram* recte exhibent R^1 T d; *terra* V *terras* R^2. Scilicet in archetypo fuerat *terra*, quod ipsum retinetur in V; R^2 e proximae vocis initio corruptus est.

84 = 4,27 (de phalangiis). 641

Inveniuntur et cortices eorum qui triti et poti medentur; [mustelae catuli, ut diximus supra.]

V. *diximus* abest a libris MSS., quae supersunt abesse debebant. Plinius enim neque supra i. e. §. 60 catulos mustelarum contra phalangia valere tradidit neque eosdem §. 88 alibi a se commemoratos esse nisi ‚in serpentibus'. Quo utroque argumento efficitur, h. l. in phalangiis describendis nullam eorum mentionem fieri. Accedit quod verbum ne Plinius quidem facile omisisset. Nihil igitur restat quam ut quomodo verba importunissima huic potissimum sensui adscribi potuerint demonstremus. Cuius erroris origo non tam a rerum quadam confusione quam ab archetypi specie repetenda est. Quum enim §. 88 verbis ‚mustelae catulo, ut in serpentibus dictum est' in margine rubrica ‚mustelae catuli, ut supra' addita esset, factum est ut unum protarchetypi folium quinquaginta versuum qui fere mille trecentas aut quadringentas litteras continebant (MCCCXXIII litteras numeravi) librarii errore cum altero permutaretur indeque §. 84 adderetur index qui ad §. 88 pertinebat.

86 = ibidem (de phalangii specie). 642

Vocatur et rhagion acino nigro similis.

Ita Barbarus ex Aetii loco, ut videtur, IV. 1. 18. 'At generi neutri adiectivum *similis* aptum non est; aptissimam formam *rox* (cf. Nicandr. theriac. 716 *αἰθαλόεις ῥώξ* ibique schol.) e librorum optimorum vitiis *racino* R *rachino* V d facile elicimus. Ib. pro *araneis textis* legerim *aranei textis ac pinnis* potius quam *pinna*, nam littera *s* in codd. legitur.

643 89 = ibidem.

Est contra morsum eius remedio terra ex orbita.

Et VRd; lege *Est et.*

644 90 = 4,28. (de stellione).

Hunc Graeci coloten vocant et ascalaboten et galeoten; in Italia non nascitur; est enim hic plenus lentigine, stridoris acerbi, et vescitur; quae omnia a nostris stellionibus aliena sunt.

Mirum viros doctos praeter Ianum v. *vescitur* non offendi, quae utique passivo sensu non accipienda ex Aristotelis h. anim. IX. 2. p. 609 a Bek. ita suppletur: *vescitur araneis* (,vermibus' I.). — §. 91 verba *nec nisi pilos attingere* corrupta esse intelligo, emendare non audeo, nisi forte *nec nisi pilosa attigere* scribendum erit.

645—46 94 = 4,30.

Potentissimae (cantharides) .. variae —, multum pingues; inertiores minutae rel.

V. *multum* cum positivo adiectivi coniungi a Plinio non memini: cum comparativo copulatur XV. 68. Itaque legere praestat: *pingues*; *multum inertiores.* Adverbium *contra* §. 97 e bonis codd. restituendum est.

647 102 = 5,32.

Lacerta quam hi sepa, alii chalcidicen vocant.

isepa Vd, unde additis quae exciderant litteris id quod proxima voce requiritur *alii sepa* prodibit.

112 et 113 = 6,36. 648

Capitis doloribus remedio sunt . . . limacis inter duas orbitas inventae ossiculum per aurum cum ebore traiectum in pellicula canina adalligatum, quod remedium pluribus semperque prodest.

cogerent cum ebur libri MSS., unde Ianus effecit *cohaerens cum ebore* neque usui scriptoris satis accommodate, qui id verbum cum dativo coniungere solet, et inepta sententia. Quae enim debilis ossiculi tanta vis cogitari poterit quae in aurum penetret? Rectius Sill. tertiam aliquam rem commemorari putavit per quam pariter ac per aurum et ebur ossiculum traiciatur. Quae res remedio aeque absurdo quod a Marcello c. 8 p. 269 Steph. contra oculorum vitia commendatur suppeditatur. Ibi enim lacertam viridem cum annulis aureis, argenteis, ferreis et electrinis in vas vitreum coniciendam esse traditur, de quibus annulis utpote qui facile traiciantur ossiculo Plinius quoque loqui putandus est. Itaque litteris *co* in *a* correctis, reliquis coniunctis scribatur oportet: *per aurum*, *argentum*, *ebur*. Extremam sententiam verbo addito sic lego: *quod remedium pluribus profuit semperque prodest.* §. 119 pro *et utere* quod R habet, scripserim *vetere*.

120 et 121 = 6,38. 649

Hic sal — in antidotum contra serpentes additur; quidam et viperis utuntur in cibis. Primum omnium occisa (vipera) statim salem in os addi iubent — mox . . discoquunt in aqua, oleo, sale, aneto, aut statim vescuntur aut pane colligunt ut saepius utantur.

Locus per se non difficillimus librariorum incuria ita perturbatus est ut facile restituatur. Quod enim in omnibus

legitur *quidam et attollitur viperis* (*vi viperis* R), id ab editoribus temere omissum in archetypi margine rectissime adscriptum fuit. Vicino enim vocabulo *addi* factum est ut quod Plinius scripserat *attollitur* i. e. ‚antidoti dignitatem consequitur' in *additur* corrumperetur*). Simili errore qui tamen verae scripturae vestigium retinet in R² *et omnium aut statim* legitur. Deleta igitur voce *omnium* e superioribus male repetita quae remanent *et aut* retinenda sunt.

650 123 = ibidem.

ad argema et albugines.

Scribe cum R²: *ad argemata e. a.*

651 124 = ibidem.

Laudant et gallinae fel et praecipue adipem contra pusulas in pupillis; has scilicet eius rei gratia saginant.

Has quorsum referatur non habet, neque libris MSS. praeter d, cuius prae reliquis exigua auctoritas est, confirmatur. Itaque quod in ΘVR legitur *nec* haud dubie recipiendum erat. Scilicet Plinius acerbus luxuriae insectator non propter adipis in re medica usum sed ad coenarum delicias saginari eundem obiter monuit, cf. X. 139. Particulas autem *nec* et *scilicet* etiam XXI. 13 copulavit.

652 127 = ibidem.

Earundem avium sanguis nyctalopas sanat et iocur ovium atque, ut in capris diximus, efficacius fulvae.

Fulvas oves appellari est quod mireris, cum praesertim ovem candidam commendet Marcellus p. 279 D et Plinius ipse rutilam capram laudaverit XXVIII. 170. Quid multa?

*) Ita §. 131 in codicibus scripturae quae in arch. inerat varietas indicatur: *dicuntur; dicitur* V d *dicunt; dicitur* R.

ut supra dixerat ‚in columbis masculae efficaciorem putant' (sanguinem), ita hoc loco haud dubie scripsit: *atque*, *ut diximus*, *in capris efficacius fulvae*.

136 = 6,39. 653

Millepeda . . . animal est e vermibus terrae pilosum, multis pedibus arcuatim repens tactuque contrahens se; oniscon Graeci vocant, alii tylon; efficacem narrant ad aurium dolores in cortice punici mali decoctum et porri suco; addunt et rosaceum rel.

Ultima a Dioscoridis descriptione II. 37 *καὶ πρὸς ὠταλγίαν δὲ λεῖοι σὺν ῥοδίνῳ θερμανθέντες ἐν κελύφῳ ῥόας καὶ ἐνσταγέντες ἁρμόζουσιν* eo differunt, quod Plinius porri sucum addidisse videtur. At videtur tantum; nam quod in codicibus legitur *mel porri s.* facillime sic corrigitur: *vel porri suco*, ita ut alterutrum ad coquendum adhiberi tradiderit. Quae initio retulit uno vocabulo in proximum litterarum XXVI versum qui in archetypo sequebatur reposito cum Dioscoridis verbis *σφαιρούμενοι κατὰ τὰς ἐπαφὰς τῶν χειρῶν* emendantur: *multis pedibus repens tactuque contrahens se arcuatim*.

142 = ibidem. 654

At — Diodorus — se id dedisse tradit.

Pluralis numerus *haec* cum praecesserit, *id* ineptum esse apparet. *sedisse* R², *redisse* VR¹, unde *se dedisse* sc. ‚haec' efficio.

LIBER XXX.

2 = 1,1. (de arte magica). 655

Natam primum e medicina nemo dubitat.

dubitavit R V i. e. *dubitabit*, quo tempore Plinius locutionem solitam ‚nemo dubitet' etiam XXI. 7, ubi *dubitavit*

in codd. legitur, variasse putandus est. — Quae sequuntur usque ad §. 17 in chrestomathia tractavimus.

656 31 = 4,11.

Uva (mitigatur) suco cocleae acu transfossae illita ut coclea ipsa in fumo suspendatur.

Remedia cum certis legibus fieri narrat, Plinius particulae *ut* vocem *ita* praemittere solet velut XXX. 47, ubi in R² d reperitur, in V R¹ omissa. Quam hic quoque Marcellus cp. 14 addidit, nos ex ultimis vocabuli *illita* litteris facile restituimus.

657 32 = ibidem.

Multipeda trita in fimo columbino cum passo gargarizatum, etiam — impositum rel.

Ita Sill. Antea recte e cod. R² *fimum columbinum*, cf. Marcell. Emp. c. 12. Sc. interpungendum est post *trita*, ut multipedae remedium a reliquis distinguatur.

658 Ibidem.

cocleae coqui debent illotae — et in passo dari potu; sunt qui Astypalaeicas efficacissimas putent et smegma earum.

V. *smegma* interpolatam esse Sill. intellexit; quod vero e librorum MSS. vitiis *missima* Θ *inissima* R V elicuit *in iis ima earum* Iano probatum, etsi dicendi genus apud Plinium non reprehenderim, medicorum tamen praeceptis adversari arbitror, qui coclearum cinerem, spumam, capita saepius laudaverunt, ‚ima' i. e. imas partes quantum memini nusquam commendarunt. Duplici modo a librariis erratum est, et superlativi terminatione *sima* repetita et una littera omissa; nos interpunctione correcta ita scribimus:

cocleae: coqui — potu — sunt qui Astypalaeicas efficacissimas putent — et c i n i s earum. — §. 34 non *et ad*, sed e codd. V R *ad* legendum est.

45 = 6,15. (de cocleis). 659

Laudatissimae autem sunt Africanae — ex his Iolitanae — Astypalaeicae, Aetnaeae [Siculae] modicae — Baliaricae —, laudatae et ex insulis Caprearum; nullis autem cibis Graecae, neque veteres neque recentes. — marinae stomacho utiliores, efficacissimae tamen in dolore stomachi; laudatiores traduntur quaecumque vivae cum aceto devoratae.

V. *laudatiores* Sill. corruptam esse pronuntiavit, Ianus e librorum MSS. lectione *fraudalis* R *flaudatis* d *audatis* V, (*plaudatis* legi Gronovius refert) egregie emendavit *e laudatis* interpunctione sublata. Vellem v. *Graecae* quam e cod. R² Sill. vulgatae *gratae* substituit intactam reliquisset; quae ceteris coclearum generibus opponuntur. Reliqua nondum sanata sunt. Ac primum quidem *nullae* quod ante Sill. legebatur, e R² restituendum est addita praepositione *in* quae in ultima vocabuli *autem* syllaba latet, tum eiusdem libri lectione *ex insulis ex* efficitur, ut supra ‚Africanae — ex his Iolitanae‘ laudantur, scribi oportere *ex insulis*, *ex his Caprearum* (Chium inter insulas Dioscorides nominat II. 37). Denique v. *Siculae* glossema nominis ‚Aetneae‘ esse censeo.

47 = 6,16. 660

suspiriosis (sc. medentur quod e verbo proximo medetur supplendum est) multipedae ita ut ter septenae in Attico melle diluantur et per harundinem bibantur; omne enim vas earum nigrescit contactu; quidam torrent ex his sextarium in patina donec candidae fiant, tunc melle miscent; [alii centipedam vocant] et ex aqua calda

dari iubent. Cocleae in cibo iis quos linquit animus — in potu datae rel.

ter etsi in d solo legitur non spernendum videtur, ut maior numerus fiat, quo cum septenario fere delectarentur magi, §. 49 non XX aut XXX (sic R[1]) sed XXI gryllos, opinor, torreri iusserunt; *earum* autem optimis codd. alienum delendum est. Quod vero de centipedae nomine additur structurae verborum repugnat atque glossema a librario loci XXIX. 136 memore adscriptum margini haud dubie e loco alienissimo et omnino e Plinii oratione removeatur oportet. Gravius etiam restat vitium a Sill. animadversum; quod enim in potu dantur cocleae in cibo dari nequeunt. At multipedis in patina tostis optime vescebantur. Itaque verba importuna sic erunt transponenda ut vv. *aqua calda* excipiant.

661 55 = 7,19.

Dysintericos recreant femina pecudum decocta cum lini semine aqua pota.

Non quacumque aqua sed ea tantum in qua pecudum femina decocta erant. Praescribit enim Marcellus Emp. c. 27: ,ut et caro manducetur et aqua illa potetur.' Sicut igitur §. 53 *eo* ante v. ,suco' in R[1] omissum est, ita hic ab omnibus librariis peccatum est litterarum proximarum similitudine deceptis. Quae ita repetendae sunt ut legatur *semine e a aqua*.

662 59 = 7,20.

Gravissimum vitium ileos appellatur: huic resisti aiunt discerpti vespertilionis sanguine rel.

vulnus vitium V R — *apii illieos* V *apuleius* R[1] *apus* R[2] *eos aiunt eos* V R[1]. *vitium alvi* Ianus scripsit sagaci coniectura verissima ad sensum, ad librorum MSS. lectionem minus apta. Qui quae vitia exhibent gravissima, e codicis arche-

typi perturbatione repetenda sunt. In quo quum hic fere verborum ordo fuisse videatur:

(apu l eius R[1])

SIMVM VVLNVS VITIVM APII ILLIEOS
APPELLATVR HVIC RESISTI EOS | AIVNT
EOS DISCERPTI rel.,

apparet verbum *aiunt* in margine ita additum esse ut a librariis inter utramque vocem *eos* medium inseri potuerit. Haec autem ipsa e superiore versu male fuerat repetita; itemque verbum *appellatur* post litteras *illieos* vel *leius* totum, antea imperfectum *apii* vel *apu* scriptum exstabat. Quos errores qui codicem R correxit e suo exemplari non omnes sustulit; expunxit enim litteras *eos*, at superiorem versum magis etiam corrupit. Itaque litteris illis *apii* alvi nomen non contineri eo magis contendo, quod non de alvo sed de ventre agi utriusque scriptoris qui Plinium auctorem secuti sunt, testimonio confirmatur. Namque et Marcellus Emp. cp. 27 p. 369 Steph. et Plin. Valerianus cp. 33 ‚gravissimum ventris vitium' appellat. Itaque *vulnus* non delendum erat sed in *ventris* mutandum.

64 = ibidem. 663

Sunt occulti interaneorum morbi de quibus mirum proditur: si catuli . . . ex ore aegri suctum lactis accipiant, transire vim morbi, postremo exanimarique dissectisque palam fieri [aegri] causas; mori et humari debere eos obrutos terra.

Huius quoque loci emendationem Ianus egregie inchoavit, cum *causas mori* in *causas morbi* mutaret; vocem *aegri* intactam reliquit quae e superioribus eo facilius repeti poterat, quod simillimum verbum *fieri* praecedebat.

70 = 8,22. 664

Ne acria perurant, adips anserinus . . . adips cygni; haec et haemorroidas sanare dicuntur.

haec d ut scilicet cum verbi numero congruat; *hic* V R quam lectionem peiori libro male posthabitam esse Plinii Valeriani II. 31 observatione demonstratur: ‚Adeps quoque anserinus — imponitur. Adeps cygni ad idem facit, et haemorrhoidas sanat.' Quum igitur non utrumque adipis genus sed cygni tantum contra haemorroidas valere dicatur, non pronomen sed verbum corrigendum est: *hic — dicitur.*

665 77 = 9,23.

Sale quidam cum vipera cremato in olla nova saepius sumpto aiunt liberari podagra.

Salis cremati quaenam vis sit ignoro: scilicet non sal cremabatur sed vipera cuius cinis cum sale sumebatur. Itaque scribatur oportet: *cremata.*

666 78 = ibidem.

Et de milvo affirmant, . . . si pedes sanguine cum urtica vel pinnis palumborum cum primum nascentur tritis cum urtica.

Lacunam inesse Sill. animadvertit, quam Ianus locis Marcelli Empir. 36 et Plinii Valeriani III. 14 ab Hard. allatis usus ad sententiam recte ita explevit: ‚eius perunguantur vel columbarum sanguine c. u. v. pinnis earum' codicum vestigia minus accurate secutus. Habent enim *sanguinem* et *earum*. Quae si reputaveris unum versum XXVII litterarum excidisse primique vocabuli initium in altera non superesse, haec fere verba addes: *milvi vel columbarum unguantur.* In proximo sensu Ian. recte scripsit *earum* pro *eorum* quod genus e proximis vocabulis *articulorum dolorum* (ita pro *doloribus* V R) facillime ortum est.

667 80 = ibidem.

Ulcera omnia pedum sanat cinis earum (coclearum) quae vivae combustae sunt (*sint* vulgo recte

e R²), fimi gallinarum cinis exulcerationes, columbini fimi ex oleo.

Ita Sill., melius Ian. post *cinis* distinxit, neque tamen locum persanavit. Namque ut nunc leguntur verba, scriptor cinerem fimi gallinarum omnibus ulceribus pedum, cinerem columbini fimi exulcerationibus mederi ait eumque solum ex oleo appositum. At qui melioribus Plinii codicibus usus est Marcellus Empiricus c. 34 p. 397 D ed. Steph. utrique generi eandem vim attribuit, utrique oleum addi iubet. ‚Fimi‘ inquit ‚gallinarum vel columbini cinis omnem exulcerationem pedum sanat.‘ Sequitur uno verbo transposito scribendum esse: *fimi gallinarum cinis, columbini fimi ex oleo exulcerationes.*

Ibidem. 668

Attritus calciamentorum veteris soleae [crematae] cinis (sanat).

‚Exustae‘ soleae cinerem laudat Marcellus 34 p. 400 E, neutrum vocabulum librorum MSS. auctoritate commendatur, nam *soli cinis* R d habent, *cinis* V. Itaque praestat vocem minime necessariam delere.

83 = 10,24. (de ricino). 669

eundem in augurio vitalium habent.

Ita Barbarus e coniectura: alio librorum MSS. lectione *funditium* nos duci Ianus in programmate Suevofurtensi 1858 p. 11 (cf. Philol. XXI p. 107) animadvertit. Quod autem ipsum vocabulum *fundicium* a fundo i. e. auctore derivatum retineri voluit, propterea improbandum est quod novum verbum procudit idque ab eo nomine derivavit cuius in re augurali nusquam mentio facta est. Aliud in promptu erat idque si quid video et litterarum ductibus et auguriis aptissimum, quod in notis Tironianis p. 90 ab *indicio* ducitur, *indicivum.* §. 92 Ianus rectissime *de mortuo* scripsit, ceterum

R[2] potius sequi debebat (reliqui *mortuo*), in quo *a mortuo* scriptum repererat.

670 98 et 99 = 11,30.

In quartanis — subnectunt — viperae caput abscisum — muris rostellum — lacertae vivae dextrum oculum effossum, mox cum capite suo deciso in pellicula caprina.

oculumne cum suo capite? an cum capite deciso i. e. sine capite nescio quod animal — nam si lacertam intelligi voluisset scriptor, *ipsam* addere debebat. Aliam bestiolam dicit illis ineptiis minime alienam; atque sicut XXIX. 106 muscarum capita commendantur, ita hoc loco quidni earundem corporibus uti dicantur magi? Legendum est igitur: *m u s c a m capite* rel.

671 102 = ibidem.

Stellionem inclusum capsulis subiciunt capiti — devorari autem iubent cor mergi marini sine ferro exemptum inveteratumque conteri et in calida aqua bibi.

Scire velim quot capsulis unus stellio includatur: nempe singuli singulis, qui numerus littera *s* semel scripta restituitur *capsul a e.* Quod autem praecedit verbum *incluserant* meliores libri scriptum exhibent i. e. *inclusum a e r e a e c a p s u l a e*, quomodo XXIX. 245 aerea pyxide magi uti dicuntur. Multo vero minus quae statim sequuntur apte explicari possunt. Nam ne magi quidem id effecisse putandi sunt, ut cor devoraretur devoratumque biberetur. Hic quoque duplex curandi modus qui meliores codices exararunt vitiosa scrip-

m *u*
tura *inveteratusoque* R *inveter a tosoque* V qualis fuerit indicant, nos facili emendatione aperiemus: *devorari* — *exemptum, inveteratum q u o q u e* — *bibi.*

107 = 12,33. 672

Carbunculus — aboletur — apibus quae in melle sint immortuae (*mortuae* recte vulgo e libris MSS.) impositis polentaque imposita [inspersa].

Vocabulum *inspersa* utrum dittographia ortum an proximae voci glossema additum esse dicam, quomodo §. 106 *accidat* voci *incipiat* adscriptum esse videtur, nescio: delendum utique est.

109 et 110 = 12,35. 673

Ambustis canini capitis cinis medetur — nervorum nodis capitis viperini cinis — terreni vermes cum melle illiti, doloribus eorum [adips], amphisbaena mortua adalligata, adips volturinus rel.

Ambusta vel *Lambusta* libri exhibent, item *nodus* R[2], *nodos* E[1] (nam usque ad §. 119 hoc libro Luciliburgensi propter Michelis industriam uti licet), *dolores* omnes. Apparet igitur Plinium h. l. verbum ‚mederi' cum quarto casu coniunxisse. Vermium autem adipem quis umquam vidit aut fando cognovit? Qui e dittographia eo facilius in locum prorsus alienum se insinuavit, quod librariorum oculi ad proximi archetypi versum post XXVII litteras a voce *adips* incipientem aberrarunt.

112 = 13,38. 674

e naribus fluentem (sanguinem sistunt) — aranei telae, gallinacei cerebellum vel sanguis, profluvia ex cerebro, item columbinus rel.

Galeni locum (de fac. simpl. med. X. 278) Harduinus attulit, ubi sanguis gallinacei *εἰς τὰς τῶν μηνίγγων αἱμορραγίας* prodesse traditur. Itaque interpunctione sublata legatur oportet:

vel sanguis profluvia ex cerebro.

675 120 = 13,41.

Cicatrices ad colorem reducit pecudum pulmo, praecipue ex ariete, sebum ex nitro.

Vocem quae post v. *sebum* excidit e Plinii Valeriani loco III. 46 addi licet: sc. *leoninum.*

676 124 = 14,43.

Facilius enituntur quae fimum anserinum cum aquae duobus cyathis sorbuere.

Molestissimum remedium unde editores acceperint nescio, nam quod in VR legitur *cum anserinum* haud dubie nihil est nisi praepositio male e proximis verbis repetita. Itaque quae in Td reperitur lectio *adipem anserinum* omnino restituenda est.

677 127 = ibidem.

Sunt et minutae longaeque candidae cocleae passim oberrantes.

Copula importuna vitium orationis indicatur, idque non librariis sed editoribus, e quibus I. scripsit *minumae lubricaeque,* culpae dandum. Omnes enim codices *loricaeque* (*loricae quae* V) habent, Plinianae elegantiae perquam accommodatum qua testas coclearum loricam non inepte appellavit. Librarii alium errorem admiserunt religiose ab editoribus servatum. Quum enim toto capite Plinius de malis muliebribus, de partu et conceptu loquatur, inter quae remedia coclearum non minimam partem esse demonstrat, qui tandem factum est ut de usu coclearum in corporis candore emendando, scabendi pruritu levando disserat? At supra §. 121 cum nihil aliud agit, hanc quoque sententiam addidisse putandus est. Qua quo decet translate aptissime sic procedit oratio: *sedant pruritum cocleae minutae latae contritae illitae. Sunt et minutae loricaeque candidae cocleae passim oberrantes; hae arefactae sole in tegulis tunsaeque in farina miscentur lomento aequis partibus candoremque et lae-*

vorem corpori afferunt; scabendi desideria tollunt minutae et latae cum polenta. Similiter eo loco in quo nunc versamur a coclearum efficacia ad viperas commode transitur. Quem locum Harduinus recte distinxit, Sill. Ianus ita interpunxerunt post v. *adservata* (§. 128) ut intelligi nequeat. Ceterum vv. ,loricaeque candidae' genetivos esse non est quod moneam.

131 = 14,45. 678

Putant et ter circumductas ovo perdicis aut . . . non inclinari (mammas).

Avis nomen excidisse Sill. animadvertit, e sensu superiore facile suppleri *otidis* non vidit.

133 = 14,46. 679

Quidam in heminis tribus olei discoquunt viperam, exemptis ossibus psilotri vice utuntur.

Viperae ossa antequam discoqui coeperit eximi consentaneum est, discocta demum et trita uti licebit. Quod quum Plin. Valerianus III. 52 his verbis docuerit: ,vipera exemptis ossibus — discoquitur et teritur' rel. scribendum esse sequitur: *viperam exemptis ossibus, trita ps.* rel. Eodem auctore mox scr. ,*primi partus.*'

137 et 138 = 15,47. 680

Ramici infantium lacerta mederi iubent; marem hanc prendi; intellegi . . . Id agendum ut per aurum — mordeat vitium; tum in calice novo illigatur, in fumo ponitur.

Infinitivum *poni* codd. exhibent, sc. *iubent* optime atque haud cunctanter recipiendum; *illigatur* enim in participium mutari debere locis simillimis §. 135 sqq. efficitur. Quae autem post v. *id* interiecta sunt, structuram verborum non impedire omnes sentient qui verbum *esse* a Plinio saepe omitti meminerint.

681 141 = 15,49.

(Venerem) inhibet et fimum cocleae et columbinum rel.

Duo fimi genera commemorantur; itaque cur librorum scriptura *inhibent* ab editoribus spreta sit non intelligo.

682 142 = ibidem.

Ibium cineres cum adipe anseris et irino perunctis, si conceptus sit, partus continere, contra inhiberi venerem pugnatoris galli testiculis anserino adipe illitis adalligatisque pelle arietina tradunt, item cuiuscumque galli [gallinacei], si cum sanguine gallinacei lecto subiciantur.

Locum perturbatissimum pluribusque lacunis deformatum libri MSS. praestant, e quibus quum R[2] d verba *cineres cum adipe* soli, quae recte restitui lectione R[1] *adips et* indicatur, servaverint, eosdem etiam in reliquis sequi par est. In quibus duo remedia amatoria diversissima confunduntur. Nam, galli testiculi cum adipe anserino in arietis pelle brachio suspensi concubitum excitant. Suppositi lecto cum ipsius sanguine efficiunt ne concumbant qui iacent.' Ita Sex. Platonicus II. 8. 3. Itaque priore loco non *contra inhiberi* sed *concitari* Plinius scripsisse putandus est, quibus e proximis verbis v. *item* adiungenda est. V. autem *inhiberi* ad alterum sensum transponatur oportet, priore v. *gallinacei* cum R[2] T deleta. Ceterum recte v. *conceptus* ab Iano in *conceptum* videtur mutari. Scribendum igitur esse existimo:

. . . *concitari venerem — tradunt, item inhiberi cuiuscumque galli, si cum s. g. l. s.*

§. 144 Ianus emendavit.

LIBER XXXI.

§. 4—8 in chrestomathia tractavi.

10 = 2,7. 683

custodit autem fetum Linus fons in eadem Arcadia.

Le||inus R^1 *Lechnus* Isidor XIII. 13 recte, ut videtur, a v. *λέχος*, an *Licnus* ab infantium cunis appellatur.

13 = 2,9. 684—85

Ceronam. Scr. *Cerona* ex Antig. Caryst. 78.

Ib. 14 pro *Aleos* e V. 117 scr. *Aleon.*

17 = 2,14. 686

Polyclitus (ait) explere olei vicem iuxta Solos Ciliciae Liparim, Theophrastus hoc idem in Aethiopia eiusdem nominis fontem, Lycos in Tasitia eius fontem esse cuius aqua luceat; — Theopompus in Scotussa lacum esse dicit qui vulneribus medetur.

Verba Plinii a librariis editoribusque pessime habita interpolatione liberare Ianus aggressus est, neque tamen rem absolvit. Ac primum quidem in libris MSS. haec leguntur: *P. expleri iuxta — Ciliciae congui* VR^1 *ungui* R^2 *congruit* d, e quibus verbum *ungui* Ianus recte restituit eo tamen falsus quod *eo* ante *ungui* intelligi posse putavit. Scilicet non corrupta tantum sed manca quoque sunt quae in codd. scribuntur. Litteris enim *expleri* nihil continetur nisi nomen *Lipari*, e *congui* quatuor quae exciderant litteris insertis quod loci sententia flagitatur prodit *ut oleo ungui.* Tum ne *hoc* quidem tolerari Ianus vidit, sed quum e d *ac* scripsit, lacunam inesse non animadvertit. Qua expleta scriptura librorum *hac* R^1 *huc* V sic emendatur: *facere.* Denique *inditistra eius* (haec enim librorum scriptura est), collato XXIV. 161 et ea quae paulo supra in nomine Theophrasti

corruptela reperitur *Theophilarastus* emendatur: *in Indiae Tradastilis. Scotussaeis* ab Iano correctum est.

687 20 = 2,17.

Crannone est fons calidus — qui vino triduo addito calorem potionis custodit in vasis.

Athenaei epitome II. p. 42 *Κραννῶνι δ᾽ἐστὶν ὕδωρ ἡσυχῇ θερμόν, ὃ διατηρεῖ κραθέντα τὸν οἶνον ἐπὶ δύο καὶ τρεῖς ἡμέρας.* Sequitur verba Plinii sic transponi debere: *qui vino addito triduo calorem* rel.

688 28 = 2,19. (de tempe).

siliqua silvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur semper florens purpura.

‚Arbor florens purpureo colore' Vitruv. VIII. 3. 15. Itaque scribo *florens, purpurea.*

689 30 = 2,20.

Destillantes quoque guttae lapide durescunt in antris Coryciis.

Coricis ideo V R, unde Sill. *item in Idaeo,* Ian. *Idaeo* coniecit, quod nescio quomodo çum verborum structura conciliaverit. Simplicius et nisi fallor verius legitur *in antris Coryciis Idae.*

690 Ibidem.

in quibusdam speluncis . . columnasque faciunt (guttae), ut in Phausia Chersonesi Rhodiorum rel.

Phausiam codicibus quoque alienam veterum scriptorum nemo usquam nominavit. Libri habent *ipsausia* V d *ipsaia* R, unde dempta vocali quae praepositionem continet quod remanet *psaia* et correcta litterarum perturbatione et addita quae interierat syllaba simillima facili emendatione notissima Chersonesi regio (cf. V. 104) efficitur *in Bubassia.*

32 = 3,21. 691

nec levitatis in pluvia aqua argumentum est... quo fit ut aquae pluviae sordium plurimum inesse sentiatur citissimeque ideo calefiat [aqua pluvia].

Brevitatis studiosissimus Plinius eadem vocabula ter repetere non potuit, itaque quae facile e proximis intelliguntur postrema vocabula a librario non imperito addita esse videntur.

44 = 3,27. 692

Aquarum sunt notae iuncus aut harundo .... Salix enim erratica et alnus aut vitex [aut harundo] . . sponte proveniunt . . augurio fallaci.

Inter certa aquae signa et fallacia, quae a Vitruvio VIII. 1. 3 cumulantur, Plinius sedulo distinxit, itaque harundinem bis commemorare non potuit. Quae igitur post v. *vitex* male repetuntur verba *aut harundo* deleantur oportet.

46 = ibidem. 693

loco in altitudinem pedum quinque defosso ollisque e figlino opere crudis aut peruncta pelvi aerea cooperto lucernaque ardente concamarata frondibus, dein terra . . .

Ollas, pelvim, lucernam in eodem loco condi, tum locum ipsum frondibus ac terra operiri et ratione descriptionis et Vitruvii loco VIII. 1. 4 efficitur. Nam scaphio aut pelvi in loco defosso collocatis ‚summa‘ ait, fossura operiatur harundinibus aut fronde, supra terra obruatur‘. Quum igitur non loco cooperto lucerna frondibus concamarari putanda sit frondibus, sed locum ollis, pelvi, lucerna concamaratis frondibus cooperiri appareat, verbum *cooperto* in archetypo ab initio

alterius versus in alterum migrasse atque ante v. *frondibus* transponendum esse videtur.

694 55 = 5,30.

Et illa miraculi plena, Arethusam Syracusis fimum redolere per Olympia, verique simile, quoniam Alpheus in eam insulam sub [ima] maria permeet.

Ima maria non prorsus quidem a Plinii sermone aliena sunt, cf. II. 128, etsi genetivum *maris* voci addit *ima* XXXII. 64: sed hic unius codicis d auctoritate nituntur, in R *sumaria* in V *subima* legitur. Quod quum cum locutione Senecae III. 26 *sub mare* magis conspiret, vocem *ima* expungere malim.

695 61 6,32.

sicut in Segesta Siciliae, Larisa, Troade rel.

Fort. scr. *Larisa Troade*, ut a ceteris oppidis cognominibus distinguatur.

696 65 = 6,33.

Lendes — hac curantur, ut liventia reducit eadem (aqua marina) ad colorem.

ut h. l. ineptum legitur quidem in R V sed facile in *ac* mutatur. §. 76 recte vulgo scribi *ex appositis montibus deferunt,* durissimam structuram *ex his ap. m.* Plinio a Sill. Ian. immerito obtrudi, ipsa librorum MSS. corruptela demonstratur. Nam quod praecedit *et Oxus* deest in plerisque codd. sc. in *ex his* corruptum, in R² cum praepositione ita coniunctum est: *yxisses* i. e. *oxus ex.* Ceterum haec in transcursu, nam a defendenda vulgata ante Sill. lectione consulto abstineo.

697 78 = 7,39.

muros domosque massis salis faciunt.

Praepositio qua carere non possumus, e voce proxima una littera repetita restituitur: *domosque e massis.*

85 = 7,41. 698

Salsissimus sal qui siccissimus, suavissimus omnium Tarentinus atque candidissimus, et de cetero fragilis qui maxime candidus.

cetero Ian. e V R^1 d cui assentirem nisi cod. R^2 auctorem sequi mallem; *et* haud dubie mutandum videtur, ut legatur: *candidissimus est, de cetero* rel.

Ibidem.

In igne nec crepitat nec exsilit Tragasaeus — 699
nec ullius spuma aut ramentum aut tenuis.

ullus T V R^1, *ramento* omnes, recte ab I. recepta, habent. Collatis §§. 74, 76 et dittographia deleta scribendum est: *aut ramento tenuis.*

87 = 7,41. (de sale). 700

conditur etiam odoribus additis — —, ita ut sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta [iterum] in mandendo, quaesitus garo.

Homines cum iterum mandere non soleant neque garum, quod ‚liquoris exquisiti genus‘ §. 93 vocatur, mandi omnino possit, sequitur quam lectionem Sill. e libris MSS. recepit, eam ferri non posse. Ne Iani quidem coniectura, qua interpunctione correcta *interim* i. e. interdum scribi voluit, rem absolvi putaverim. Nam non interdum sed semper salis saporem intelligi in mandendo apparet. Non mutandum est vocabulum ineptum sed delendum, e litteris similibus *interinn* quae eundem fere versus superioris locum occupasse putandae sunt, male repetitum. In proximo sensu vitium a Sill. Plinio obtrusum ab Iano merito expulsum quam antiquum sit, Isidori loco XVI. 2 demonstratur qui, multum

largiores lacte multoque gratiores casei dote' scripsit, fortasse recte.

701 88 = ibidem.

adeoque necessarium elementum est ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque; scommata sales appellantur omnisque vitae lepos . . . . non alio magis vocabulo constat.

Quid sententia requiratur, intellexit quidem Pintianus sed nomine peregrino male expressit; qui autem ad librorum MSS. scripturam propius se applicuit Ianus subiecto se carere posse putavit. Qui quae lectioni a Sill. receptae substituit ‚nimirum a sale ap.' propterea non ferenda esse contendo, quia non omnes animi voluptates a sale appellantur, sed ioci salesque. Eo igitur consilio ad litterarum ductus accedendum est, ut iocorum vocabulum inde expiscemur. Atque haec in libris MSS. leguntur: ***animi quoque nimia sale*** **(*sales* R²). Quae, ubi animo reputaveris terminationem *que* nihil esse nisi *ce*, quam scripturae permutationem ne ab imperatorum quidem aetate prorsus alienam esse vel notissimo templo Fortunae huiusque diei demonstratur, vocabulis recte distinctis paucisque litterulis mutatis, ita emendari apparet:** ***animi, ioci enim a sale appellantur.***

§. 94 *lautissimum* scribo cum R V, non *laudatissimum*, §. 98 cum R d verbum *est* pone v. *ignea* colloco, §. 102 priorem praepositionem *in* dittographia ortam esse puto.

702 104 = 9,45.

crocodilorum morsibus (salem imposuere) ex aceto in linteolis ita ut batuerentur ante vincta ulcera.

vinculis **Ianus, *hic* V d *inc* R¹ *ictuum* R² e i. e. *ante vincturam*. Ulcera antequam vinciri coepissent, veneno liberabantur, quod batuendo ut fieret medici praeceperant, tum in vinctura**

sale curabantur. Differunt igitur quae hic traduntur praecepta a Dioscoridis loco V. 125, ubi sal ad molliendam vinculorum duritiem imponi videtur.

125 = 11,47. (de spongiis). 703

Iidem (penicilli) abstergendae lippitudini utilissimi, eosque tenuissimos et mollissimos esse oportet.

Ita Sill. Ian. Gelenium eiusque codices secuti. De quibus quid iudicandum sit, quoniam minus constat, nos nostris codicibus quorum accurata notitia illorum virorum doctorum diligentiae debetur, firmius insistemus. *ea tenuissimosque oportet* R^1 V, plenius idem Vossianus altero loco quo quae a XXXI. 118 usque ad XXXII. 57 leguntur, pariter atque in R^2 repetuntur (ψ Ω Sill. appellat), plenius igitur ψ Ω R^2 *ea tenuissimos et mollissimosque oportet*, iidem vocem proximam litteris *e*, *a*, *ae* finiunt. Unde eadem fere sententia quibus scriptor usus fuisse videatur haec verba extricamus: *utilissimi*, *ac eo* (i. e. et ideo, cf. XVII. 127, XXXI. 31) *tenuissimos esse mollissimosque oportet.*

126 = ibidem. 704

Et ipsae (spongeae) vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccae, nunc aceto adspersae rel.

Vulgatam hanc lectionem quam haud dubitanter Sill. repetivit, interpolatam esse Ianum non latuit. Quod vero lacunae signum apponere quam corruptam codicum scripturam corrigere maluit, cautius quam rectius mihi quidem videtur fecisse. Nam quid omnino excidisse potuerit, non assequor. En librorum MSS. lectiones: *inflammationes sine ciniungitur* V *inflammationes si nec inunguitur* R d Ω ψ, e quibus litteras *sine* dittographia proximarum *s cini* ortam esse quis non intelligit? Quae autem restant *ciniungitur* termi-

natione passivi abiecta in *minuunt* facile corriguntur. Quod vocabulum inflammationum proprium supra XXV. 88 ‚non in ipsa inflammatione sed imminuta‘ usurpatur. *τραυματικός τέ ἐστι*, Dioscorides inquit V. 137, *καὶ οἰδήματα στέλλει*.

LIBER XXXII.

Expeditiorem viam ingredimur. Librum enim Bambergensem, quem manibus teneo, tot tantisque virtutibus ceteris eminere quis nescit, ut plerumque solus, interdum cum optimis alterius familiae codicibus orationem Plinii germanam incorruptamque praestet? Quem accuratius quam nescio quo pacto in maiore Silligii editione factum est collatum sicut in primis libris codicem A, nos ita auctorem sequemur, ut alteram sectam, ubi suis Bambergensis liber vitiis laborat (neque id raro accidit) in auxilium advocemus.

705 10 = 1,4.

Iuba — tradit — cetos — in flumen Arabiae intrasse rel.

Haud dubie *in flumen Arabim intrasse* scribendum est, i. e. ‚apud Gedrosos qui Arabim amnem accolunt‘ (IX. 7). Iubam enim praeter Arabiam etiam eum cursum descripsisse constat, quo ex Arabia Patalen navigabatur, cf. vind. I. p. 97. Nomen autem fluminis vicinis vocabulis ‚de Arabia‘ corrumpi facillime potuit. §. 11 cum cod. B. scr. *repere*, §. 13 non *anthiam* sed plurali numero quo IX. 182 Plinius usus est, *anthias* rectius legi librorum MSS. vitiosa scriptura (*pithias* B *phitiasin* VR) efficitur.

706 15 = 2,6.

Trebius Niger auctor est xiphian [id est gladium] rostro mucronato esse, ab hoc naves perfossas

mergi — ad locum Mauretaniae, qui Cotte vocetur.

Gladium piscem Plin. iam IX. 54 nominaverat, xiphian infra §. 151 commemorat, neutro loco interpretatur, quae igitur h. l. ut mucronatum rostrum explicetur, adiecta legimus glossam redolent. Locus autem Mauretaniae et V. 2 in cod. A et hic in cod. B *Cottae* appellatur, quae nominis forma cum Strabonis loco p. 825, 2 *αἱ Κώτεις* confirmetur, plurali numero Plinius usus esse videtur.

16 = 2,7. 707

E manu vescuntur pisces in pluribus quidem Caesaris villis; sed quae veteres, prodidere in stagnis, non piscinis admirati, in Eloro Siciliae castello —, item in Labrandi Iovis fonte anguillae et inaures additas gerunt, similiter in Chio rel.

Ita Sill. cod. Bambergensem e parte secutus, neque multum differt Iani ratio qui interpunctione mutata verba non emendavit, nisi quod recte e codd. *Labrayndi* i. e. *Labrayndii* scripsit. Equidem neque sententiam orationi aptam inesse neque structuram verborum ferri posse contendo. Nam quod Ianus post vv. *villis* et *sed* leniore interpunctione usus est, non contraria sunt villae et castellum, sed stagna et piscinae, Silligius vero ne sensum quidem grammaticae legibus accommodavit, quorsum enim referuntur verba *sed quae veteres?* Neque omnino ulla primis sententiis inest oppositio, sed comparatio, eodem enim modo e verbo ‚vescuntur' infinitivus ‚vesci' supplendus est, quo XXXIV. 5 verbum ‚exerceri' semel positum bis intelligitur, quo de genere cf. Grasberger p. 16. Corrupta esse sequitur verba *sed quae* B *se quae* R *se que* V, unde deleta quae e proximo vocabulo adhaeserat littera *s* nullo negotio efficitur *aeque* sc. e manu vesci. Ita XVII. 84 a sententia

,id quidem — maluerim' ad alteram eodem adverbio ,aeque' transitur. Bambergensis autem scriba quum etiam in fine post v. ,diximus' male addiderit ,pisce', in media quoque sententia peccasse videtur, optime ceteri syllaba addita *anguillas hae* exhibent. Qua lectione recepta scribendum erit:

E. m. v. p. i. p. q. C. villis, aeque veteres prodidere, in stagnis non piscinis admirati, i. Heloro S. c. n. p. S. i. i. L. I. fonte anguillas — hae e. i. a. gerunt — similiter rel.

§. 17 post v. *parent* interpungatur oportet, §. 18 *Scyllae* pro *Siciliae* lego. §. 33 v. *tollit* pone v. *oculorum* non in alterius tantum familiae libris sed etiam in Bamb. deest; nam e Silligii Iani copiis satis negligenter usi silentio cave quidquam colligas. Quod nisi in ceteris libris *suffusionesque* legeretur, praepositionem *contra* bis ponendam esse existimarem, nunc verbum excidisse concedo. Ita in §. 34 quem sensum Ianus emendavit non *hoc* ex *hec* sed *hęc* ex *hoc* factum est, v. *efficariore* a m. 1 *efficaciorem* manifesto scriptum erat, postea in rasura e tribus litterae m signis ultimum erasum, medium et primum in *st* mutatum est. Ibidem non *demonstrent* sed recte *demonstrant* scriptum exstat. §. 41 non V tantum sed etiam B habet *sanguinem inlini*, §. 48 B² non *fluuiatilium* sed *fluiatililium*.

708 61 = 6,21. (de ostreis).

Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras.

ambientem B V R, *fribras* V et ante rasuram B, unde concinnior lectio prodire videtur:

ambientem purpureo crine fibram.

709 68 = 7,23.

Sornatius tantam vim (sanguisugarum) hanc tradit ut, nisi oleum ore contineant quae tinguent, dentes quoque earum denigrari dicat.

Cur feminae solae tinguere capillos dicantur, nescio, de viris puerisque Plin. Valerianum I. 7 loqui video. Qui quum ab iis qui curentur oleum ore continendum esse praeceperit his verbis: ‚habere — debet in ore oleum is qui curabitur — ne ei dentes nigrescant' Plinium scripsisse puto: *qui tinguntur — eorum;* et habet *qui*, *eorum* d, *tingunt* praeter B omnes. §. 75 In Bamb. recte non *ipsas* scriptum est sed *et ipsas.*

84 = 7,27. 710

Muricum generis sunt quae vocant Graeci coluthia —, turbinata aeque sed minora multo, efficaciora etiam et oris halitum custodientia.

Praeter muricum remedia eam quoque vim coluthia quae calycia i. e. parva pocula potius appellanda erant, habere dicuntur, ut oris halitum custodiant. Quam melius particula ‚etiam' adiungi apparet. Copula igitur quum a cod. Bamb. absit, scribendum erit: *s. minora, multo efficaciora*, *etiam oris h. c.*

86 = 8,27. (de alcyonio). 711

Quatuor eius genera: cinereum spissum, odoris asperi; alterum molle, lenius, odore fere algae; tertium candidioris vermiculi; quartum pumicosius, spongeae putri simile.

Hic rursus e cod B. addenda est copula. Nam lenem odorem aspero opponi manifestum est, sicut molle genus spisso. Itaque inserta e cod. B. copula legatur oportet: *lenius odore et fere algae.* In proximis vocabulis genetivus ‚c. vermiculi' non habet quo referatur; scilicet ad v. ‚simile', cum genetivo ‚putris' in codd. V R d coniunctam. Sequitur, orationem Plinii hoc modo continuari:

tertium candidioris vermiculi, *quartum p. s. putris simile.*

93 = 9,30.

712 Iocineris doloribus scorpio marinus in vino necatur, ut inde bibatur; conchae longae carnes ex mulso potae rel.

Ita et Sill. et qui cum antecesserunt quique secutus est Ianus tacite scripserunt, lectionis *necatus* quam et reliqui codices exhibent et Bamb., qui etiam §. 92 non, quod e Silligii silentio colligas, *demittat* sed *dimittat*, scripsit nullam rationem habuerunt neque sententiae structuram expediverunt. Scilicet post v. *doloribus* verbum *prosunt* vel simile quod excidisse non animadverterant.

713 **97 = 9,31.**

(Myaces) ulcera — sanant; item carcinomata; cremati, ut murices, et morsus canum hominumque cum melle rel.

cremati autem ante Sill. legebatur. Qui vocem importunam Bamb. auctore recte delevit, interpunctionem non correxit. Atqui Dioscorides II. 7 *καέντες* inquit, *τὸ αὐτὸ δρῶσι τοῖς κήρυξιν,* qui *τὰ αὐτὰ ποιοῦσι καὶ οἱ κήρυκες καέντες* ac murices retulerat cp. 5, et *πορφύρα καεῖσα δύναμιν ἔχει — ἀνακαθαρτικὴν ἑλκῶν,* cf. cp. 4. Itaque legatur oportet: *ulcera — sanant, item carcinomata cremati ut murices; et* rel.

714 **103 = 9,32.**

Saepiae quoque ova urinam movent, renes purgant.

et renes non V tantum habet, sed B quoque, haud dubie recipiendum.

715 **116 = 10,38.**

alii sanguinem testudinum lethargicis illinunt.

testudinis V et B, itemque Plinius Valerianus III. 6 recte utique.

121 = 10,42. 716

Sanguinem fieri piscium cibo putant.

flere B^1, *fluere* B^2 recte, nam contrarium statim sequitur ‚sistere.‘

123 = ibidem (de hirudinibus). 717

Aliquando tamen relinquunt adfixa capita, quae causa — multos interemit, sicut Messalinum e consularibus patriciis, cum ad genu admisisset; invehunt virus remedio verso.

Male dici ‚remedium versum‘ Pintianus intellexit, neque tamen recte *in veneni* coniecit. E codicum autem scriptura *inuenit uirus* B *inueniunt uirus* V R T facile efficitur *inveni in virus*, sc. ‚apud auctores‘ (XX. 215) interemisse, quem infinitivum breviloquus scriptor omisit. Cottam Messalinum dixit, Tiberio regnante nescio quo anno consulem suffectum. Pergit Plinius:

124 = ibidem. 718

Maxime rufae ita formidantur; ergo sugentes rufas forficibus praecidunt.

V. *rufas* male repetivit Sill., Ianus cautius libros MSS. secutus *sugere* scripsit, ante v. *rufas* aliquid excidisse ratus. At haec ipsa vox in uno B^2 reperitur, i. e. in optimo codice interpolato: *sugere urfas* legitur in B, *sugere oras* in V R d T. Scribendum est igitur:

sugere orsas.

Obiter moneo §. 125 de codicis B. errore male a Sill. relatum esse, accurate ab Iano in ed. I. Teubneriana vol. V. p. 356. §. 134 *sub diu* etiam in B legitur. §. 136 vulgo recte *ex XV* legitur; quod enim B habet *e XXV* nihil aliud est atque *ex XV*.

719 **136 = 10,47** (de sanguisugis).

[hic suffitus urentium eas necat cimices unice.]

invectas vulgo male legi ab Iano intellectum est, qui e scriptura cod. B *in vice* tres coniecturas elicuit: *invicem*, *in veste*, *unice;* postremam recepit eique Sill. obtemperavit. Equidem primam praeferrem, nam XXIX. 62 suffitu cimicum hirudines abigi dicuntur, si una voce mutata sensum expediri mihi persuaderem. Nunc in multis haereo. Ac primum quidem non comburentium tantum cimices necari consentaneum est sed eos quoque qui in cubilibus latent; deinde voces ‚hic suffitus' pro ‚harum suffitus' vel ‚hae suffitu' vix Latine dici puto, totam denique sententiam et ab hoc loco quo de psilothris agitur, alienam esse arbitror et supervacaneam omnino, quum de illa hirudinum virtute iam §. 124 idem relatum sit. Quid multa? delendus est sensus e superiore loco saeculo ut videtur quarto ab homine non illo quidem indocto sed elegantioris orationis minus perito repetitus.

§. 142 numerum piscium CXLIIII corruptum olimque recte CLXXVI scriptum esse et facili computatione nominum quae insequuntur facta intelligitur et indice h. l. confirmatur. Ibi enim ipse qui quaeritur numerus CLXXVI reperitur.

720 **147 = 11,53** inter pisces enumerantur cochloe, quorum generis — helices, aliis actinophoroe dicuntur, quibus radii cantant; extra haec sunt rotundae rel.

Rectam emendandi viam ingressus est B auctore Ianus, ita tamen ut vocem *radii* cautius quam verius omitteret. Scilicet id quidem virum prudentissimum non latuit, quod Silligius sibi persuasit, fieri non posse ut radiis conchae non concavo buccino soni eliciantur: sed quae e Xeno-

cratis libro desumpta apud Oribasium II. 58 leguntur, non debebat negligere. Tria enim cochlearum genera distinguantur oportet: helices, teretes et oblongae quibus canitur, rotundae, quibus oleum asservari solebat. Primum autem genus cum altero apud Plinium confusum conflatumque est, quum in imo fortasse margine archetypi versus XXVII litterarum excidisset, ultimum proximi vocabulum in eo libro, unde B codex descriptus est, solus conservatus, in eo exemplo quod ceteris repraesentatur, interiisset. Nos igitur voce *radii* religiose servata lacunam ita expleri statuimus:

quibus radii exstant; teretes quibus ut tubis cantant; *extra haec* rel.

150 = ibidem. 721

— pectines maximi et nigerrimi aestate, laudatissimi autem Mytilenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Chia insula.

Hic quoque Silligius Iani copiis negligenter usus est. Nam, sicut ille in ed. I. Teubn. accurate retulit, ante v. ‚nigerrimi' in B scriptum exstat *in his*, rectissime. Neque enim nigerrimi pectines sunt aestate, sed laudatissimi, cf. Xenocr. l. l. Maximi igitur pectines et praecipue nigerrimi quique aestate optimi sunt; ‚*hi* autem' — nam haec quoque vox e B asciscenda erat — sunt vel reperiuntur non Altini sed Latini teste eodem Xenocrate. Itaque cod. B scriptura *alti. nicia* (*altinicia* ceteri) sic emendabitur:

Latini, *in Chia insula.* (*in* iam ab I. additum est).

152 = 11,54. Ovidius commemoravit: 722-23

— parum, tragum et placentem cauda melanurum.

sparum coniecit Hauptius ex Ovidii v. 106, qui tamen ‚sparulum' nominat. Veri similius ne bis unum vocabulum

mutetur, ex versu 107 mihi quidem videtur legi *pagurum*. In archetypo enim in fine versuum e membrana aliquantulum aut deletum aut male compactum fuisse putandum est, quo factum est, ut *pa||rum* omnes, *caudam. labrum* B, ceteri *cauda labrum* servaverint. Eidem vitio tribuo errorem §. 154 a nemine dum animadversum. Nam post v. *spondyli* excidit *loco*; *pro spondylo* vulgo legitur, ad sensum recte.

LIBER XXXIII.

Huius libri §§. 8—30, 32—38, 42—57, 132—157 in chrestomathia tractavimus, e quibus Ianus in editione Teubneriana recentiore et numerorum notas nonnullas accuratius expressit et duos locos videtur emendasse; §. 15 ego *etiam* scripseram, Ianus recte distinxit *et iam*; §. 145 v. *eius* post *conservi* restituit*). Fortasse etiam §. 32 recte legit *principatu* e B pro *principatus*. Quod autem §. 155 ego ‚*et* Antipater quoque' scripsi, id Bamb. auctore feci.

3 = 1.

724 Illa nos perimunt — quae occultavit atque demersit (tellus), illa quae non nascuntur repente.

Frigidam sententiam ne tum quidem prooemio i. e. eo loco ferendam esse putarem, quo ad oratoriam artem Plinius fere consurgit, si librorum optimorum fide confirmaretur. Quia enim metalla frugibus opponuntur quae suo plerumque tempore proveniunt neque ipsae repente nascuntur, negationi illi nulla omnino vis inesse videretur. Optimi autem codices BVR *ut repente* summo consensu exhibent: itaque non delenda est vocula *ut* sed addendum verbum et ad sententiam et ad structurae concinnitatem necessarium. Quod

*) Praeterea nonnulla prioris editionis Teubnerianae quam operis correctam exhibueram vitia imprudentia mea contigit ut repeterentur.

quam facile simillimis proximi vocabuli litteris hauriri potuerit, quis non intelliget? Namque scribatur necesse est:

quae non nascuntur ut repente rapiantur.

4 = 2. 725

Didicit homo naturam provocare et artem vitiorum irritamenta; in poculis libidines caelare iuvit ac per obscoenitates bibere. Abiecta deinde sunt haec [et sordere coepere] et auri argentique nimium fuit.

Quae vulgo ita leguntur recte Bergkius in exercitt. Plin. II. 3 improbavit; nam neque vitiorum irritamenta artem provocare recte dicuntur neque postrema apte cumulantur. Quod autem ultima verba delevit v. d., non animadvertit aurum argentumque propterea nominari quo gravius murrina in sensu proximo commemorentur; neque quae in primis verbis mutavit, probabilia esse videntur. Satis enim inconcinne coniecit vel ‚artem ad v. i.' vel ‚arte', ut verba ‚vit. irr.' voci ‚libidines' nulla vi apponerentur. Contrariae quum sint voces ‚homo — vitiorum irritamenta', ‚naturam — artem', sequitur verbo ‚provocare' alterum flagitari eius aut contrarium aut simile. Quod male in codd. deterioribus suppleri ‚auxere' apparet; neque enim augetur ars vitiorum irritamentis sed frangitur ac debilitatur. Accedit quod quae statim sequuntur verba ‚et sordere coepere' absunt a cod. Bamb., in quo *abs sorbere* scriptum est idque rectissime etsi alieno loco, nam et naturam ab homine provocari et vitiis cupide artem adhiberi haec tandem est sententia indignatione scriptoris dignissima, eaque facillima mutatione sic restituenda:

D. h. n. provocare et absorbuere artem v. i.; i. p. l. c. i. a. p. o. b. A. d. sunt haec et auri arg. nim. fuit.

Paulo infra B habet: *earum iam accessio est*, ceteri

codd. *et aurum i. a. e.* Scribendum videtur: *earum iam accessio est aurum.*

726 31 = 2,7.

Decuriae quoque ipsae pluribus discretae nominibus fuere, tribunorum aeris et selectorum et iudicum. Praeter hos etiamnum nongenti vocabantur, ex omnibus electi ad custodiendas suffragiorum cistas [in comitiis].

In loco difficillimo, quo de eleganter Bergkius in exercitt. Plin. II. p. IV egit, diutius immorari nolo unumque significasse satis habeo: nongentorum illorum quodquod munus fuisse videatur, ad iudicia sola referri. Itaque annotatione docti illius grammatici qui iudiciorum custodes comitiorumque permutavit, expuncta ex omnibus iudicum decuriis nongentos electos esse existimo, e quibus quotquot ad singula iudicia requiri viderentur cistarum custodes adhiberi consueverint.

§. 40 quod sententiae unice aptum est, *auro* exstat in cod. Bamb.

727 58 = 3,19 (de auro).

Praecipuam gratiam huic materiae fuisse arbitror non colore, qui clarior in argento est magisque diei similis, ideo militaribus signis familiarior, [quoniam longius fulget].

Colorem clariorem argenti causam esse cur militaribus signis adhiberetur, iam dictum erat; quae insequuntur nihil sunt nisi glossa e margine repetita.

728 59 = ibidem.

— quo saepius arsit, proficit ad bonitatem, aurique experimentum ignis est, ut simili colore rubeat ignescatque; et ipsum obrussam vocant.

Quid? obrussamne aurum? immo obrussa auri est experimentum. Interpungatur oportet:

— *ignescatque et ipsum: obrussam vocant.*

67 = 4,21. 729

Aurum qui quaerunt ante omnia segutilum tollunt; ita vocatur indicium. [Alveus hic est] harenaeque lavantur atque ex eo quod resedit coniectura capitur.

Segutilum ab alveo diversum in alveo seu fossa lavari harenamque continere apparet. Atque alveum Plinius non erat cur commemoraret, commemoravit doctus ille interpolator; ipse segutilum harenam lavari narravit. Itaque B scriptura (*harenae qua lauatur*) correcta et glossemate expulso legendum esse censeo:

— *indicium harenae, quae lavatur* rel.

69 = ibidem. 730—32

Vagantur hi venarum canales per latera puteorum et huc illuc.

Scribe: *puteorum huc et illuc.* — In §. 70 verba ‚arrugias id genus vocant‘ in parenthesi collocanda sunt, ut proxima verba cum priore sensu artius cohaereant. Item §. 71 verba ‚si longior — ambitque‘ cum proximis superioribus coniungenda atque a v. ‚Et tamen‘ nova sententia ordienda est.

72 = ibidem. 733

Peracto opere cervices fornicum ab ultimo cadunt; dat signum ruina eamque solus intellegit in cacumine eius montis vigil.

Is scilicet qui in summo monte collocatus est vigil ubi intellexit iamiam fore ut mons corruat, *dat signum ruinae.* Itaque

734 Mons fractus cadit — fragore qui concipi humana mente non possit eque efflatu incredibili spectant victores ruinam naturae.

Et fragorem et aeris efflatum vehementissimum esse traditur. Itaque e codd. V R restituatur oportet quod ex parte iam vulgo ante Sill. legebatur: *non possit, aeque efflatu incredibili: spectant — naturae.*

735 75 = ibidem.

Vitium lavandi et si fluens amnis lutum importet.

V *et* neque coniungit quidquam neque comparat. Scribatur oportet: *V. l. est si* rel.

736 85 = 4,25. (de auro).

— ex melle vero decoctum cum melanthio illitum umbilico leviter solvit alvum.

Non *leviter* sed *leniter* alvus solvitur (cf. XXXII. 64), atque sic habet B.

737 90 = 5,27. (de chrysocolla).

Indocta opificum turba tribus eam generibus distinguit, asperam quae taxatur in libras X VII, mediam quae X V, attritam quam et herbaceam vocant X III. Sublinunt autem harenosam priusquam inducant atramento et paraetonio.

Num harenosa tantum utuntur opifices sc. quarto nescio quo chrysocollae genere cuius nullum omnino pretium tradatur? Immo una e tribus illis generibus harenosa fuisse putanda est, eaque eo loco inseratur oportet, ubi peccatum in archetypo fuisse hac codicis B lectione *aspe quae mataxatur* indicatur. Itaque transposita illuc voce ‚harenosam' lego:

asperam harenosam — Sublinunt autem priusquam rel.

§. 93 *santernam vocant nostri* legebatur ante Silligium,

rectissime, nam non in reliquis tantum codicibus sed etiam in B exstat.

100 = 6,32. 738

Et alias argentum vivum non largum inventum est.

Non de praeterito tempore Plinius loquitur sed de sua aetate. Quod igitur aliis in locis dixerat ‚rarum inventu' (IX. 60, XV. 130, XXVIII. 1, 217), id h. l. dicere maluit: *non largum inventu est.*

105 = 6,35. (de scoria). 739

Additur emplastris ut molybdaena, de qua dicemus in plumbo, cicatricibus maxime glutinandis et contra tenesmos dysenteriasque, infusa clysteribus cum myrteo oleo.

Emplastra et clysteres quum sint diversa remedia, illa cicatricibus prodesse, clysteres contra dysenterias adhiberi manifestum est, cf. XXXIV. 174. Alio igitur modo distinguenda est oratio: *glutinandis, e. c. t. dysenteriasque infusa cl. c. m. o.*

106 = ibidem. 740

Chrysitis ex vena ipsa fit, argyritis ex argento, molybditis e plumbi ipsius fusura, quae fit Puteolis et inde habet nomen.

‚Ut Puteolana nominetur' Hard. Minime (nam etiam in Sicilia fieri auctor est Dioscorides V. 102), e plumbi potius fusura molybditis appellatur. Itaque distinguendum est ita: — *fusura quae fit Puteolis, et i. h. n.*

108 = ibidem. 741

Quidam duo genera faciunt spumae, quae vocant scirerytida et peumenen.

Alterum genus haud dubie id est quod durum solidumve

fluit, quod follium afflatu accenditur alterum. Itaque sic Graeca nomina a vocibus *σκιρρός, ῥύω* et *πνέω* ducta recte scribentur: *scir o rytida et p neumenen.*

742 118=7,40.

(Minium) neutro ex loco invehitur ad nos nec fere aliunde quam ex Hispania, celeberrimo Sisaponensi regione in Baetica miniario metallo vectigalibus populi Romani. Nullius rei diligentiore custodia, non licet ibi perficere rel.

Pluralis *vectigalibus* quia ad neutrum substantivum referri potest, ad ea quae proxime sequuntur praepositione addita applicandus est, aptissima sententia. Propterea enim in Hispania glebae minii non perficiuntur, quia diligentissime custoditur vectigal. Itaque scribendum erit: — *metallo. E vectigalibus p. R. nullius r. d. custodia non licet* rel. Obiter moneo, *celeberrimo* etiam in B legi, non *celerrimo.*

743 119 = ibidem.

Namque est alterum genus — quod fit exusto lapide — non ex illo cuius vomicam argentum vivum appellavimus — sed ex aliis simul repertis. Steriles etiam plumbi deprehenduntur solo colore rel.

steriles etiam plumbi de'|| *micae p'rehenduntur solo*|| Bamb. versibus ita distinctis. V. *micae* Ianus in margine ab aliquo adscriptam fuisse putat, qui v. *steriles* sc. lapides explicare conaretur. Equidem quum ante v. *steriles* unam litteram erasam esse videam secus censeo. Omissa erat a librario pone v. ‚repertis‘ *micae*, quod verbum quum deficiente spatio suo loco supplere non posset in alterum versum coniecit eadem manu sed litteris paulo minoribus. Itaque scribi velim: — *repertis micae. Steriles* rel.

122 = ibidem. 744

remedium ut pariete siccato cera Punica — admotis gallae carbonibus inuratur.

Quomodo e galla carbones fieri possint, ab editoribus non demonstratur, neque quemquem de ea re accuratius cogitasse putaverim. In ‚ferreo vase‘ carbones componi debere Vitruvius VII. 9. 3 monuerat, quem quum hoc loco Plinius auctorem sequatur, nomine aliquo usus esse putandus est quo illius orationem non sententiam variaret. Quod ipsum in egregio codice servatum Sill. Ian. temere neglexerunt. Scriptum enim in B exstat *gal. ea* (*galeae* in V) i. e. *galla* vase a galeae similitudine appellato, quam deminutiva forma Varro apud Nonium XV. 35 galeolam vocavit, h. l. sine dubio reponendam.

Ibidem. 745

Qui minium in officinis poliunt faciem laxis vesicis illigant ne in respirando pernicialem pulverem trahant et tamen ut per illas spectent.

illas prorsus otiosum est, neque enim vesicarum amor incolas tenuit, sed ne laederentur aut pulvere aut tegumenti crassioris asperitate. Quid autem vesicis levius? atque hoc ipsum *ut per levia spectent* rectissime in B scriptum exstat.

131 = 9,46. 746

pingitque (Aegyptus), non caelat argentum. Unde transit materia et ad triumphales statuas.

transmisit R, verbo minus apto, tempore aptissimo. Nam non de re quae tum ipsum fieri coeperat, sed de more recepto sermo est. Itaque nulla fere mutatione scribatur oportet: *Unde trans iit materia* rel.

§. 159 post v. *montibus* levius distingui oportere arbitror, ut proxima verba ad sil prope urbem effossum referantur.

LIBER XXXIV.

De §§. 13—93, 140—141 in chrestomathia egi, praeterea §. 70 verba ‚Harmodium — Alexander' addito artificis nomine, ‚Antenor' §. 72 pone v. ‚bigasque' inserenda esse alibi monui. Quaedam autem in prioris edit. Teubnerianae exemplo quod correctum operis excudendum transmiseram emendare neglexi. §. 82 Ianus rectius fortasse *Philippiensis* e cod. B scripsit, nam quod §. 66 copulam *et* restituit, contra codicis auctoritatem factum est.

747 10 = 2,5. (de aere).

Proxima laus Aeginetico fuit, [insula ipsa aere,] nec quod ibi gigneretur, sed officinarum temperatura nobilitata.

Insula et ipsa, nec aes gignens sed vulgo, *insula ipsa est — nec quod ibi gigneretur, sed off. temperatura — nobilitata* Ianus. Codices autem ita variant:

et ipsa ē nec ē gignens R

et ipsa est nec est gignens V

et ipsa nec aes gignens d (et codd. Gelenii).

Qua librorum deteriorum scriptura comparata efficitur aeris nomen interpolatum recteque ab Iano omissum esse. Reliqua compendiis archetypi male intellectis corrupta esse ex hisce cod. R. litteris *nec ēgi* apparet. Quae in B egregie explentur litteris *necuodi* ac terminatione *tur*, cui quum in deteriorum codicum exemplari e proximo vocabulo *s* adhaesisset, participium substitutum est. Ad codicem igitur B hic quoque redeundum est. In quo haece leguntur:

ipsa est nec uodibi signetur

Romano enim scriptori id praesertim memorabile videbatur, quod apud Aeginetas non numis signandis aes inservierit sed officinis. Itaque in archetypo codicis B scriptum erat *insula ipsa est ne cuod ibi signetur*, ita ut quae Plinius ipse

tradiderat cum grammatici annotatione coalescerent. Insulam enim Aeginam esse eamque sua aetate ignobilem saeculo quarto grammaticus annotare potuit, Plinius etiamsi non IV. 57 retulisset, commemorare non poterat. Quae igitur restant, ipse ita enuntiasse putandus est, nam aes supra nominaverat:

Proxima laus Aeginetico fuit, non quod ibi signetur, sed off. t. nobilitata.

95 = 9,20. 748

palma Campano perhibetur utensilibus, vasis probatissimo.

Utensilia vasa non duo sunt genera sed utensilia vasorum genus (cf. ‚utensilia vasorum‘ XIII. 72), quod Isidori etiam interpolatione (‚utensilibus et vasis *omnibus*‘ XVI. 79) confirmatur. Deleta igitur quae ne in B quidem exstat interpunctione scribatur oportet *utensilibus vasis.*

Fit Campano simile in multis partibus Italiae pro- 749
vinciisque. Sed octonas plumbi libras addunt et carbone recoquunt propter inopiam ligni.

Quis tandem? nempe provinciae, Capuanos enim ligni non carbonis ignibus uti supra traditum erat; Galli vero etiam lapides candefacere statim narrantur. Quod igitur in B scriptum legitur *italiae prouinciae prouinciisq; sed octonas* inde Plinium haec tradidisse consequitur:

— *Italiae provinciisque. Sed provinciae octonas* rel.

102 = ibidem. 750

botryitis nominata; ponderosior haec priore, levior secuturis. Duo eius colores: deterior cinereus, puniceus melior, friabilis oculorumque medicamentis utilissima. Tertia est in lateribus fornacium —; haec dicitur placitis, et ipsa ab ar-

gumento, planitie crusta verius quam pumex, intus varia rel.

Adiectivum ‚friabilis' non ad colorem sed ad cadmeam botryitin pertinet, itaque alio modo interpungendum esse apparet. Infra v. *planitie* an operarum vitio Ianus omisisse videatur nescio, suo loco legi nego. *πλακώδης* enim cadmea recte crusta dicitur, planitie autem crusta non efficitur. Neque tamen delendum est vocabulum verbis Dioscoridis V. 85 *ὥσπερ ζώνας ἔχουσα τὰς διαφύσεις* conveniens, sed eo unde in archetypo post versum XXVI litterarum aberraverat transponendum. Itaque legendum est:

levior secuturis — duo eius c. d. c. p. melior —, friabilis —— crusta verius q. p. intus planitie varia.

751 **108 = 11,25.**

Atque haec omnia medici – ignorant; paret nominibus; in tantum a conficiendis iis medicaminibus absunt, quod esse proprium medicinae solebat. Nunc quotiens incidere in libellos componere ex his volentes aliqua hoc est impendio miserorum experiri commentaria, credunt Seplasiae omnia corrumpenti. Iam quidem facta emplastra et collyria mercantur, tabesque mercium aut fraus Seplasiae sic exteritur.

Ita Sill. contaminatis librorum deteriorum et B scriptura, Ianus autem ex illis vulgatam lectionem *pars maior et* servavit, ultimi verbi loco e B scripsit *sicce taxetur*. Nos e Bambergensis erroribus quid Plinius scripserit facile expediri arbitramur, atque quod ille exhibet *paret* in *parent* mutatum ad medicos refertur qui nominibus inserviunt, res negligunt. Tum *medicaminibus iis*, hoc enim ordine verba in B leguntur, recipiatur oportet. Deinde non *commentaria*

sed *commentariaque*, quod in B exstat, ad v. *libellos* transferendum est, ut medici sive libellis auctorum sive praeceptis nulla arte collectis, qualia apud Marcellum, Oribasium, alios permulta reperiuntur, uti dicantur. Neque *ex iis* (*ex is* B[1]) et *expediri* quod in omnibus libris MSS. reperitur est cur mutare conemur. Medicos enim se ex aerumnis curisque expedire aegrotorum impendio Plinius indignatur. Denique quae a prima manu B sane corrupta exhibet *siccenateturet*, inde nullo negotio effici apparet *sic vexat et urit* sc. miseros. En oratio haece elegantissima prodibit:

— *parent n.*; *i. t. a. c. medicaminibus iis a.*, *q. e. p. m. s. N. q. i. in libellos commentariaque*, *c. ex iis v. a. h. e. i. m. expediri*, *c. S. o. c. 1. q. f. e. è. c. m.*, *t. m. a. f. S. sic vexat et urit.*

109 = ibidem. 752

Et squama autem et flos uruntur — lavantur — et uvas oris farina admota tollit, et tonsillas cum melle.

Necessario *tollit et* in pluralem *tollunt* mutanda sunt. Proxima ab Iano recte distinguuntur.

116 = 12,28. (de scolece). 753

teritur autem, donec viride fiat contrahatque se vermiculorum specie, unde et nomen. Quod vitium ut emendetur, duae partes quae fuere aceti miscentur urina pueri impubis.

Quod tandem vitium? neque enim in nomine neque in viridi colore quidquam inest quod reprehendatur. At colorem nescio quid ingrati habuisse a Dioscoride V. 92 docemur, qui *ἐνεργὴς* inquit *δὲ καὶ εὔχρους γίγνεται*, *ἐὰν ὄξους μὲν λάβῃ μέρος ἕν*, *οὔρου δὲ παλαιοῦ μέρη δύο*. Itaque colori vitium inesse dixerat Plinius his fere verbis, quae excidisse eo est verisimilius, quoniam etiam proxima verba

impubis. Idem autem in B desiderantur: *ceterum colore ingratiore.* Ne sic quidem sanatus erat locus, quos recte sanum integerrimumque libri MSS. praestant Ianus secutus est:

— *duae partes quam fuere a. m. u. p. i.*

i. e. binae partes urinae singulis aceti admiscentur.

754 127 = 12,32. (de chalcantho).

— superponitur emplastris ad dolores tollendos, quodque ex eo candicat, in uno usu praefertur violaceis rel.

quo V R, *quod* non d T tantum sed etiam B, e quo S. I. *quodque* attulerunt. Itaque scribatur oportet: — *tollendos. Quod ex eo* rel.

755 142 = 14,41. (de ferro).

In Cappadocia tantum quaestio est, aquae an terrae fiat acceptum, quoniam perfusa certo fluvio terra neque aliter ferrum e fornacibus reddit.

De Chalybum metallis loquitur, cf. Ps-Aristot. de mirab. auscult. 48, quos prope Cerasum oppidum habitasse constat vel e Xenoph. anab. V. 5. 1. Itaque non de incerto quodam fluvio agi consentaneum est sed de flumine oppidi cognomine (cf. Forbiger Geogr. ant. II. p. 424). Scribendum est igitur: *Ceraso fluvio.*

756 150 = 15,43. (de robigine et ferro).

haec est ferro a Graecis antipathia dicta. Ferunt quidam et religione quadam id fieri et exstare ferream catenam rel.

Quum proximus inferior versus protarchetypi a v. *ferunt* inciperet, factum est ut in primum superioris versus vocabulum eaedem litterae transirent. Neque enim v. *antipathia* cum dativo coniungitur et frequentissima est rerum repugnantiae apud scriptorem nostrum mentio Cf. XX. 1.

XXIV. 1, XXXVII. 59. Hoc quoque loco ,de discordia rerum concordiaque quam antipathian Graeci vocavere ac sympathian' cogitavit scripsitque: *haec est rerum a. G. a. d. Ferunt quidem*, nam sic non *quidam* etiam B habet.

157 = 16,47. 757

ideo in calathis quibus aurum colligitur cum eo remanent, postea caminis separantur rel.

De calculis plumbi nigris sermo est, iisque nondum conflatis. Quare Graeco vase, quo ferrum fundi Hesychius s. v. retulit, hic quidem locus non est, neque id praeter codd. Barbari quos non inter optimos fuisse putaverim, recentissimumque h Parisiensem in ullo codice reperitur. *cubatis* habet d, *colatis* V R, *cutalis* B i. e. *scutulis*. Etiam de *catinis* cogitari licet cll. XXXIII. 69, verum et remotius est a litterarum ductibus quos etiam in vitiosa librorum scriptura religiosius sequi par est, et illo quidem loco ad aurum non colligendum sed coquendum adhiberi traditur.

164 = 17,49. 758

Nigro plumbo — utimur — eruto — in Britannia — adeo large ut lex ultro dicatur, ne plus certo modo fiat.

Qui nuper de plumbariis in Britannia metallis egregie disputavit, Hübnerus in mus. Rhen. XII. p. 349 verba ,ut — dicatur' tam obscura sibi videri pronuntiat ,ut haud sciat an Brunnii coniectura ,ut lege interdicatur' multis probetur. Atque non obscura tantum est talis oratio sed vix Latina, quae tamen non audaciore illa mutatione sed lacuna potius expleta sanari videatur. Quum enim syllaba *ca* in archetypo excidisset, quod restabat *uere* factum est ut in *ultro* corrigeretur. Ego vero ita legi censeo:

lex cavere dicatur, nisi malis: *lex ultro cavere dicatur*.

759 165 = ibidem.

Nuper id compertum (metalla derelicta fertilius revirescere) in Baetica Samariensi metallo, quod locari solitum X CC annuis, postquam oblitteratum erat, X CCLV locatum est; simili modo Antonianum in eadem provincia a pari locatione pervenit ad HS. CCCC vectigalis.

Sic recte scribitur locus partim a Gronovio partim ab Iano, qui nomen prioris metalli e B restituit, emendatus, cui ego parvum aliquod sed certissimum addidi; praepositionem enim *a* addi debuisse comparatione efficitur inter priorem alterius metalli locationem eamque quae Plinii aetate facta est.

760 167 = 18,50. (de plumbo)

Coquitur — patinis fictilibus, substrato sulphure minuto, lamnis impositis tenuibus opertisque sulphure et ferro mixtis. [Cum coquatur], munienda in eo opere foramina spiritus convenit; alioqui plumbi [fornacium] halitus noxius sentitur et pestilens et canibus ocissime, omnium vero metallorum muscis et culicibus.

Verba ‚cum coquatur' aut cum praecedentibus coniungi oportet, ut, dum coquatur plumbum, ferro versandum (i. e. ‚mixtis') esse praecipiatur, aut quod malim deleri glossam verborum: ‚in eo opere' margini adscriptam. Deinde in proximo sensu quid essent ‚foramina spiritus' ignorasse videntur librarii. Et sunt eae quidem nares, nam ἀναιροῦ, Dioscorides ait V. 96 σκεπάσας τοὺς ῥώθωνας, grammaticus autem ille qui Plinii libros saeculo quarto ut potuit emendavit *fornacium* in margine explicuerat, quam vocem postea male in scriptoris orationem irrepsisse apparet. Neque enim fornacium sed ipsius metalli halitum noxium esse

canibus reliquisque animalibus traditur. *βλαβερὰ γὰρ ἡ ἀποφορά*, inquit Dioscorides sc. *τοῦ μολύβδου.*

168 = ibidem. 761

— cum se ipso teritur in mortariis plumbeis addita aqua caelesti donec crassescat

sc. non plumbum sed aqua, *ἕως ἂν μελανθῇ τὸ ὕδωρ καὶ γένηται ἰλυῶδες*, Diosc. ait V. 95. Itaque pone vocem ‚donec' inserenda est *ea.*

169 = ibidem. 762

Quidam in lapideo mortario et maxime Thebaico plumbeum pistillum terere malunt.

plumbeo pistillum R *plumbeo pistillo* d et vulgo. *οἱ δὲ καθαρὸν μόλυβδον ῥινήσαντες τρίβουσιν ἐν λιθίνῃ θυΐᾳ δοίδυκι λιθίνῳ* Dioscorides l. l. Itaque scribendum est: *plumbum pistillo.*

171 = 18,51. 763

Scoria — plumbi — optima quae maxime ad luteum colorem accedit, sine plumbi reliquiis aut sulphuris specie et terra carens.

Duo genera simul optima esse nequeunt, neque in proximo sensu *haec* nisi una eademque est. Accedit quod a Dioscoride quoque V. 97 haec *μηδὲν ἔχουσα μολυβδῶδες, μηλινοειδὴς τῷ χρώματι* sola laudatur. Itaque verba *aut sulphuris speciem* (accusativi enim terminatio intercidisse videtur) pone v. *colorem* inserantur, i. e. ante unum versum XXVI litterarum, qui scribae festinatione nunc praecedit ea quae sequi debebat.

LIBER XXXV.

In hoc quoque libro, cuius §§. 4—28, 51—137, 151—157 in chrestomathia illustravi, accidit mihi ut nonnullos locos imprudens tales typis exprimendos transmitterem quales in

vulgato quo utebar exemplo legebantur, qui et apud Silligium et apud Ianum emendatius scribuntur. Quod autem §. 56 *apparet*, §. 57 *increbruerat*, §. 82 *et reverso* scripsi, Bambergensem codicem secutus sum, de quo falsa a Sill. traduntur. §. 17 nunc Ianus lacunam inesse statuit recte ut videtur, §. 19 idem bene e B *Pacui* non *Pacurii* legi voluit.

764 29 = 5,11.

Quibus coloribus singulis primi pinxissent, diximus cum de his pigmentis traderemus in metallis. Quae mox [neogrammatea genera picturae vocantur] qui deinde et quae invenerint et quibus temporibus, dicemus in mentione artificum.

Ita Sill., qui sententiam illam videtur intellexisse, si tamen sententia appellanda est, equidem me nihil intelligere fateor; neque quam Ianus orationem Plinii esse voluit ‚qui – quae vocantur' rel. multo faciliorem intellectu esse putaverim. Nam relativum *qui* bis in codd. positum a grammatica, alterum *et quae* a rei veritate abhorret, vocem denique *neogrammatea* Graecam esse quis concedet? Duplicem autem in modum a librariis peccatum est, e quibus Bambergensis verae lectionis vestigia saltem monstrat, quibus insistere liceat. Habet enim *neogrammatae a g. p. vocantur*, unde haud dubie substantivi alicuius Graeci finem cum pronomine lucramur, quo ad priorem sensum revocamur. Primae autem litterae e proxima vocula ita restitui licet: *monogrammata*. At ‚monochromata' tales picturae a Plinio appellantur? audio locorum notissimorum XXXIII. 117, XXXV. 15 (ubi e cod. B. *e monochromato* legi oportet) bene memor, neque a Plinio ipso sed a grammatico illo vocem optimam ab ea quam antiquiore aetate vim habebat deflexam hic praeter necessitatem additam esse censeo. Ita enim quae restant facile

emendantur. *Qui mox deinde et quae invenerint et quibus temporibus*, Plinius scripserat, ut res et aetatem particulis repetitis coniungeret. Quum autem grammatici additamentum *monogrammata ea genera picturae vocantur* in orationem scriptoris reciperetur, contigit et ut v. *mox* initium proximae absorberet et ut v. *qui* repeteretur.

36 = 6,17. 765

Sinopidis Ponticae selibra, silis lucidi libris X rel.

Huic equidem loco non tantum auxilii afferre potero quantum proximo superiori sensui Pintianus attulit, sed tamen elegantiae sermonis consultum esse arbitror, cum e cod. B *et silis* scripseris.

37 = 6,19. (de melino) 766

praeterea linguam tactu siccat, pilos detrahit, mitigat.

‚Nisi egregie fallor, Plin. *medica vi* scripsit'. Ita Silligius et fallitur egregie. Nam recte quidem e librorum MSS. corruptelis metica ut B
meccica ut V d
metcica ut R
substantivum *vi* elicuit, sed adiectivum etiamsi apud Dioscoridem V. 179, quem locum ipse laudavit, verbum *σμήχει* non repperisset, Plinii saltem auctore XXX. 29 restituere poterat. Luce enim clarius est scribi oportere: *smectica vi.*

38 = 6,20. 767

Usta casu reperta est in incendio Piraeei, cerussa in orcis cremata.

Orcarum quum in coloribus comparandis nulla usquam mentio fiat, urcei autem et a Vitruvio VII. 11. 1 et a Plinio ipso XXXIV. 175 commemorentur, non possum non vehementer mirari, lectionem *urcis* quae in B[1] reperitur altera

manu rectissime in *urceis* correctam ab utroque editore contemni.

768 Ibidem = 6,21.

Eretria — explet vulnera, si coquatur, ad siccanda utilis, praecipua et capitis doloribus et ad deprehendenda pura; subesse enim ea intellegunt, si ex aqua illita non arescat.

Cod. B quum prima vocabula inverso ordine et in fine versuum corrupta ita exhibeat: *explet uolnera si coquatur.* || *ad siccanda praecoquitur.* legi consentaneum est: *e. vulnera, si coquatur ad siccanda praecipua, utilis et c. d.* Idem quum non *illita* sed *inlinunt* habeat, non Plinii vitio dandum esse sequitur quod Hippocratis de morbis III. 27 praecepto contradicere videtur, sed librariorum errori qui verba quaedam proximi simillima omiserunt. Hippocrates enim haec tradit: *χλιάρην ἐπιβάψας ὀθόνιον λεπτόν, περικάλυψον κύκλῳ τὸν θώρηκα· καὶ ὅκου ἂν πρῶτον ξηραίνηται, ταύτῃ χρὴ τάμνειν.* Unde coniuncta Bambergensis reliquorumque scriptura *inlita non* et *inlinunt non* efficitur legendum esse: *si ex aqua illita linteum arescat.*

769 41 = 6,25.

Atramentum quoque inter facticios erit, quamquam est et terrae geminae originis

ἥ τις καὶ γεώδης ἐστίν, Dioscorides inquit V. 117, atque terram appellari non posse quum ‚aut salsuginis modo emanare aut terra ipsa‘ — dicatur, Sill. recte animadvertit. Ita autem variant libri: *terrae* B, *terre* R, *terra* V d. Legi igitur oportet: *terrena.*

770 48 = 29,6.

Appianum — fit et creta viridi, aestimatum sestertiis in libras.

Recte ille quisquis est hominum doctorum qui a Dale-

campio V, a Sill. K appellatur, *ex creta* scripsit, melius tamen *e creta* scripsisset. Nam non novus color praeter Appianum nominatur, sed e duobus novieiis viridi altero candido altero Appianum e creta viridi fieri dicitur. Praeterea num ‚sestertiis' per se positum sufficiat ad aestimationem, quum alibi velut XVIII. 130, XXXV. 37 *singuli* addatur, dubito. Bamb. autem *sestertii* habet, i. e. *sestert.* II vel *sestertiis binis.*

49 = 7,31. 771

Cerae tinguntur iisdem his coloribus ad eas picturas quae inuruntur, alieno parietibus genere sed classibus familiari, [iam vero et onerariis navibus], quoniam et pericula expingimus, ne quis miretur et rogos pingi, iuvatque pugnaturos ad mortem [aut certe caedem] speciose vehi.

Locus interpolatus est, idque bifariam. Ac primum quidem qui ad caedem hostium in pictis navibus pugnant, non sua sed aliena pericula pinxerunt. Deinde quia pugnarum pericula sola commemorantur eaque nisi in classibus locum non habent, quas solas in eodem picturae genere Plinius in reliquis locis (cf. 37, 101, 149, XXXIII. 115) nominat, apparet hoc quoque additamentum hominis inepte docti esse.

105 = 10,36. 772

Erat tunc Protogenes in suburbano suo hortulo [hoc est Demetrii castris], neque interpellatus proeliis inchoata opera intermisit rel.

Pudet me non mediocriter ineptissimum additamentum cum chrestomathiam ederem a me non esse animadversum. Nam neque tempus praesens *est* ferri potest neque omnino in castris Demetrii sed in suburbano quodam aedificio pictam fuisse a Protogene tabulam traditur, quod vi et armis rex expugnaverit, cf. Plut. Demetr. 22.

773 **121 = 11,38.**

at illi draconem — depictum circumdedere luco eoque terrore aves tunc siluisse narratur et postea [cognitum est ita] posse compesci.

Hic quoque interpolationem recentiorum hominum a me tolerari potuisse pudet me poenitetque. Quae enim in codicibus non leguntur verba ‚cognitum est ita', iis facillime carere poterimus voce *posse* in *potuisse* mutata.

§. 138 Brunnius hist. artif. II. 53 *Astypalaea* probabiliter coniecit.

774 **141 = 11,40.**

Eutychidis bigam regit Victoria.

Quum omnes quotquot enumerantur h. l. pictores nominativo appellentur, mirum sane est, in uno Eutychide structuram ineleganter ita variari, ut currus ille Eutychidis, Victoria sui iuris esse videatur. Atque nominativum praeter R et codd. Barbari libri MSS. omnes exhibent, eundem et K apud Dalecampium et *V. alii* i. e. homines quidam docti defenderunt cum aut *quam* insererent aut *regis cum Vict.* scribi vellent. Neutra coniectura opus erat, ne ea quidem ratio quam Dalecampius probavit, qua post v. *bigam* gravius distinxit, linguae lege ulla flagitatur. Nihil enim facilius est quam verbam praegnanti, quem dicunt, sensu quo *regere* idem sit ac *regi curare* interpretari. Scribendum est igitur: *Eutychides — Victoria.*

775 142 = ibidem.

Nealces — sollers in arte; siquidem cum proelium navale Persarum et Aegyptiorum pinxisset, quod in Nilo [cuius est aqua maris similis] factum volebat intellegi, argumento declaravit quod arte non poterat: asellum enim bibentem in litore pinxit et crocodilum insidiantem ei.

Nili aquam marinae dissimillimam esse quis nescit? Ac Nigri quidem naturam eandem quam Nili esse Plinius V. 44 recte tradidit, flumen vero et natura et colore et sapore a mari diversum esse ignorare non potuit. Scilicet hic quoque importunam grammatici sedulitatem deprehendi licet, qui quum causam cur crocodilus a pictore additus esset, quo certissimo signo locorum fluminisque situs definiretur, novam pro suo ingenio excogitavit. Quod autem verborum ordo in libris nostris ita pervertitur, ut *cuius Nilo est aqua* vel *aquam* scriptum habeant, factum est tum cum glossa in orationem scriptoris reciperetur. Ceterum obiter moneo neque *solus inte* sed *sollers inte* neque *eius* sed *cuius*, neque *crocodillum* sed *corcodillum*, neque *quinquatrans* sed *quinquatruus*, neque *Clytemnestram* sed *Clytemestram* nec denique *etiamnum* sed *etiannum* (B[1] *etiãnum* B[2]) in B reperiri.

Quod autem §. 144 legitur Clytaemnestram ad verba *Oreste matrem* retrahenda esse arbitror, Clytaemnestra enim sola non videtur aptum pictori argumentum dedisse. Praeterea *Pasiam* e cod. B lectione *Pastam* recipiendum erat. 776

148 = ibidem. 777

— ut multum manipretiis antecederet celeberrimos aetate imaginum pictores Sopolim et Dionysium.

‚equidem non intelligo. Plin. *ea aetate* videtur scripsisse' prudenter Sill. annotavit. Plinius autem scripsit: *eadem aetate*, quod pronomen habet Bambergensis totis litteris exaratum.

150 = 11,42. 778

Hoc cum fecere, non apparet in velis.

Hoc subiectum est, delenda est igitur interpunctio.

158 = 12,46. 789

In sacris — fictilibus prolibatur simpuviis.

sinpuls B, *simpuis* V R i. e. *simpulis* quod ipsum in codd. Barbari fuisse traditur, rectissime haud dubie.

780 159 = ibidem.

— vel adsiduitate satiant figlinarum opera, imbricibus, doliis ad vina excogitatis, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis, ad tecta coctilibus laterculis fundamentisque, aut quae rota fiunt rel.

Ingeniosissimam transpositionem qua Ianus nunc locum perturbatum emendare voluit, probarem omnino, nisi verba ‚aut quae manu aptantur' ex Isidori orig. XX. 4 inserenda esse e Bamb. lectione consequeretur. Bamb. enim quum scriptum exhibeat *vel quae adsiduitatis* (non *adsiduitate* ut est apud Sill.), sic potius continuanda erat Plinii oratio: *vel quae manu aptantur aut quae rota fiunt, adsiduitate satiant figlinarum opera* rel. Vocabulum *imbricibus* nisi omnino expungendum est, recte a vv. dd. cum vocibus *ad tecta* coniungitur.

781 160 = ibidem.

in Italia — Asta.

Non Asta sed *Hasta* oppidum appellandum erat, nam etiam in Hispania ‚Hasta' nominatur apud Henzenium inscr. Lat. II. p. 25 et Italicum illud et h. l. in B d et III. 49 in A omnium optimo ac R ita scribitur, levi errore in tabula Peutingeriana *Hasia*, nomine scilicet ab hasta ducto.

782 161 = ibidem.

Cois laus maxima, Hadrianis firmitas.

Non bene ‚laus' et ‚firmitas' inter se comparantur, certa quaedam laus Cois vasis tribui putanda est e proximo sensu, ubi ‚amphorae duae propter tenuitatem' Erythris ostendi dicuntur, repetenda. Itaque repetitis litteris *la* legendum est: *Cois illa laus m., H. f.* — §. 171 post *eorum qui* ali-

quid deesse videtur; quod enim Ianus hanc codicis B lectionem recepit, quomodo explicari velit, non assequor.

171 = 14,49. 783

— in ulteriore Hispania, civitatibus Maxilua et Calento, fiunt lateres qui siccati non merguntur in aqua.

callent B *canlent* R. Idem oppidum III. 12 *Callet* vocatur, manifestum est igitur recte l litteram in B recte bis scribi et apud Vitruvium II. 3, 4 corruptis verbis ‚in Galliis‘ idem nomen contineri.

175 = 15,50 (de sulphure). 784

Genera quatuor: vivum quod Graeci apyron vocant, nascitur solidum [hoc est glaeba]; solum, cetera enim liquore constant et conficiuntur oleo incocta, vivum effoditur tralucetque et viret, solo ex omnibus medici utuntur. Alterum genus appellant glaebam rel.

Vossiani codicis auctoritate usus, quocum fere consentit B, Gronovius Plinii orationem molesta repetitione liberatam ita ut nunc legitur sagacissime restituit, neque tamen omnia absolvit vir ingeniosissimus. Primum enim vocabula ‚solum‘ ‚solo‘ repetita displicent propterea quod alterum a voce *vivum* item bis posita longius distat, tum non primum genus ‚glaeba‘ appellari potuit quod secundi generis nomen est, postremo nescio cur vox ‚solidum‘ perspicua et Plinio usitata interpretatione egere videatur. Error igitur ille librariorum qui et in V inductis prioribus verbis et in B lineolis margini additis indicatur, quo sententiam ‚solum ex omnibus medici utuntur alterum genus‘ post v. ‚glaeba‘ inculcarunt, eandémque qualis nunc legitur post v. ‚viret‘ repetiverunt, non solum est vitium quo oratio scriptoris labo-

rat. Ubi enim male repeti verba intellexit qui Plinii libros correxit, in margine prioribus vocabulis ‚alterum genus' adscripsit ‚hoc est glaeba'. Itaque factum est ut non error solus remaneret sed eiusdem correctio novum errorem pareret. Quo additamento expulso verba ‚solidum solum' dittographia laborare apparet. Rursus pronomen *hoc*, ab Isidoro XVI. 1 in *quo* mutatum suo loco motum in subditicium illud videtur abiisse. Itaque haec Plinii ipsius verba fuisse consentaneum est:

G. q. v. q. G. a. r. nascitur solidum; cetera e. l. c. e. c. o. i., r. e. t. e. viret, hoc solo m. u. rel.

785 Alteram dittographiam in proximo sensu deprehendisse mihi videor, nam quod ibi tertium genus lanis suffitu candorem tantum mollitiamque conferre dicitur quid praeterea conferre potest? Repetita vox est e proximis superioribus quod vitium iam qui saec. XV codicem h exaravit, animadvertit.

786 **180 = 15,51.**

Bituminis probatio, ut quam maxime splendeat sitque ponderosum ac grave, leve autem modice, quoniam adulteratur pice.

‚Magna in his vocibus corruptela' Silligio inesse videtur. nulla inest cum codices secutus non tantum cum Iano vocem ‚ac' sed etiam interpunctionem omiseris. Tum enim alterum genus bituminis ‚grave' ἢ κεγχρεωειδῶς στίλβοντα — καὶ βαρεῖα (Dioscor. I. 99) quam maxime splendere et ponderosum esse dicitur, ‚leve' alterum ‚modice' sc. splendere quae ἐνταιδής a Dioscoride appellatur.

787 **191 = 16,53. (de terra Samia).**

Samiae duae sunt, quae collyrium et quae aster appellantur. Prioris laus ut recens sit ac lenissima linguaeque glutinosa: altera glaebosior, candida; utraque uritur, lavatur.

Ita e vulgata lectione atque codicibus Silligius, qui Isidorum XVI. 1 laudavit, quasi is non iisdem codicibus corruptis usus esset. Mirum sane quod quae iam in vetustis editionibus paulo correctius edebantur, denuo corrupta sunt. Ita autem Dioscorides V. 171 utrumque genus descripsit: *τὴν ἄγαν λευκὴν προκριτέον καὶ ἐλαφρὰν, καὶ ἐν τῷ θίγειν τὴν γλῶτταν κρατουμένην ἐγκόλλως — οἷα ἐστὶν, ἣν τινες κολλύριον καλοῦσιν. Ἔστι γὰρ αὐτῆς δύο εἴδη τό τε προειρημένον καὶ ὁ καλούμενος ἀστὴρ, πλακώδης ὢν καὶ πυκνός κ. τ. λ.* Tantum igitur abest ut aster ‚candidus' solus vocari queat ut collyrium candidius etiam appelletur. Neque ‚lenissima' est quae *μάλα ἐλαφρά* dicitur sed ‚levissima'. Sequitur legi debere:

— *ac levissima l. glutinosa, altera glaebosior; candida utraque; u. l.* Initio *duo* scribi malo.

195 = 17,57. (de creta). 788

ex iis Cimoliae duo ad medicos pertinentia.

Nusquam, quantum memini medicamina ad homines, semper ad artem referuntur, quare hic vocabulum *usus* post ‚medicos' excidisse arbitror.

200 = 18,58. 789

Talem in catasta videre Chrysogonum Sullae, Amphionem Q. Catuli, rectorem L. Luculli, Demetrium Pompeii rel.

Quum cetera nomina servorum propria sint omnia, Luculli servus appellativo designari non potuit, quam licentiam loco XXVIII. 56 Dalecampio praeeunte Sill. frustra excusare conatus est, sed e servis potentissimus notissimusque nominari debuit. Quod, quae fuit servilium nominum ratio, facile restituemus, cum una litterula mutata scripserimus: *Hectorem L. Luculli.* §. 201 coniectura vetus

quam Dalec. attulit quamque in rasura d confirmat, *quos* mihi probatur.

LIBER XXXVI.

Huic quoque libro, cuius §§. 9—43, 64—125 in chrestomathia interpretatus sum, praeter ea quae imprudens iam a Silligio correcta neglexeram, Ianus operam utilem sedulo dedit et in illa quidem parte §. 91 Strackii emendationem *trecenum* merito recepit, §. 106 eleganter *superne* coniecit, pauca mihi corrigenda reliquit.

790 4 et 5 = 2,2.

Elegantissima oratione scriptor antiquarum legum censoriarum inconstantiam insectatur, quibus cenarum parsimoniae cavebatur, aedificandi luxuria negligebatur. Quae leges docte ac verissime in B Claudianae appellantur ab Appio puto Claudio Pulchro qui post Scauri aedilitatem a. DCCIV. importuna severitate magistratu functus est. Quod in deterioribus libris loco VIII. 209 adhibito in ‚glandia‘ mutatum est, sicut §. 7 ‚Palatio‘ in ‚atrio‘, quam lectionem si probaveris, cum editoribus post v. ‚cenis‘ interpungendum est. Illa autem pulcherrima altercatio nunc prava interpunctione obscuratur. Postquam enim eum qui maiorum causam defendendam suscepit dicentem fecit ‚non enim invehebantur‘ (marmora), scriptor respondet: ‚id quidem falso — silentio legum‘. At, inquit ille: ‚sed publicis nimirum indulgentes voluptatibus.‘ Cui his verbis occurrit Plinius: ‚id ipsum cur?‘ rel. Disputari enim cum adversario iisdem verbis ‚Verum esto, indulserint publicis voluptatibus‘ efficitur. Itaque scriptoris orationem sic distingui rectius apparet:

Dicat fortasse aliquis ‚non enim invehebantur‘: id quidem falso; trecentas LX columnas M. Scauri aedilitate — viderunt

portari silentio legum. ‚Sed publicis nimirum indulgentes voluptatibus‘: id ipsum cur? rel.

67 = 9,14. (de obelisco). 791

Alexandriae statuit unum Ptolemaeus Philadelphus — exciderat eum Nectanebis (Necthebis Sill. Ian.) rex purum, maiusque opus in devehendo statuendove multo quam in excidendo.

Ita Sill. Ian. verbum ‚fuit‘ omitti posse rati, e Bambergensi puta. Quid autem ille exhibet? nempe *multum est*, hic quoque prae ceteris egregia fide insignis; servavit enim participii terminationem quae in V R d in ‚multo‘ abiit, passivi participium dico, nam e levi corruptela multum id quod sententia loci requiritur restituitur inuentum. Vides litteras m et l ex his signis in et ē effictas esse.

69 = ibidem. (de obelisco Alexandrino). 792

navalibus incommodum Maximus [quidem] praefectus [Aegypti] transtulit in forum rel.

Pessimo exemplo Sill. e pessimis libris particulam recepit quae quid hoc quidem loco sibi velit, ne divinari quidem licet. Recte igitur et ego et Ianus *quidam* recepimus, quae vox optimi Bambergensis et bonorum librorum V R d consensu confirmatur. At enim ‚quidam‘ vir illustris notissimusque (cf. C. Inscr. Gr. 4956. 27, Henzen Inscr. Lat. 6956 a) a Plinio vocari non potuit. Audio neque Plinium quidquam nisi hoc scripsisse persuasum habeo: *Maximus praefectus*, cf. XIX. 3, grammaticum autem illum, de quo saepius me loqui memini, qua pollebat doctrina, in margine annotasse: *quidam praefectus Aegypti.*

99 = 15,23. (de Cyzico). 793

Eodem in oppido est lapis fugitivus appellatus; Argonautae eo pro ancora usi reliquerant ibi.

Quum omnes codices, non solum R d (nam Vossiano iam destituimur) sed etiam Bambergensis *eum* habeant (fallitur enim Sill.), necessario *eum* scribendum est, a v. ‚reliquerant' aptum. Ceterum §. 98 *ingenii* recte vulgo omitti censeo post versum XXVII litterarum ex proximo vocabulo repetitum, *milium aureum* quomodo emendari debeat, non reperio.

794 99. 100 = ibidem.

Eadem in urbe — turres septem acceptas voces numero repercussu multiplicant —. Et hoc quidem locorum natura evenit ac plerumque convallium; ibi casu accidit, Olympiae autem arte, in porticu quam ob id heptaphonon appellant, [quoniam septiens eadem vox redditur].

Graecum vocabulum Plinius cur legentibus interpretaretur non fuit; grammatico in margine interpretem agere placuit. In proximo sensu non post v. *clavo* sed pone v. *amplum* interpungendum esse videtur.

795 104 = 15,24.

Sed tum senes aggeris vastum spatium [et] substructiones insanas Capitolii mirabantur rel.

Particula *et* quum praeter R etiam in B omittatur neque in chiasmo necessaria videatur, deleatur oportet.

796 105 = ibidem. (de cloaca maxima).

Permeant corrivati septem amnes —; aliquando Tiberis retro infusus recipitur pugnantque diversi aquarum impetus intus.

V. *intus* quae sensu minime requiritur atque e proximo vocabulo facile repeti potuit, quia non reperitur in B a nobis quoque omittenda est.

127 = 16,25. 797

(Ferrum) trahitur magnete lapide —. Sideritim ob id alio nomine vocant, quidam Heraclion. Magnes rel.

Primum particula *namque* post v. *trahitur* quae non in R d tantum sed etiam in B reperitur restituatur oportet, tum *Heraclion* altero nomine Graecum etiam genere fuisse demonstratur, atque Ἡράκλεια λίθος ab Hesychio nominatur. Itaque *Heracliam* (*eraclem an* R) scribendum est.

130 = ibidem. 798

Alius rursus in eadem Aethiopia non procul mons [gignit lapidem theameden qui] ferrum omne abigit respuitque.

Quae inclusimus vocabula unde in recentiores libros irrepserint, nescio, ac possit sane aliquid ante v. ‚mons' vel post eandem excidisse videri. At quum lapis ille et prorsus ignotus sit atque ne in indice quidem huius libri reperiatur, artis nostrae legibus puto condemnari. Tum ipsum illud vocabulum *mons* lapidibus vix videtur recte opponi, quare Isidorum XVI. 4 secutus legere malim: *A. r. i. e. A. magnes ferrum* rel. Neque enim de Indiae monte (II. 211) cogitandum est.

130 = 16,26. 799

Lapidem e Scyro insula integrum fluctuari tradunt, eundem comminutum mergi.

Codices omnes atque qui suo errore eorum scripturam confirmat Isidorus XVI. 4 ‚lapis a Syria' habent *e Syro*, ad quos quum in indice etiam V accedat, Sillígii Ianique iudicium non possum non mirari, qui in Harduini sententiam propterea concesserunt, quod Scyros insula lapidosa fuisse narratur, quasi inde consequeretur nullos in Syro lapides

fuisse. Vocem autem ‚integrum‘ quae etiam a Bamb. abest cum Pintiano omitterem, nisi Isidorus in suo exemplo legisset.

800 143 = 19,35. (de spongitis lapidibus).

Quidam eos tecolithos vocant, quoniam vesicis medentur; calculos rumpunt in vino poti.

Non propterea *τηκολίθους* appellari consentaneum est, quia vesicae medentur, sed quia calculos rumpunt. Itaque scribendum est: *vesicis medentur; quidam eos tecolithos vocant*, *quoniam calculos rumpunt i. v. p.*

801 145 = 20,37. (de schistis).

— in iis commodior croco similis, peculiaris explendis oculorum lacunis in lacte muliebri, procidentesque oculos praeclare cohibet.

Quae sint oculorum lacunae, nescio neque apud Dioscoridem V. 144 reperio. Qui *πληροῖ δὲ καὶ κοιλώματα* dum refert ‚inanitates ulcerum‘ quas Plinius vocat XXXIV. 169 significavit. Emendato igitur vocabulo proximi vicinia corrupto scribendum erat: *ulcerum lacunis.*

802 159 = 22,43.

— in Siphnio singulare, quod excalfactus oleo nigrescit durescitque mollissimus.

Aliquanto elegantius locutus est Plinius: *durescitque natura mollissimus.* Sic enim Bamb.

803 160 = 22,45. (de speculari lapide).

Hispania hunc tantum citerior olim dabat, nec tota sed intra centum milia passuum circa Segobricam urbem.

Segobrigam e B restituit Iahnus, immanem numerum invitis libris MSS. non tetigit. Scilicet *c. passum* B[1], *c. passus* B[2] d rectissime scriptum exhibent.

166 = 22,48. (de tofo). 804

Exestur halitu maris, fricatur vento, everberatur imbri.

friatur B[1] verissime, hi enim lapides facile ‚friantur et dissolvuntur' Vitruvius ait II. 7. 2.

171 = 22,51. 805

cum inaequali crassitudine structa sunt coria, pseudisodomon (vocant genus).

Quod e B v. *coria* antea omissa, quae in ceteris codicibus *cona* levi vitio scribitur, a Sillígio Iano auctore recepta est, bene factum; nollem tamen ab Iano in priore edit. Vitruv. II. 3. 2 et Plin. XXXI. 47, a Silligio Plin. XVII. 26, XXXIV. 164 laudari. Nam quae ibi ‚coria caespitum terraeve' appellantur ea a choriis probe distinguantur oportet. *Χωρία* enim laterum a. v. *χῶρος* ducta qua ipsa Vitruvius II. 3. 4, II. 8. 5, 7 utitur, ordines sive strata laterum, non superficiem significant. Quod verbum quum eo ipso loco II. 8. 6 quem Plinius exscripsit, Vitruvius in eadem descriptione usurpaverit, sequitur non *coria* legendum esse sed *choria*.

180 = 24,57. 806

Non cera atque rosaceo sed *cera ac rosaceo* scribendum est e cod. B.

184 = 25,60. 807

Pavimenta originem apud Graecos habent elaborata arte picturae ratione donec lithostrota expulere eam.

De variis musaici operis generibus h. l. disputare non in animo habeo, unum moneo v. *ratione* quae apud Isidorum XIV. 8 omittitur, cum v. *picturae* coniungi non posse. Itaque aut verba ita transponenda sunt: *donec ratione lithostrota* aut, quod magis placet, lacuna statuenda erit, fortasse

voce ,emblematum' vel potius ,tessellarum' explenda. Haud dubie autem aliquid excidit

808 186 = 25,62.

Subdialia Graeci invenere, talibus domos contegentes, facile tractu tepente, sed fallax rel.

Adiectiva enim neutrius generis quo referantur non habent. Terminatione proximi verbi ,contegentes' absorptum interiit vocabulum *genus*. Item mancus est locus

809 197 = 26,67.

Remisit et Tiberius Caesar Heliopolitarum caerimoniis repertam in hereditate eius qui praefuerat Aegypto obsianam imaginem Menelai.

Cuius tandem? Fuitne *hereditate Vestini*, quae gens inter illustres equestrium commemoratur a Tacito Hist. IV. 53? Obiter moneo §. 196 in B non *crassitudine* sed *crassitudinis* scribi.

810 199 = ibidem. (de obsiano vel vitro).

Fragmenta teporata adglutinantur [tamen], rursus tota fundi non queunt praeterquam abrupta sibimet in guttas, veluti cum calculi fiunt quos quidam abaculos appellant, aliquos et pluribus modis versicolores.

Neque *tamen* quod e B[2] Sill. recepit neque quod vulgo legitur *tantum* commode explicari poterit, mihi proximarum syllabarum *nantur rursus* dittographia esse videtur, qua suspicione M apud Dalecampium lectione *agglutinan. rursus* confirmor. Quod vero sequitur *abaculos* manifesto interpolatum e codd. B d (atque hi soli iam restant aut summa aut aliqua certe fide digni) corrigendum est. Qui quum *ab oculis* scriptum exhibeant, atque ,versicolores' calculos illos fuisse

ab ipso scriptore doceamur, quidni vitreos aut vitri similes *oculatos* fuisse putabimus? Itaque scr. *ab oculis.*

202 = 27,69. 811

Pestilentiae quae obscuratione solis contrahitur, ignes si fiant, multiformiter auxiliari certum est.

Adverbium ‚multiformiter' Plinio obtruserunt editores refragantibus codicibus. In d enim *multiforma* in B *multiformi* legitur optime. Pestilentia multiformis esse potest, ignes non possunt. Itaque pestilentiae in multis eius formis ignes auxiliari hoc modo dicuntur: *ignes si fiant multiformi a. c. e.*

LIBER XXXVII.

Ultimi libri quam misera sit condicio, inter omnes constat. Quem quum ne d quidem antiquiore manu sed recentiore interpolatum contineat, ad unum fere Bambergensem ex iis qui etiamnum in bibliothecis adservantur, confugiendum est. At ne is quidem in hoc libro eadem qua in reliquis praestantia excellit, quippe qui et nonnullis locis videatur esse interpolatus et permultis lacunis foedatus ut quadam ex parte excerpti potius quam integri libri speciem prae se ferat. Aliquanto tamen pluribus locis quam a S. I. conceditur orationis vere Plinianae vestigia videtur continere. Neque praeterea contemnendi sunt duo codices a Dalecampio adhibiti, Manuscriptus ille, quem a Cuiacio acceperat, et Fuxensis i. e. Tolosanus. Laurentianum collatum nondum esse doleo vehementer.

1. 812

multis nulla sui parte mirabilior.

sui omittit B, itaque nos quoque omittemus.

4 = 1,2. (de gemma Polycratis). 813

— ostenduntque — novissimum prope locum tot praelatis obtinentem.

Prorsus non intelligo, cur S. I. codicis optimi lectionem *praelatis multis* deterioribus posthabuerint.

814 §. 11 sensum ‚quod peregrino appellant nomine dactyliothecam' antiqui recentissimique editores post v. ‚plures' collocarunt, multo rectius B: Gemmas plures primus omnium Romae habuit, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, privignus Sullae Scaurus. Nam non gemmae plures, sed gemmae plures ab uno habitae i. e. gemmarum collectiones dactyliothecae vocaban-
815 tur: diuque nulla alia fuit donec Pompeius Magnus, quae Mithridatis regis fuerat, — in Capitolio dicaret, ut Varro aliique aetatis eius auctores confirmant, multum praelatam Scauri. Non hoc confirmavit Varro, Mithridatis dactyliothecam maioris quam Scauri aestimatam esse, neque enim regias opes privatis praestitisse mirum est, sed contra Scaurianam praelatam esse illi. Atque hoc ipsum quod coniectura restitui debebat, scriptum exhibet B: *multum praelata Scauri.*

12,13 = 2,6.

816 Verba ex ipsius Pompeii triumphorum actis subiciam. [Ergo] tertio triumpho rel.

‚*Ergo* om. B'. Ita Sill. Ian., ipsi retinuerunt. Quasi vero necessario ab hoc vocabulo acta triumphorum exordium fecissent.

817 14 = 2,14.

Erat et imago Cn. Pompei e margaritis, illa relicino honore grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentes, illa, inquam, ex margaritis, severitate victa et verius luxuria quam triumpho.

Postquam Sill. egregiam libri B scripturam ‚relicino' (sc. relicinae frontis cf. VII. 53) recepit, Ianus ultima

verba recte ad vulgatorum exemplorum normam reduxit, unum nobis emendandum relictum est, ac potius restituendum. Quum enim B non ut Sill. refert semel sed bis vocem ,illa' et ante vv. ,ex margaritis' et post eas scriptam exhibeat, ,inquam' autem omittat, scribatur necesse est: *illa ex margaritis, illa* (sc. priore) *severitate victa et veriore luxuriae triumpho.*

§. 15 v. *hinc* cum B omittenda est. — Quis consularis ille 818—19
fuerit, cuius nomen §. 18 in *anus* desiisse putandum est (nam *annos* est in B) etsi definiri nequit, id tamen certum est neque L. Annium nec T. Arrium fuisse, de quibus Sill. cogitavit, cum uterque Neroni superstes fuerit. Fortasse de Servilio Noniano loquitur Plinius. §. 19 *servari* cum B omittendum est. §. 21 Iani iudicium probo, cum v. *in* in B loco mota esse videatur. Quod autem ille cum Silligio §. 22 v. *maculae* ante *pingues* omisit, codicis optimi lectionem male retulit, nam is idem quod reliqui vocabulum exhibet. §. 24 quae a B omittuntur voces ,iuxta gemmam' et ,regis' legibus artis nostrae obtemperabimus cum nos quoque expungemus.

25 = 2,9. (de crystallo). 820

Sudines negat nisi ad meridiem spectantibus locis nasci, quod certum est; non reperitur in aquosis locis rel.

Iuba, Bocchus, Xenocrates, Sudines quae de crystallo tradiderant, ea Plinius sic refert ut utrum vera sint nec ne in medio relinquat, quod omnium consensu constare videatur, a prioribus discernat. Itaque ita oratio interpungenda erit: — *nasci. Quod certum est, non reperitur* rel.

30,31 = 2,11. (de sucino). 821

— in sucinis causam ne deliciae quidem adhuc excogitare potuerunt; occasio est vanitatis Graecorum detegendae. Legentes modo aequo per-

petiantur animo, cum hoc quoque intersit vitae scire nos quidquid illi prodidere mirandum. Phaethontis — sorores luctu mutatas in arbores populos lacrimis electrum — fundere — plurimi poetae dixere primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Euripides, Satyrus, Nicander; quod esse falsum Italiae testimonio patet. Diligentiores eorum Electridas insulas in mari Hadriatico esse dixerunt rel.

Quod fere in B fieri solet, ut nova quaedam capita maioribus litteris indicentur, id h. l. editores admonere poterat voce *potuerunt* sucinorum cum crystallinis murrinisque comparationem absolvi atque voce *occasio* ad electri naturam transiri. Itaque post *potuerunt* gravius interpungendum itaque prosequendum est: *Occasio — detegendae: legentes — mirandum.* Quod autem in eodem libro non *nos* sed *non* legitur cum excusatione illa scriptoris optime conciliatur; nam non quidquid Graeci prodidere scire vitae interest, sed hoc quod in luxuriae irritamento describendo prodiderunt. Tum quod in B reperitur *ac lacrimis* temere neglectum est, confirmatum egregie codicis B[1] scriptura *populose:* unde efficitur *populos esse ac lacrimis.* Ne hoc quidem casu factum est quod nomina *Satyrus*, *Nicander* absunt a B. Neque enim Satyrus poeta innotuit, neque Nicander inter primos poetas enumerari potuit. Neque tamen omnino delenda sunt Plinianae doctrinae vestigia, sed pone v. *eorum* sc. Graecorum transponenda.

822 32 = ibidem.

Nam quod Aeschylus in Iberia [hoc est in Hispania] Eridanum esse dixit — faciliorem veniam facit ignorati sucini in tanta ignorantia orbis.

Recte mihi videtur Bergkius exercitt. Plin. I. p. 32 codicis d lectionem *sucini tanta* praetulisse, illud miror a viro sagacissimo praetermissum esse quod luce clarius patet importunum correctoris glossema. Nam quod vix ferendum esset illa quidem aetate additamentum, id hoc loco, postquam III. 21 Hispaniam Iberiam a Graecis dictam esse tradidit cumque XX. 254 Iberiam nominasse satis habuit, legentes docere Plinius non potuit, eosdem grammaticus ille non inepte monuit.

33 = ibidem. 823

Chares — Phaethontem in Aethiopia Hammonis obiisse (dixit).

Manifestam post genetivum ‚Hammonis' lacunam nemodum animadvertit, neque enim tota Aethiopia sed Meroe tantum insula a templo Hammonis, de quo nuper Partheius in actis acad. Berol. 1862 p. 155 egit, (cf. Plin. VI. 186) appellari potuit. Quae quomodo explenda esse videatur, et re ipsa et codicis B scriptura *Hamonesso* docemur, sc. *Hammonis insula*.

Ibidem —40. 824—30

Philemon — in Scythia erui duobus locis, candidum atque cerei coloris quod vocaretur electrum, in alio fulvum quod appellaretur sualiternicum.

Graecumne hoc vocabulum est? an alio ac Graeco nomine Graecus scriptor uti putandus est? Minime. At modo fulvi coloris memineris, facile invenies dictum esse *hyalopyrrichum*. Quid quod in B littera *s* lineola transversa expungi videtur. §. 35 mirum illud aestuarium *mecynomenon* Graece a Pythea dictum fuisse videtur. §. 36 rectius interpungitur *relinquere*, *oceani deinde aestibus*, *et* ante v. *vocari* cum B omittendum est, §. 39 eodem auctore *inde fluere* scribendum.

Ceterum neque §. 38 additamentum *in Electride lacu* habet B (recte Ian. p. LXXVI) et §. 39 v. *oceanum* sic repetit: *oceanū oceanum.* §. 40 *thium* i. e. ϑεῖον et cum Iano *sacrum* scribatur oportet.

831 40 = ibidem.

Super omnes est Sophocles [poeta tragicus], quod equidem miror, cum tanta gravitas ei cothurni sit, praeterea vitae fama, alias principe loco genito Athenis, [et rebus gestis] et exercitu ducto.

Ineptissimis additamentis scriptorem liberari laetor. Quorum alterum voci ‚cothurni' adscriptum erat, alterum, quod ne structurae quidem verborum convenit, verbis ‚exercitu ducto' explicandis inserviebat.

832 45 = 3,11.

— vivitque eques Romanus —, qui et commercia ea et litora peragravit.

Quae ex hoc loco in lexica immigravit inaudita alias (Claudiani enim in Eutrop. I. 58 alia ratio est) vocabuli interpretatio, qua ‚commercia' mercatus significare dicuntur, nihili est. Inter vocabula *ea* atque *et* litterarum similitudine excidit verbum *exercuit.*

833 47 = 3,12.

— candida odoris praestantissimi; sed nec his nec cerinis pretium; fulvis maior auctoritas; ex iis etiamnum amplior translucentibus rel.

etiam amplius tralucentibus B recte, sc. pretium.

834—35 Ibidem.

Summa laus Falernis a vini colore dictis, molli fulgore perspicuis, in quibus et decocti mellis lenitas placeat. Verum hoc quoque notum fieri oportet rel.

Duo genera a Solino 20. 13 nominantur, ‚melleum et Falernum', itaque verba ‚in quibus' rel. ad melleum referri apparet, sic ordinanda: *et in quibus decocti — placeat.* Ex eodem Solini loco 20. 11 et Plinii narrationi aliquid addere licet, et rursus Solinum e Plinio emendare. Scilicet glaebam illam XIII librarum §. 46 a Germanorum rege dono missam esse Solinus narrasse videtur his verbis: ‚cum per idem tempus tredecim milia librarum rex Germaniae dono ei miserit', quae si recte se haberent, quum parvae e sucino imagines vivorum hominum pretia exsuperare dicantur (cf. Plin. §. 49), iustam fere servorum legionem donum illud aequasset. Quod, si v. ‚milia' ex ultima proximi vocabuli littera repetitum esse statuere licet, suppleta voce ‚glaebam' ad civilem modum reducitur. Apud Plinium autem hunc sensum ‚dono a Germaniae rege missam' excidisse putaverim, cui coniecturae ut in ceteris libris damnandae in hoc libro locum concedi quis est qui negare velit? Denique vocem *verum* margini libri B a recentissima manu, e codicibus ut puto interpolatis, immerito additam esse inde consequitur quod prima littera vocis *Hoc* maiore amplitudine atque ultra contextum porrecta novum caput sequi demonstratur.

55 = 4,15. (de adamante). 836

— ita appellabatur auri nodus in metallis repertus perquam raro, comes auri, nec nisi in auro nasci videbatur.

Auri nodum Plinii errori tribuit qui a Sill. laudatur Pinderus de adam. p. 47, illum enim Platonis verba e Timaeo p. 59 χρυσοῦ ὄζος male interpretatum esse. Quid vero Plinio cum Timaeo? Atque erratum est haud dubie, neque tamen a Plinio sed a librariis. Verbis enim ‚comes auri' quae desunt in B eo quo vulgo leguntur loco quae praecedunt quaeque sequuntur moleste repetuntur; quae si

pone v. ‚appellabatur' collocaveris, ea quam scriptor affectavit sermonis elegantia videntur dignissima. Deleta igitur voce ‚nodus' ita procedit oratio:

i. a. auri comes i. m. r. p. raro, nec nisi i. a. n. v.

837 57 = ibidem.

— duritia inenarrabilis est simulque ignium victrix natura —, unde et nomen interpretatione Graeca [indomita vis] accepit.

Nominativum per se ineptissimum ad correctoris interpretationem referendum esse quis dubitet? Quae quum etiam apud Isidorum XVI. 13 reperiatur, ad antiqua referenda esse additamenta efficitur, quae recte, nisi fallor, saeculo quarto assignavi. V. *et* cum B omittenda est.

838 63 = 5,16. (de smaragdis).

Praeterea longinquo amplificantur visu inficientes circa se repercussum aera rel.

Tria genera smaragdorum (nam ‚smaragdus' non ‚zmaragdus' ea gemma in B appellatur) distinguit Plinius, convexos, concavos, planos, quos extentos vocat, itemque Solinus 15. Convexi autem describuntur ea de qua loquimur sententia, nominantur a Solino *globosi*, quod vocabulum pone v. *praeterea* necessario inserendum est.

839 semperque sensim radiantes et visum admittentes ad crassitudinem sui facilitate translucida rel.

Quid est ‚visum admittere'? Neque ego scio neque ab editoribus edoceor, verbaque ea quum non in C solum sed etiam in B omittantur, lubens expungenda esse censerem, nisi praeter veterum editorum libros etiam apud Solinum l. l. haec scripta reperissem: ‚probantur — si aspectus transmittant'. Quam sententiam interpunctione mutata ita efficere liceret, ut distinguendi notam a v. ‚admittentes'

ad v. ‚sui' transferretur. Facilior tamen et propter eiusdem praepositionis ‚ad' viciniam similior veri ea coniectura videtur esse, qua *admittentes* in *transmittentes* corrigendum propono. In proxima sectione Ianus bene vulgatam lectionem restituit.

66 = ibidem. (de Cypriis smaragdis). 840

— dos eorum est in colore liquido — pariterque ut transluceat et niteat [hoc est ut colorem expellat, aciem recipiat].

Neque satis Latine locutus est quicumque verba uncinis inclusa adscripsit, nam qui expellitur color, non remanet, neque quidquam orationi Plinii addidit quod non verbis eleganter inter se oppositis declaretur.

67 = 5,18. 841

Sed et vitia demonstrari convenit in tam prodigis pretiis.

Huic B codicis scripturae adiectivum acceptum refero, interpolatis codicibus ubi ‚in tanto prodigio' scriptum exstat vocalem, quibus coniunctis — et his quidem etiam carere poteramus — scribendum esse pronuntio: *in tam prodigiosis pretiis.*

68 = ibidem. 842

— aut intus occurrit aut excipit in fine visum candor hic coloris. Sunt item vitia capillamentum rel.

Bene Ianus in edit. priore et praecedentia restituit, in quibus quam e coniectura inseruit vocem ‚quidam' ante ‚varii' eam in Bambergensi reperire poterat, et hoc loco a B discessit. Vellem longius progressus esset. Nam quod in B deest, his in verbis non magis quam saepissime manco et lacunoso, in ceteris libris varie corruptum invenitur, in P legi-

tur vocabulum ‚corporis' sententia flagitatur omnino. Capillamenta enim, sal, plumbago non coloris vitia sunt sed corporis. Itaque servatis religiose quae in B adsunt verbis haec a Plinio scripta esse conicio.

— *candor. Haec coloris, corporis sunt item vitia* rel.

§. 70 *in sole* etiam B habet, haud dubie restituendum. §. 71 Mommsenius ad Solinum p. 98 codicis B scriptura improbata e codd. Barbari ad vulgatam lectionem redeundum esse monuit. §. 73 B non *vocent* sed ut vulgo *vocant* exhibet; §. 75 idem recte *nisi si.* §. 79 Iani coniectura *castrata* mihi probatur, voce tamen *causa* e vulgata lectione recepta. §. 83 e B recipiendum est *sunt.*

843 88 = 6,23. (de sardonyche).

Persuasimus deinde et Indis ut ipsi quoque his gauderent, utiturque perforatis utique vulgus in collo; et hoc nunc est Indicarum argumentum.

***deinde indis ut ipsi quoq. gauderent utitur perforatis* B rectissime, nisi quod in fine versus post *quoque* excidit *iis*, ut a v. *utitur* nova sententia exordiatur. §. 92 e B quem in re dubia sequi par est, *magnae* delendum, *et* scribendum esse censeo.**

844 104 = 7,30. (de Carchedoniis).

Carthaginem quondam deportabantur.

***Carthagine* B recte, sc. a Nasamonibus in urbem devectae inde trans maria mittebantur. Paulo supra *imbre* a B quidem abest, sed Isidori auctoritate XVI. 13 confirmatur, quod contra Ianum moneo. Infra *cerarent* legitur in B i. e. *cerae retinent* quod plene scriptum erat in Y (Fuxensi), confirmatum a Solino 60 et Isidoro.**

845 105 = 7,31. (de sarda).

— ad haec sarda utilissima — ipsa vulgaris et primum Sardibus reperta, sed laudatissima circa

Babylonam. Cum lapicidinae quaedam appellantur, haerentes in saxo cordis modo reperiuntur.

Babylona recte Ianus e B[1], reliqua inemendata reliquit, quae foedissimis duobus vitiis in B inquinata sunt. Nam et *inutilissimae* scripsit librarius, non *inutilissima* oculis ad verbum *utilissima* relapsis, et *appellantur*, quod in ceteris codicibus recte *aperirentur* scribi Theophrasti loco de lapid. §. 31 *διακοπτομένων τῶν πετρῶν* probaretur, nisi re ipsa posceretur. Diversus est enim locus XVI. 142. Quibus correctis haec prodibit scribendi ratio: *reperta; sed laudatissimae c. Babylona, cum lapicidinae aperirentur: haerentes -- reperiuntur.*

108 = 8,32. (de topazo). 846

Iuba Topazum insulam — dicit, nebulosam et ideo quaesitam saepius navigantibus; ex ea causa nomen accepisse; [topazin enim Trogodytarum lingua significationem habere quaerendi].

Quasi vero Graece locuti essent Trogodytae; atque istis ineptiis regem doctissimum nondum liberatum esse nonne mireris? Nam quod Isidorus XVI. 7 Graecis illis Trogodytis fidem habuit, id sane mirum non est. Scilicet corrector ille quarti saeculi doctrina imbutus quum verbo *τοπάζειν* non proprie quaerendi sed suspicandi vim inesse animadvertisset, quod Graecos dixisse non putavit, id ab hominibus paulo indoctioribus commode dictum esse sibi persuaserat

— ex hac primum importatam Berenicae reginae 847
quae fuit mater sequentis Ptolemaei, ab Philone praefecto regi mire placuisse et inde factam statuam Arsinoae Ptolemaei [Philadelphi] — sacratam in delubro quod aureum cognominabatur.

,*Philadelphi*, om. B. At v. 36, 68'. Ita Silligius. At illo

loco nihil docemur nisi hoc, a Philadelpho delubrum conditum esse, quasi propterea Ptolemaei nisi addito cognomine mentionem facere non liceret. Qui quum h. l. ‚sequens Ptolemaeus' appelletur, additamentum delendum esse efficitur. Neque tamen nihil ex illo loco in usum nostrum converti licet. Ibi enim delubrum Arsinoeum vocatum esse traditur, aureum non appellatur, itaque mutatione in nomine proprio non violenta pro *aureum* legendum est *Arsinoeum*.

848 110 = 8,33.

Nascitur post aversa Indiae apud incolas Caucasi montis Phycaros, Sacas, Dahas.

Duo nomina a Salmasio restituta sunt, tertium nobis restituendum reliquit: *Hyrcanos*.

849 114 = 8,35.

Sudines dicit et in Sibero Atticae flumine nasci.

Non Atticae flumen fuit Siberus vel Siberis, sed *Galatiae*, cf. Procop. de aed. 5. 4, quod nomen reponendum esse apparet.

850 116 = ibidem.

— haec erit illa quae vocatur aerizusa.

— *quae arizusa* (non *arizufa*) *dicetur* B, unde scribatur oportet: *quae aerizusa dicitur*.

851 Non minus multae species reliquae sunt, — ut crystallo similes aut myxis, item terebinthizusa, [improprio, ut arbitror, cognomine, velut e multis eiusdem generis composita gemmis].

Glossema ineptum recte in B omittitur, quod non antiquo illi correctori, sed homini nescio cui docto tribuo saeculi XV. Non prorsus dissimilis est ea interpolatio quae in margine ed. Dalecampianae V. sigla notatur ‚velut et multis ejusdem generis gemmis eandem ob rem imposito'.

117 = ibidem. 852

Vitium in iis est — — — et omnia quae in ceteris; et vitro adulterantur — — cum extra fulgorem spargunt atque non in se continent. Nec diversae quas sphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantum dato, [quoniam optime signent].

Sententiam quae a vv. ,et vitro' usque ad ,continent' pertinet, B omisit, neque tamen propterea quae sana et integra exhibet spernenda sunt. Et primum quidem glossemate caret non illo quidem falso sed supervacaneo, deinde elegantius scriptum habet, quod merito Ianus recepit, *et quae ceteris omnia*, postremo verissime (sphragides enim a vitreis gemmis sane diversae sunt) *Reliquas sphragidas vocant.*

118 = 9,37. 853

Libet obiter vanitatem magicam hic quoque coarguere,

hic quoque arguere B, itaque expulsa voce *quoque* ut e dittographia orta scribi praestat *hic coarguere.*

119 = 9,38. (de cyano). 854

Inest ei aliquando et aureus pulvis qualis in sapphiris.

Ita S. I. (*qualis sappiris*) e B, ut ferunt. At ille *non qualis* habet pariter ac deteriores libri. Quod autem v. *inest* in fine sensus praepositione *in* recte omissa repetitum legitur, factum est dittographia syllabarum contingentium *in ise nim.* Itaque scribendum est: — *pulvis non qualis sapphiris*, vel potius *sappiris.* §. 120 *ut* rectius omittitur.

123 = 9,40. 855

Tales aliqui malunt paederotas vocare, alii ante-

loco nihil docemur nisi hoc, a Philadelpho de[illegible] tum esse, quasi propterea Ptolemaei nisi a[illegible] mentionem facere non liceret. Qui qu[illegible] Ptolemaeus' appelletur, additamentum[illegible] citur. Neque tamen nihil ex illo loc[illegible] converti licet. Ibi enim delubrum Ar[illegible] traditur, aureum non appellatur, i[illegible] mine proprio non violenta pro *aur*[illegible] *noeum*.

848 110 = 8[illegible] , in B omitti-

Nascitur post aversa Ind[illegible] *ae syenites* haud montis Phycaros, Saca[illegible] *tes*.

Duo nomina a Salmasio [illegible] astrio). restituendum reliquit: *Hyr* [illegible] dicunt —; ceraunianı

849 11 [illegible] ; pessimam lanternarum

Sudines dicit et in [illegible]

Non Atticae flumen [illegible] t P d h r *pessimam vero,* utrum- *tiae*, cf. Procop. de [illegible] esse apparet.

850 [illegible] 9,52. (de ceraunia).

— haec erit il[illegible] *sole* aperto proiectam radios in se

— *quae arizu*[illegible] *excutere*, aliquo vero ante se proiecto tur oportet: *quae* [illegible] *entia* illustrare.

851 Non minus [illegible] crystallo s[illegible] [impropri[illegible] eiusdem [illegible]

[illegible] vel *proiecta* e proximo vocabulo *proiecto* [illegible] apparet, atque recte in B omitti. Contraria [illegible] ,in sole' iis sunt quae paulo ante leguntur [illegible] § 138 non *Horus* sed cum B scribi debere

Glosse[illegible] Brunnio de auctorum indicibus Plinianis p. 39 quo illi c[illegible] culi XV[illegible] *observari video*.

139 = 10,54. (de achate).

in mar[illegible] multis [illegible] — *reperta* primum in Sicilia — postea plurimis

...dine, numerosa varie-
...us.

..., haec enim
...cur, varie ab
...orrigi posse non
...oco 5. 26 vocabulo
...*nimalium staticula.*

...em. 860

...oris sit invictam athletis
...ntum, quod — faciat

... recent., *argumento*, ut I. in ed.
...*gumentum* B recte, nam etiam ,argu-
... Plinium dicere memini.

145 = ibidem. 861

...ori simillima est, et hoc videretur, nisi
... duritia.

...lini c. 33 quid tandem duritia Arabicae abnuat in-
...us: indeque restituendum est *nisi radi abnueret du-*

146 = ibidem. 862

et aliam eodem nomine ibi — nasci — contra lymphatum habentium.

Scribe: *contra lymphatum* (an *lymphationem*?) *habentem vim.*

154 = 10,56. 863

Crocallis cerasum repraesentat.

Quae sit crocallis non magis ignoratur quam quid repraesentet. Itaque non est cur codd. B C lectionem *ceras* contemnamus, quippe quae idem dicere videatur quod de ceritide §. 152 praedicatur: ,ceritis cerae similis est'.

864—70 Chelidoniae duorum sunt generum hirundinum colore, ex altera parte purpurea et alia in purpura nigris interpellantibus maculis.

Scribe: *alia purpuram n. i. m.* §. 156 in B rectissime scribitur *Cetionides*, item in indice, ubi etiam a consentit, a Cetio flumine quod non procul ab Atarneo prope Pergamum oppidum Caico miscetur (cf. Strabo XIII. p. 616, Plin. V. 126) appellatae, §. 159 *cordis specie* cum B legi debet, §. 160 ex eodem codice *Eumitren ut Beli gemmam sanctissimi deorum Assyrii observant*, particula ‚ut‘ ante versum XXVII litterarum transposita, item §. 162 *synechitin* quod nomen indice confirmatur a verbo συνέχειν (cf. §. 192) i. e. premere vel angere ductum, nam ‚memoriam adimere‘ dicitur, ibidem *notabilem, in educatione nutricibus lactis fecundam;* v. *dicunt* cum C et B omittendum est, item §. 163 non tantum *autem* cum B sed etiam *concipere* verbum male repetitum. Rursus §. 164 *nascitur* pro *nasci dicitur* etiam codicis B error est.

871—72 173 = 10,63.

Mormorion — vocatur et promnion, cum in ea miscetur et carbunculi color, Alexandrinum; ubi sardae, Cyprum.

alexandrion uero ubi B; scribe: *Alexandrion, ubi vero* rel. — §. 183 etiam B habet *sanguineum* idque rectissime, namque etiam *ochrum* (i. e. pallidum vel candidum) ex eodem recipiendum est. §. 187 *piscis* cum C P merito ab I. deletum est. §. 188 sententia *Narcissitis venis et odore distinguitur* quae in B deest, ut litterarum ordo constet, pone v. *parit* transponenda est.

873 190 = 11,73.

Sunt et a leonis pelle et a panthera nominatae leontios, pardalios.

Haec non suo loco leguntur et ad eas gemmas transferenda quae ,ab animalibus cognominantur', itaque fini §. 187 adiungenda. §. 192 causam non video, cur a B discedendum videatur.

Plures etiam tum in hoc libro tum in reliquis omnibus coniecturas proferre poteram, sed ea tantum legentium iudicio proponere apud animum constitui, quae aut vera et indubitata aut certe via et ratione excogitata esse viderentur.

Errata.

S.	7	l.	25	lege:	arbitrantur.
„	13	„	7	„	quinis.
„	20	„	23	„	et peste.
„	26	„	5	„	*a et* a.
„	28	„	26	„	*γλυκεῖα.*
„	37	„	3	„	*non ut e.*
„	„	„	30	„	suo.
„	44	„	24	„	hic.
„	45	„	30	„	*ὧν.*
„	50	„	30	„	distribuit.
„	76	„	10	„	exigeretur.
„	79	„	18	„	Curium.
„	135	„	4,5	„	*vires; proponuntur autem prunorum* (sic r E) *e. c. a vitium.*
„	146	„	25	„	vi non.
„	152	„	11	„	non cum lano vv.
„	171	„	24	„	cum.

ERLANGAE.

TYPIS AUGUST JUNGII ET FILII.



